NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
8
30 H
1/18

Y G 26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.20.H.18

QVAESTIONVM PERIPATETICARVM DE REBVS NATVRALIBVS,

Quæ à

IOANNE BAPTISTA
CONTARENO

Dominici Fil. iuxta principia Ariſtotelis examinatæ ſunt.

In quo præcipua, quæ circa tres libros Ariſtotelis de Anima occurant, explicantur.

ILLVSTRISSIMO DOMINO
MICHAELI PRIOLO
FRANC. FIL. DICATVS.



VENETIIS, MDC XXXIII.

Typis, ac ſumptibus Iacobi Sarzinæ.

Superiorum Permiſſu, ac Priuilegijs.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
MICHAELI PRIOLO
FRANC. F.
DOMINO COLENDISSIMO.

INGENII labores, qui ad honeſtam voluptatem tum magis aſpirant, dum in laudis præmium eorum connatibus inſtant; optant ideo, dum illam ſui perfectione meruerint, in oculos ſapientum incurrere, porò apud quos certum ſui decus, dignumq; plauſum obtineat: quod ſi deterius ſe habeant; tunc ſapientis vtique iudicium, cui laudanti, ſeu non obiurganti, fides adſit: ſed etiam amantis, & ad indulgendum procliuis, expoſcunt: Vt potiſſimum mihi contingit in præſens; dum opus hoc ſuper libros Ariſtotelis, qui de Anima inſcribuntur, conſcripſerim: ad quod tum Patrum Conſcriptorum gratia me iam diu publico Philoſophiæ munere honeſtante, euocatus: tum ex anteactis in eadem ſcientia lucubrationibus me ad hoc (vt totius operis complementum) irretientibus: ſeu nimis fortaſſe geſtienti animo indulgens, deueni: de cuius imbecillitate cum me tum inexcuſabilior repetitorum defectuum culpa deterreat, tum eminentior à præhabitis obiecti conditio, circa quod, ſeu inſcientia, ſeu deſidia contigerit error, grauior euadit: propriumq; virium robur ſemper hæbes, at nunc deficiens ob prouectiorem ætatem, proximæq; decurſſam peſtilentiam, qua in me, ac coniunctis acrius irruente ei manum adhibui; vt propterea arbitre

ingenio ſimul ſapientia, atque beneuolentia prædito maxime indigeam: non id longe fuit mihi quærendum à te vir non virtute minus, quam generis ſplendore, Illuſtriſſimæ: de quo non eſt meum, velut latentem celebrare doctrinam: quam olim in impuberi adhuc ætate caneſcentem Roma ſpectauit, Patria experitur, conciues venerantur: Nec aliud de tua humanitate petendum eſt monumentum præter meipſum, quem tua tantum gratia eo ſuſultum, quo meritorum præſidio deſtitutum ſemper honeſtaueris, erexeris, ac decoraueris: at tunc præſertim dum fortuna, ac publica authoritate vnà cum tui munifica voluntate conſpirantibus, de patrijs honoribus præmium mihi philoſophandi, ingenuorumq; laborum ſtipendia, non aliter quam ſi optime philoſophatus eſſem, præſtitiſti. Quod quidem ampliſſimum beneficium, eo magis quod à te procedens, auctoriſq; conditionem redolens, mihi ſemper gratiſſimum, pereniſq; deditionis tanquam nexus imis ſpiritibus inſidens, addictum me fecit adeo, vt actum quencunque meum, etiam ſcilicet hunc (ſi talis dedicatio aliquam cultus, obſequijue ſpeciem habet) obnoxium tibi rediderit; Ea tamen ſubiectionis ſorte, vt cum à me perpetuam in te venerationem exigat; ſpem etiam mihi paris, infatigabilis ex te patrocinij ſuggerat: cuius cum nunc inſtet occaſio, ſpem (ne ea abutar) non alibi reponere debeo, quam in te fatali mihi quodammodo gratiarum, atque decoris aucthore: ad cuius ſemper meritum excolendum, virtutem admirandam, beneficia recolenda, ac opem implorandam deſtinatus, arcto, at iuſto; grandi, at ſuaui; firmo, at benefico; enixo, at fælici ſeruitutis vinculo teneor. Promptam idcirco non minus, quam ſtrenuam inuenturum tutellam meum ad te opus hoc pergit: vt cum hucuſq; aucthoris defectus, deinde tuæ humanitatis exceſſus referat: vt ve adhuc meæ tantum in te obſeruantiæ, poſthac tuæ in me gratiæ, ac indulgentiæ ſit teſtis. Vale.

Venetijs MDCXXXIII. 10. Kalend. Maij.

T. D. I.

Deuotiſs. S.

Ioann. Baptiſta Contarenus,

Digitized by Google

TABVLA QVÆSTIONVM PRINCIPALIVM,

In Hoc Operæ Contentarum.

DE Vniuerſalibus, & Idæis. fac. 1

De Potentijs Animæ. 41

De Viſione. 73

De Effuſione, ac Sede Animæ in Corpus. 114

De Senſibus Internis. 145

De Intellectu Agente, ac De eius Officio. 164

De Obiecto Intellectus. 186

De Immortalitate, Inhærrentia, ac Pluralitate Animæ Rationalis. 207

De Speciebus Senſibilibus, & Intelligibilibus. 244

De Principio Motus Animalium. 270

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Quæ in Operæ Continentur.

A

ABſtrahere non eſt mendacium. 1
Abſtractio quomodo fiat. 1.19
Abſtractio eſt accidens quodam rationum ſingularium. 4
Accidentium dantur ideæ, & quales. 37
Aetherogeneum corpus diſtans cur magis appareat, quam æquale corpus homogeneum ibidem poſitum. 112
Agens, & patiens quando communem materiam requirant. 110
Anima mundi quid ſit. 23
Anima mundi improbatur. 27
Anima eſt cauſa generationis per inſtrumentum potentiæ. 48
Anima eſt receptiuum per ſe operationum, at per medium potentiarum. ibid.
Anima eſt principium operationum animalium; & qua ratione. 49
Anima quomodo ſit principium eſſendi, quomodoue operandi. 50
Animæ ſunt plures in eodem indiuiduo. 52
Animæ totalitas tripliciter intelligitur. 114
Anima quomodo dici poſſit totum per relationem ad partes. 115
Anima ſecundū eſſentiam eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte. 116
Anima in deſtructione partis animalis non perit; ſed ad partes ſuperſtites retrocedit. 117
Animalium inſectorum, & Plantarū cur partes abſciſæ diu viuant, & germinent. 118
Anima rationalis nō eſt in corpus extenſſa. 120
Anima rationalis quomodo det eſſe quātū. 121
Anima informans quomodo diſtinguatur ab aſſiſtente, quidue ad illius extenſionem requiratur. 121
Animas omnes inextenſſas eſſe reprobatur. 122
Animas omnium perfectorum animalium inextenſſas eſſe reprobatur. 124
Animalia ingentis molis cur vim habeant remiſſam. 124
Anima rationalis tātū eſt corpori inextēſſa. 124
Anima quomodo in quacunque parte corporis habeat, vel non habeat oēs ſuas partes. 126
Animæ ſedes eſt in corde. 134
Anima rationalis ſedes eſt in corde. 141
Animalis medium aliud molis, aliud munitioris loci, quod eſt caput. 142
Anima humana eſt immortalis. 212
Anima humana ex extrinſeco venit. 217
Animæ humanæ immortalitas naturalibus rationibus demonſtratur. 218
Anima humana non eſt generabilis. 220
Anima rationalis quomodo ſit generabilis, & corruptibilis. 236
Anima rationalis producitur per creationē. 238
Animæ cū corpore eſt vnio ſecūdū naturā. 241
Anima eſt indefatigabilis. 242
Animalib. cur cōpetat motus pgreſſiuus. 285
Anima quomodo ſuum corpus moueat. 283
Appetitiua quid ſit, & quomodo ſe habeat ad alias potentias animæ. 59
Appetitus perfectus non niſi animali intelligenti, aut ſentienti competit. 61
Appetitiua facultas eſt in quacunque parte animalis. 159
Appetitiua facultas non eſt per ſe cognoſcitiua. 275
Appetitio eſt motus voluntarius. 277
Antipherontis Oretani admirabilis conditio in Viſione. 90
Cauſa talis euentus. 112
Augmentatiua potentia quid ſit. 54

B

BOnum vt quid exemplatum à Deo habet ſuam Ideam. 39
Bonum duplex, ducis, & exercitus. ibid.

C

CApilli, vngues, & huiuſmodi non ſunt animata. 116
Ex Cadaueribus varia animalia oriuntur. 21
Cauſa materialis poteſt coincidere cum efficienti. 71
Cerebri qualis ſit frigiditas. 133
Cerebri imperfectiores conditiones per comparationem cordis. ibid.
Cerebrū in quacūque ſui parte habet ſēſū. 158
Cerebri quæ pars ſit ſedes ſēſuū internorū. 159
Color duplex, & quō ſit obiectum viſionis. 73
Color eſt quid diſtinctum à lumine. 76
Color apparens quid ſit, & quomodo ſe habeat ad lumen. 77
Color apparens cum colore propriè ſumpto quomodo

Digitized by Google

modo conueniat, in quoue diſcrepet. 77
Colores proprij procedunt ex commixtione qualitatum elementorum. 77
Quiſnam Color Cœlo congruat. 77
Color non eſt in elementis ſyncretis, & quomodo ſit in igne. 77
Colores varij quomodo producti. 78
Colores ex perſpicuo, & opaco generari ſecundum Zabarellam, & eius confutatio. 77
Coloris definitiones variæ. 78
Color non contingit ubi non eſt denſitas. 102
Cognitio etiam vilium rerum perficit intelligens, & quomodo contingat in Deo. 36
Cognoſcens, & cognitum quomodo conuenire debeant in modo eſſendi. 188
Cognitio matutina Angelorũ quænam ſit. 263
Concupiſcibilis, & irraſcibilis ſunt vires potentiæ appetitiuæ. 61
Conſpicillorum vſus cur proſit oculis. 109
Cor eſt principium principale ſanguinis, ſed proprium ſanguinis perfectioris. 132
Cor eſt principium caloris, & ſpirituum in animalis. 135
Cor nõ poteſt lædi quin totũ animal pereat. 136
Cor eſt veluti quoddam animal per ſe. 136
Cor vltimò moritur inter membra. 136
Cor quomodo ſit in medio animalis. 137
Cor ſemper vnicum in vno animali. ibid.
Cor in generatione animalis primus inter omnia membra formatur. 139
Cor eſt principium vniuerſale omnium actionum animalis. 158
Corruptibilium, incorruptibiliumq; quomodo detur ſcientia. 20

D

DEfinitio qũo cõpetat rationi ſpecificæ. 10
In Definitione Animæ ſub nomine, actus primi, quid ſignificetur. 227
Deum non niſi Deum intelligere: quomodo ſaluetur cum poſitione idearum. 22
Deo entia oĩa inexiſtere modo eminentiori. 26
Deũ agere ex neceſſitate naturæ, vel caſu, aut vnicũ tãtũ effectũ, abeſt a ſentẽtia Ariſt. 29
Deũ cauſã rerũ efficientẽ Ariſt. cognouit. ibid.
Diuina natura quomodo ſecundum Theologos communicetur tribus perſonis. 13
Diuina eſſentia ſecundum Philoſophiam eſt ſingularis. 14
Diuina mens cognoſcit etiam mala abſque inconuenientia. 25
Diuina eſſentia varijs modis imitabilis eſt ratio varietatis idearum. 40

E

EMbrionis quod primo conficitur non eſt ratio vniuerſalis naturæ genericæ magis quam ſpecificæ. 4
Ens vniuerſaliter ſumptum non eſt aliquid reale. 10
Eſuriens appetit cibum indiuidualiter, non autem ſecundum rationem vniuerſalem. 9

F

FOetus in vtero eſt prius planta, & animal, quam homo. 52
Filij cur magis ſimiles ſiant matri. 55
Fœmina paſsiue tantum in generatione concurrit. ibid.
Formas materiales non agere immediate, quomodo verificetur. 20
Formarum triplex genus, ſcilicet a qua, in qua, & ſecundum quam. 27

G

GEnerans eſt vniuocum cum ſuo genito. 12
Generans rerum naturalium, vt ignis, quidnam ſit. 20
Generãs animaliũ perfectorum quale ſit. ibid.
Generatiua potentia quid ſit. 54
In omni Genere eſt aliquod primum, quod eſt menſura cæterorum. 11

H

HVmanæ menti competunt imitationes idearum. 25
Hominem ex illius idea ad bona, malaq; dirigi ſecundũ Philoponũ, ac illius confutatio. 23
Humana mens cur diuinum quid ab Ariſtot. exiſtimetur. 213

I

IDeæ ſecundum Academicos quid ſint: rationeſq; quibus ſuadentur. 18
Idearum reprobatio. 19
Ideas intelligentijs non concedentium, fundamenta, & reprobatio. 24
Ideæ in ſuprema mẽte non ſunt vt rationes intelligẽdi, ſed vt terminus intellectionis. 25
Ideas mortalibus rebus prouidere, falſũ eſt. 23
Ideæ definitio, & ratio ſecundum Simplciũ. 25
Idea eiuſdẽ eſt ſpeciei, cum eo, cuius eſt idea. ib.
Idearum exiſtentia in mente diuina quibus rationibus ſuadeatur. 26
In Idearum poſitione Ariſt. cum Platone conſentijt. 26
Idearum admiſsio, explicatio, ac definitio ex Theologis. 27
Ideæ dantur etiam de rebus non exiſtentibus, ſed poſsibilibus produci: & qualeſnam. 27
Idearum neceſsitas Theologicis rationibus comprobatur. 28
Idearum pluralitatem in Deo dari, & quomodo plurificentur ſecundum Theologos. 28
Idea eſt vniuerſ. ante multa: nõ poſt multa. 31

Idea-

Digitized by Google

Idearum duplex eſſe, alterum formale, & alterum participatum. 31
Idearum duplex vſus, ſcilicet ad ſcientiam, & ad productionem rerum. 31
Idealis mundus in mente diuina. 31
Ideas iuxta varias rationes, & effectus varijs in locis Plato effinxit. 31
Idea duplex, cognitionis tantum, & ſimul cognitionis, ac imitationis; & quibuſnam entibus hac, vel illa competat. 37
Ideæ conferunt ad eſſe rerum, & ad ſcientiam de eis diuinam, & humanam. 38
Ideæ plures de vnico indiuiduo non inconueniunt. 40
Iecur eſt officina ſanguinis. 129
Ignis ex cōbuſtibili nō nutritur, uel augetur. 56
Ignis non generat alium ignē, quē producit. 57
Imagines corporum in ſpeculo apparentes quomodo habeant eſſe. 85
Ignis quodlibet eſt aggregatum ex pluribus indiuiduis. 117
Illuminatio eſt actio tranſiens. 91
Indiuidua eiuſdem ſpeciei, ac indiuidua diuerſarum ſpecierum quomodo inter ſe magis conueniant, & differant. 10
Indiuiduatio an aliqd ſuperaddat nat. cōi. 14
Indiuiduationem recipit accidens a ſubiecto, non e contra. 15
Indiuiduationis principium non eſt materia, ſed ratio cuiuſque entitatis. 16
Indiuiduis eiuſdem ſpeciei non ineſt diſtinctio eſſentialis, ſed diſtinctio eſſentiarum. 18
Intellectus quō valeat agere in ſuū obiectū. 8
Intellectum ſpeculatiuum, & practicum, qui putauerint potentias realiter diſtinctas, & reprobatio. 59
Intellectionis duplex principium in duplici parte corporis locatum. 142
Intellectus agens eſt neceſſarius. 164
Intellectus agens quomodo aſsimiletur Naturæ, Arti, Habitui, ac Lumini. 166
Intellectus agens neceſſarius eſſet etiam conceſsis Ideis. 167
Intellectus agens non competit abſtractis intelligentijs. 168
Intellectus natus eſt cognoſcere ſingularia. 168
Intellectus agēs nō eſt primus motor. 175. 221
Intellectus agens non eſt intelligentia aliqua abſtracta. 225
Intellectus agens quomodo ſit ſecundum ſuam ſubſtantiam. actio. 178
Intellectus agens non eſt diſtincta eſſentia a poſsibili. 223
Intellectus agens quidnam realiter ſit. 180
Intellectus agentis actio non eſt formaliter in poſsibili. 181
Intellectus agentis officium quodnam ſit. 183
Intellectui agenti non eſt negandum officium intelligendi. 183
Intellectus agens eſt, qui facit abſtract. 185
Intellectus obiectum eſt vnum. 186
Intellectus obiectum eſt vnum ſecundū analogiam vniuocam. 187
Intellectus obiectū eſſe quiditatem materiatam, quibus rationibus probetur. 188
Intellectus obiectum eſſe ens communiſsimè ſumptum, quomodo ſuadeatur. 191
Intellectus corpori iunctus nunquid, quōue cognoſcere valeat ſubſtātias ſeparatas. 193
Intellectus obiectum quid ſit. 198
Intellectus obiectum non eſt phantaſma. 199
Intellectus obiectum non comprahendit entia rationis, nec materiam primam. 201
Intellectus obiecti ratio eſt de ente, non vt verum, ſed vt ens eſt. 203
Intellectum agentem omnia facere, quomodo ſit intelligendum. 223
Intellectum agentem ſemper intelligere, in qua ſignificatione verificetur. 223
Intelligentiæ tot ſunt quot orbes caleſtes. 229
Intellectus humanus non eſt vnicus, ſed multiplex ad numerum hominum. 233
Intellectum omnium vnum, & informantem, non tutum eſt ponere. 234
Intellectum omnia fieri, quō verificetur. 254
Intellectui facilior eſt cognitio ſingularis quā vniuerſalis. 255
Intellectus directa cognitione percipit ſingularia; reflexa vero vniuerſalia. 263
Intellectus, & intellectum in ſeparatis a materia eſſe idē, quomodo ſit intelligendū. 265
Intellectus quādonam ſit vt tabula raſa. 266
Infinitum in ſpiritualibus reperiri, non inconuenit. 236

L

LVmē nō eſt terminus, ſed cauſa viſionis. 76
Luminis, & coloris mutua indigentia pro viſibilitate. 79
Lumini ſpectantiū ſeries quatuor entitatū. 82
Lumen qui putarint eſſe corpus, & illorum reprobatio. 83. 84
Luminis qui apparet fieri progreſsiuus motus quomodo fiat. 84
Lumen habet eſſe quatenus inceſſanter manat ex præſentia lucidi. 85
Lumen quomodo reuerberari, reflecti, & frangi dicatur. 85
Luminis ſphærica figura vnde procedat. 85
Lumina varia in eodē ſpatio miſcibilia ſūt. 86

Digitized by Google

Lumen lucernæ cur album appareat. 86
Lumen valet ad vehementem actionem ratione rei luminoſæ. 86
Lumen non eſt qualitas habens contrarium poſitiuum. 87
Lumen non eſt ens merè intentionale, ſed ens ſpiritnale, 89
Lumen vt percipiatur ab oculo non eget intermedia ſpecie. 91
Lumen an deferri poſſet per ſpatium vacuũ. 91
Lumẽ in Viſione an neceſſariũ ſit propter obiectum, per medium, vel propter organum. 94
Luna dicitur terra cæleſtis. 80
Lux quid ſit, & quomodo ſe habeat ad lucidum, & ad lumen. 82
M
Mater cur magis diligat filios. 56
Mẽbrũ præcipuũ animalis vnicũ eſt. 130
Membrũ præcipuũ animalis nõ ſunt teſtes. 132
Membrũ præcipuum animalis non eſt iecus. ib.
Mẽbrũ præcipuũ animalis non eſt cerebrũ. 133
Membrũ præcipuũ, & animæ ſedes eſt cor. 134
Memoriæ quæ ſint officia. 156
Memoria quõ verſetur circa vniuerſalia. 157
Memor. eſt facultas cõpoſiti ex aĩa, & corp. 157
Memoria aliqua quibuſcũq; aĩantib. cõpetit. 160
Memoria intellectiuæ neceſſario cõcedẽda. 267
Memoria duplici modo cõſiderari poſſe, & qualiſnam intellectui conueniat. 268
Mens non eſt Phyſicæ conſiderationis. 216
Mens humana habet ſuum eſſe per ſe, & diſtinctum a corpore. 219
Mẽs ſeparata a corpore quamnam habeat propriam operationem. 239
Motiua potentia quid ſit. 59
Motus animalis cũ electione, & contradiſtinctus a naturali habet princip. in cerebro. 159
Motus animalium principia ſunt intellectus, & Phantaſia. 271
Motus quislibet habet obiectũ expetitum. 279
Motus animalis non rectus, ſed mixtus ex recto, & circulari. 285
Motus animaliũ cur ſit velocior in medio. 286
Motus animalis principium proximum, & inſtrumentale eſt muſculus. 281
ad Motũ aĩal. quõ ſpiritus aĩales cõcurrãt. 283
Mouens obiectum eſt immobile. 279
Mulus eſt æquus, aut aſinus imperfectus. 56
Myſtice, ac Poetice non vnquam Plato, & Ariſt. ſunt locuti. 32
N
Negationes, & priuationes non cognoſcuntur per ideam propriã, ſed poſitiuorũ. 36
Nebulam diſtantem facilius quam proximam videri: ex quo procedat. 111
Nerui quõ ſint cauſa motus animalium. 133
Neruorum origo eſt in cerebro. 158
Nigredo non eſt mera priuatio albedinis. 74
Numerus triplex, numerans, numeratus, & quo numeratur. 39
Nutritiua potentia quid ſit. 54
Nutritiua, ac generatiua potentia, quomodo diſtinguantur. 62
Nutritio non eſt aliqua ſpecies motus. 62
Nutritionis ſubiectum eſt ipſum animal nutritum. 62
Nutrimentum adueniens animali quomodo animetur. 133
O
Obiectum trium potẽtiarum vegetatiuarum idem, ſed per diuerſas rationes. 54
Obiectum non eſt principium motus animalis niſi in eſſe cognito. 277
Oculo quõ ignea, aqueaue natura cõueniat. 100
Oculi conſtructio, quotue, ac qualib. muſculis, neruis, tunicis, & humoribus conſtet. 101
Organa ſunt tantum in mixtis corporibus. 24
Organa inſtituta sũt per potẽtias, nõ e cõtra. 68
Organa ſenſuum in varijs animalib. quodnam elementare prædominium habeant. 101
Orta ex putri quamnam cauſam habeant. 29
P
Paſsiones animæ ſunt in corde. 138
Perſpicuum neceſſarium medium viſionis quid ſit. 78
Perſpicuorum duplex genus. 78
Perſpicuum eſt qualitas tertiæ ſpeciei. 80
Perſpicuum quomodo ex alijs qualitatibus producatur. 80
Perſpicuitatem in omnibus eſſe vnicam naturam, ſed analogicam. 80
Perſpicuitas non competit omnibus corporibus, vt aliqui putarunt. 82
ex Perſpicuo q boni effectus mũdo adueniãt. 82
Perſpicuum non recipere lumen, falſo quidam aſſeuerarunt. 82
Perſpicuitas non eſt mera priuatio. 82
Phantaſia eſt propter mentẽ humanã tantũ. 39
Phantaſiæ quæ ſint officia. 155
Phantaſia quõ ſit apta cognoſcere cõponẽdo. 155
Phantaſia quomodo ad quaſdam admirabiles operationes animalis concurrat. 155
Phantaſia non miniſtrat intellectui abſque propria cognitione. 156
Phantaſia an habeat in ſe vim ratiocinãdi. 156
Phantaſia etiã imperfectis animalib. ineſt. 160
Phantaſia duplex. ibid.
Potentia animæ quid ſit. 41
Potentia animæ quo ad modum operandi conſiderata triplex. 41
Potentia animæ conſiderata in ordine ad actionem

Digitized by Google

nem quintuplex. 41
Potentia Generatiua quomodo coniunctum habeat obiectum. 41
Potentia motiua localiter diſtinguitur ab alijs potentijs formaliter tantum. 42
Potētiæ animæ realiter diſtinguūtur ab aīa. 45
Potentiæ animæ ſunt qualitates de 2. ſpecie. 45
Potentiæ animæ à potentia materiæ quomodo diſtinguantur. 49
Potentiæ requiruntur ab anima ob illius imperfectionem. ibid.
Potentiæ animæ ſuos edunt effectus per emanationem. 50
Potentiæ aīæ ſunt inter ſe realiter diſtinctæ. 52
Potentiæ animæ vegetatiuæ inter ſe realiter differunt. 59
Potentiæ intellectus quæ, & quot ſint. 59
Potentiarum multitudo dicit imperfectionem in ſublimioribus agentibus, at in inferioribus perfectionem. 60
Potentiæ animæ fluunt tum a compoſito ex anima, & corpore tum ab anima tantū, in eaq; ſubiectantur, & quomodo. 61
Potentiæ diſtinguuntur per actus, actuſq; per obiecta: & in quo ſenſu id verificetur. 65
Potentiæ ſunt entia ad aliud ordinata. 67
Potentiarum animæ efficiens cauſa eſt compoſitum ex anima, & corpore. 68
Potentiæ animæ rationalis ex ipſa tantum rationali anima fluunt. ibid.
Potentiarum animæ aliarum ab intellectiuis ſubiectum receptiuum eſt compoſitum ex anima, & corpore. 70
Potentiæ aīæ habēt operationes materiales. ib.
Principia eſſendi, & cognoſcendi quomodo reciprocentur. 3
Prioritas duplex, in eſſendo, ac in prædicando. 2
Proprietates quæ competant ſuppoſito ratione ſpeciei; & quæ reſpectu indiuidui. 14

Q

QVantitas quomodo per ſe, ſeu per accidēs ac ratione cuius recipiatur. 121
Quidditatē ab habente ipſam in primis ſubſtantijs non diſtingui: quomodo verificetur. 16
Quidditatiua cognitio quomodo differat a cognitione per quidditatem. 196
Quies cognoſcitur per motum. 74
Quies non eſt mera priuatio. 75

R

REcipiens debere eſſe denudatū a recepto; quomodo intelligendum. 76
Reflexi actus intellectus, & illorū pſtātia. 265
Relatio triplex. 11
Relatiua ſunt in Prædicamento ſui fundamenti. 37
Reminiſcentia quid ſit, & quomodo ſe habeat ad memoriam. 58
Reminiſcentia non eſt facultas a memoria diſtincta. 152

S

SAnguis ſine venis non reperitur niſi in corde. 133
Sanguis eſt vltimum alimentum animalium ſanguine præditorum. 157
Secundæ intentiones ſunt nihil. 1
Senſus motiuum non eſt niſi ens ſingulare. 17
Senſus interni quid, & quot ſint. 58
Senſibilia communia quomodo ſint viſibilia. 75
Senſui quomodo obſit, proſitue actio. 110
Senſus interni cur ita appellentur. 145
Senſuum internorum neceſſitas. ibid.
Senſus interni ſunt plures. 148
Senſus in actu quis ſit. ibid.
Senſuum internorum numerus amplior eſt quam binarius. 149
Senſus interni non ſunt 4. ibid.
Senſus interni ſunt tantum tres. 151
Senſuum internorum quodnā ſit obiectū. 153
Senſus communis quæ ſint officia. 154
Senſus communis non percipit ſe actualiter ſentire. 155
Senſuum internorum ſedes eſt in cerebro. 158
Senſus agens eſt neceſſarius. 170
Singularis natura prius quam vniuerſalis in eſſe conſtituitur. 4
Seminis virtus formatiua, & mirifica. 20
Solares radij quō agant vbi non attingunt. 81
Solares radij quomodo immediate producātur in toto ſpatio. 85
Solares radij quomodo attingere debeant ſubiectum generationis. 98
Species non diuiditur per differentias eſſentiales. 14
Species viſibiles in oculo, & actiones, viſibiliū rerum in ſpatio intermedio, in quocunque numero, ac varietate ſe compatiuntur. 110
Species ſenſibiles ante actum ſenſationis non dantur. 247
Species ſenſibilis ſeruatur poſt actum ſenſationis. 247
Species intelligibiles intellectui connaturales, & inſita, non dantur. 250
Species intelligibiles obiectū intellectionis, vt quo, non cognoſcuntur ab eo, niſi actu reflexo. 251
Species impreſſas intellectui dari. 253
Species intelligibilis alia non conceditur, niſi ſubſequens actum intellectionis. 237
Species intelligibiles etiam de ſingularibus intelle-

intelle-

Digitized by Google

tellectui imprimuntur. 261
Species intelligibiles quas afferant vtilitates pro intellectione. 264
Speculum non idem lumen, ſeu eundem colorem, quem in ſe habet in aerem effundit, ſed alterum conſimilem producit. 85
in Speculo nõ videtur imago rei, ſed res ipſa. 89
Speculum cur ſemper obiecti partem anteriorem, & non aliam oſtendat. 111
Spiritus animantium duplex Vitalis, & Animalis. 133
Spiritus ex atracto aere ſecundum Galenum, producti, reprobantur. 135
Spiritus, & ſanguis non ſunt partes animalis. 157
Splendor quid ſit, & quomodo diſtinguatur a lumine. 82
Stellæ per ſe abſque ſole aliquid habent luminis 79
Subiectum aptum eſt ad producendas ſuas proprias paſſiones effectiuæ. 69
Subiectum producit eius paſſiones non conſtitutione directa, ſed per emanationem. 71
Subiectum paſſionis poſſe eſſe eiuſdem paſſionis efficiens quomodo eueniat. ibid.
Subſtantiæ abſtracta ex ſeipſis ſunt ſingulares. 14
Subſtantia non eſt immediatum principium operationis. 47
Subſtãtiæ ratio quomodo ex ſe ab accidentibus ſeparata cognoſci valeat ab intellectu. 202

T

Tenebræ non propriæ videntur. 74
Tenebras in natura reperiri. 98
Tenebræ ſunt mera priuatio luminis. 99
Tenebræ cur oculos lædant. 99
Terreſtris natura tanquam temperamentum perſpicuitatis inſtituta. 81
Terra centri inſtituta vt oppoſitum qualitatibus cæli. 98
Teſtudo cur aliquamdiu auulſo ei corde viuat.

V

Venæ producuntur in corde. 144
Vena caua cur latior in hepate, quam in corde. ibid.
Vermes cur non filij animalis, ex quo prodeunt. 56
Verum ſe habet ad intellectum tanquam conditio illius obiecti. 204
Virtutes animæ duplices, actiuæ, & paſſiuæ. 5
Virtutes menſurantur per maximum. 9
Videre aliquos facilius propinqua, alioſue remota vnde eueniat. 111
Viſionis medium internum ne oculo, vel externum requiratur. 93
Viſio in qua parte oculi fiat. 102
Viſio quomodo Pyramidaliter fiat. 103
Viſiua potentia quid ſit. ibid.
Viſionem non fieri per extramiſſionem radiorum ex oculis, ſed per intromiſſionem. 106
Viſibile ſupra ſenſum poſitum non videri: quanam ſit ratio. 109
Viſio perfecta applicationem ſenſus exigit magis quam auditio, & olfactio. 111
Viſibile diſtans cur minoris molis appareat. 112
Viſibilis obiecti præſentia eſt id, quod mouet oculum ad videndum. 248
Viſibilis obiecti imago intra ſpeculum non eſt ſpecies, ſed præſentia obiecti. 249
dum Vmbra corporis moueri videtur, quomodo id eueniat. 85
Vmbræ plures eiuſdem corporis in ſpatio vbi ſint plura lumina, cur eueniant. 86
Vnitatẽ non per ſe habet quodlibet ens reale. 13
Vnitas intenſiorem rei virtutem præſert. 51
Vniuerſalis origo, & conditiones. 1
Vniuerſale eſt nihil, aut poſterius ſingularib. 1
Vniuerſale duplex, primæ ſcilicet, ac ſecundæ notionis. 1
Vniuerſale in qua ſignificatione eſt ens reale, & in qua ens rationis. 2
Vniuerſale quomodo prius, quomodoue poſterius ſuis ſingularibus. 2.3
Vniuerſale quomodo natum terminare intellectum. 2
Vniuerſale quomodo ſit nihil. 2
Vniuerſalitas eſt accidens quodam ſingularium. 4
Vniuerſale eſſe quid reale probatur, & reprobatur. 3.4.5
Vniuerſale in potentia eſt ens reale. 7
Vniuerſale quomodo ſit obiectum ſcientiæ. ib.
Vniuerſale quomodo ſit obiectum intellectus terminatiuum tantum: & quomodo ſit terminatiuum, ac etiam motiuum. 8
Vniuerſale non eſt obiectum formale intellectus; ſed modus quidam ipſius obiecti. 8
Vniuerſalis natura ſubſiſtens realiter magis vna quam ſpecifica, magiſq; communis quam indiuidualis, ex opinione Scoti dari probatur, & reijcitur. 11.12
Vniuerſalis cognitionem non habet intellectus ex phantaſmate, ſed ex ſpecie intelligibili. 255

FINIS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

INTELLECTVS hominis, qui naturali deſiderio ſcire auet: cuius iucunditas in contemplatione, ac decus in cognitione rerum conſiſtit, cum in omnibus noſcendis ennitatur, gaudeat, & ornetur; nil tamen conuenientius expetit, vel vtilius attingit, quam ſcientiam illam, per quam ſeipſum ſpeculando, ac cognoſcendo, vere ſuimetipſius particeps, atque compos euadit: propiuſq; ſupremum intelligens vere ſeipſum cognoſcens æmulatur: Dirigunt ad hoc tres libri de Anima, quos Ariſtotelis intra Phyſica opera inſeruit; qui vt terminum illius tractationis, ſic & eiuſdem ſcientiæ perfectionem afferunt: quibus propterea ennixa cura incumbere tenetur quiſquis ei notam vitare libet, propria deſerendi dum aliena quærit, atque ſe neſciendi cætera ſciens: quam ſuiipſius ignorationem, vt in brutis naturæ defectus à crimine ſoluit, ita in homine certa irrationalitatis nota perurget; cuius enim decus paupertatis labes obſcurat, habet ille fortunam, quam criminando ſe excuſet; qui corporis imbecilitate, deformitate, aut ægritudine ſqualet, præſto habet naturam, in qua culpam referat: de inſcientia verò, ac ſuiipſius ignoratione, ſeipſum tantum culpare debet: Quapropter hoc (vt aliquod ipſi pietati aduerſum) præcipua Delphici templi cura arcere nitebatur præcepto illo ex Chilone (altero ex ſeptem his, qui Græciæ cæteros ſapientia præſtabant) foribus inſcripto, quo homines ad noſcendos ſeipſos monebantur: Ægre namque quis animum ad Deum colendum, ſeu cognoſcendum extollet; quin prius ſeipſum, vt illius effectum, donum, ac ſimulacrum deprehenderit: nec congruis huic officio moribus, & affectionibus ſuum inſtruet animum, quem valde compertum, & exploratum non habeat: in quem præterea cum cæterarum rerum perfectiones, veluti in exemplari quodam intueri valeat; aliorum etiam notitiam hinc colliget: ac proinde ex ſeipſo veluti fonte rerum vniuerſarum; tum ſcilicet diuinarum, vt ex imagine, tum inferiorum, vt ex compendio, vberem ſibi ſcientiam comparare valebit: cui itaque contemplationi cum innumeres adhuc tum vetuſtæ, tum recentis ætatis (quibus excollendæ mentis cura fuit) laudabilem operam adhibuerint, nos etiam eidem addicti ſtudio, qua ſolertiori valuimus induſtria has circa prædictum opus de Anima lucubrationes confecimus; quas Lector, ſi grata ei fuerint, vt quid gratis à nobis in illius comodum ellaboratum libenter excipiat: ſin minus; ingenij defectum ſtudioſæ voluntatis pondere compenſet.

Digitized by Google

DE VNIVERSALIBVS, ET IDEIS.

Introducitur quæſtio, & oſtenditur veritas aſſertionis Ariſtotelis: Vniuerſale eſſe poſterius ſingularibus. *Cap. I.*

SVBLIMIS, ac ſupernaturalis cum ſit actus omnis, per quem humanus intellectus, ſeipſum ad perfectionem, ac diuinorum conſimilitudinem redigendo, in rerum cognitione verſatur; præſtans tamen, eminens, ac inter cæteras expectibilis, (vt quippe, quæ ingentem vnà cum decore vtilitatem parit) eſt contemplatio de ratione vniuerſalium, ac de conditionibus Idearum, per quam vnius tantum inſpectione plurium ſibi noticiam comparando facile ditatur ingenium: quod excitatum ab Ariſtotele in tex. octauo primi de Anima laudabili curioſitate ennititur pro exacta veritatis inueſtigatione, quæ cum duplex obiectum habeat, vniuerſalia ſcilicet, & Ideas duplicem optat tractationem, quarum prior nobis erit de Vniuerſali: effectu intellectus, qui illius rationem, tanquam ex principio materiali, ex ſingularibus remote, ac proxime ex eorum imaginibus, ſpeciebus nempe in phantaſia, ſeu in ipſomet intellectu exiſtentibus inuicem comparatis, efformat, illorum rationem in vnum quodammodo vertens: non vano quidem, aut falſo conceptu; quando non ſit abſtrahere mendacium ex ſecundo Phyſicorum 18. ſed notionem conficiens, cuius realitas in ſingularium principali, ac maxima exiſtentia conſiſtit; juxta id Auerrois in duodecimo Metaphyſicæ 4. Quod intellectus rationem vniuerſalem in his, quæ ſunt efformat: vt iure Phyloſophus in præcitato contextu 8. teſtatum reliquerit, ipſum vniuerſale, aut eſſe nihil, aut poſterius ſingularibus.

Pro cuius aſſertionis recta intelligentia, & explicatione obſeruandum eſt quod cum duplex ſit vniuerſale actu, (quod enim in potentia eſt, vt ad rem alienum prætermititur) alterum ſecundæ notionis, quam ſcilicet ipſa mens ex ratione primæ notionis magis realis educit, ac eſtruit, vt dum ex ratione animalis, ſeu hominis extrahit intentionem generis, vel ſpeciei: Alterum vero primæ notionis, quæ proxime ex reali entitate ſingularium ellicitur, vt prædicta ratio hominis, animalis, ac entitatis: ex quibus quidem primis ſecundæ notiones auferuntur: Primi generis, ſcilicet ſecunda notio magis accedit ad nihil, cum nimis ellongetur à ſingularibus realiter exiſtentibus, nec aliam habeat eſſentiam, niſi quatenus eſt accidens quodam ſpirituale, cui intellectus illius auctor per differentiam poſſibilem ſubſtat: Vniuerſale vero alterius generis dupliciter licet accipi, tum ſcilicet formaliter, pro ipſa nimirum ratione vniuerſali à realitate ſuorum ſingularium præciſa: tum vero ſubiectiue, & fundamentaliter. i. pro conceptu ipſo complicato, ac correſpondente entitati ſingularium, ex quibus ellicitur: primo modo diſtat à realitate, & quatenus ens penitus rationale eſt accidens ſpirituale menti inhærrens, vt recte Auerroes ſuper litteram illius octaui con-

Vniuerſale nihil, aut poſterius ſingularibus.

Diſtinctio duplicis vniuerſalis.

Diſt. alia.

textus dixerit Mentem eſſe, quæ facit vniuerſalitatem in rebus: in ſecunda vero acceptione eſt ens reale, quoniam conditionum ſui fundamenti fit particeps, eademque ſuorum ſingularium realitate potitur, eſt enim in vtroque eadem ratio aliter, vel aliter conſiderata: quod optime noſcens Alexander in primo de Anima com. 25. ac in primo Natural. Quæſtionum cap. 3. protulit, eandem naturam, quæ indiuiduantibus conditionibus iuncta eſt ſingulare, ab eis diuulſam eſſe vniuerſale: & in primo de Cœlo contex. 92. habetur quod, dicendo cœlum ſignificatur forma: at per hoc cœlum, formam in materia denotari; Non enim in re vniuerſale à ſuis ſingularibus ſegregatur, vt docetur in ſeptimo Metaphyſicorum tex. 57. atque ex contextu eiuſdem operis 28. Homo non eſt niſi carnibus, & oſſibus circumplexus.

Diſtinctio duplicis prioritatis. Rurſus eſt adnotandum rationem prioritatis dupliciter vſurpari, tum ſcilicet in prædicando, & eſt id, à quo ad aliud non conuertitur exiſtendi conſequentia, ſed ſic è contra, vt animal, quod non infert neceſſariam exiſtentiam Petri, ſicut Petrus neceſſitatem inducit animalis: tum etiam dicitur prioritas in eſſendo: ex quibus duabus acceptionibus, primo modo vniuerſale eſſet prius ſuis ſingularibus: at ſecundo modo, ſcilicet in ratione eſſendi, eſt illis poſterius, adeo vt ex Ariſtotele in Prædicamento ſubſtantiæ eis omnibus ſublatis ipſum vniuerſale deſtrueretur: Ad quem ſenſum Auerroes in duodecimo Metaphyſicorum comm. 27. refert, approbatque ſententiam Alexandri aſſerentis, Vniuerſale ſumptum ſecundum eſſe poſterius eſſe ſingularibus: ſecundum mentem autem, ac rationem eſſe prius: Quibus addit idem Alexander in primo Naturalium quæſtionum cap. 11. quod ſi vniuerſale comparetur vnico tantum ſingulari, eſt illo prius; ſi vero comparetur omnibus, eſt poſterius.

Obiectio. Quibus cautionibus circumſepta Ariſtotelis aſſertio cuiuſque à ſe inuaſionis iniuriam arcebit: Si quis enim objiciat quoniam non videtur eſſe nihil, ſeu quaſi nihil id quod terminatiuum eſt intellectus, quod cadit ſub ſcientia, quodue definitionem obtinet; quoniam ex primo Poſteriorum cap. 1. de non ente non eſt ſcientia: vniuerſale autem terminat intellectum: cadit ſub ſcientia, ac ſub definitione, vt non videatur non ens vllo modo reputandum.

Solutio. Reſpondebitur etiam ens rationis terminare intellectum, qui illud concipit, paſſiue tamen in illius originali cognitione, quam ipſemet intellectus talem ſibi conceptum conſtruendo format: at etiam actiue in cognitione habituali, dum idem intellectus ex illa ſpecie, quam ſemel de tali ente formauit, deinde ad eiuſdem contemplationem mouetur: ſeu dicatur quod ens rationis in ſui cognitione originali nequet terminare intellectum per ſpeciem propriam: id tamen facere per ſpeciem alienam, entium ſcilicet realium, ex quibus ab intellectu educitur. Idemque ens rationis ſubire valet definitionem, ac ſcientiam rationalem: At vniuerſale, quod iuxta prædicta ſi formaliter, & preciſe à reali entitate ſingulariũ accipiatur, tanquam ens rationis, nequaquam ſcientiæ, ac definitionis realis capax eſſet: fundamentaliter tamen, & cum concretione ad realitatem ſingularium deſumptum, aptiſſime, & definitioni, & ſcientiæ reali adæquatur: Quod autem vniuerſale ſit nihil non protulit Philoſophus expreſſe, & abſolute: ac omnimode de ipſo præciſe tantum, & formaliter accepto ſignificare voluit, quod ſit non ens reale.

Obiectio. Et ſi objiciatur poſterioritati ipſius vniuerſalis reſpectu ſingularium, quoniam ex quinto Metaphyſ. in cap. de Priori tex. 16. quod eſt notius eſt prius: & vniuerſale tum ex præcitato loco, tum ex primo Phyſicorum 4. notius eſt ſingularibus: vt videatur eis eſſe prius. Et confirmetur idipſum ex eo quod partes definitionis priores ſunt toto definito ex 35. textu octaui Metaphyſicorũ: vniuerſaleque eſſe partẽ definitionis ſingularis, vt colligitur ex quĩto Metaph. tex. 30. ex ſecũdo Poſteriorũ, ac ex 6. Topic.

Solutio. Solutio ſtat in varia acceptione prioritatis, quæ cum multiplex ſit, altero modo ſumitur ordine intellectionis, ſecundum quem ratio illa imperfectior, quæ magis ſe tenet ex parte potentiæ, ac materiæ, & proinde magis eſt indeterminata, qualis eſt ratio vniuerſalis, eſt prior quatenus notior, iuxta adductam illam, litteram primi Phyſicorum

Digitized by Google

ſicorum quod: nobis ordine ſcientiæ illa ſint notiora, quæ ſunt magis confuſa: altero vero modo ſumitur prioritas in ordine eſſendi: quo quidem modo, quod magis habet de forma, de realitate, ac de determinatione ex actu formali proueniente, vt ſe habet de ſingulari, prius eſt. Similiter idem vniuerſale ex eo quod eſt pars definitionis, ſequitur vtique quod ſit prius ſingulari definito quo ad ordinem illum ſcientialem, qui imbecillitati noſtræ congruens inſtituitur, vt à notiori nobis, quamuis ſecundum naturam, in ſe, & per ſuam realitatem magis confuſo, ad nobis ignotum progrediamur: ordine tamen naturæ, & quo ad rationem eſſendi, neutiquam pars definitionis eſt ſuo definibili prior.

Obiectio.

Et ſi obijciatur adhuc, quoniam colligitur ex ſecundo Metaphyſicorum tex. 4. eadem eſſe principia eſſendi ac cognoſcendi: vnde cum omnibus concedentibus vniuerſalia ſint principia cognoſcendi ſua inferiora: eorumdem debent eſſe principia eſſendi, qualia quidem priora ſunt ſemper ſuis principiatis.

Solutio.

Erit reſponſio quod principia eſſendi ſunt, vtique principia cognoſcendi in cognitione ſcientiali, & perfecta, vt in primo tex. Phyſici operis docetur: non tamen è contra; multa enim ſunt, quæ conferunt ad rerum cognitionem, qualia ſunt accidentia, ex 11. contextu primi de Anima, quæ tamen non ſunt ijſdem rebus principia eſſendi abſolute ſaltem, ac primo, quamuis illarum productionis ſint principia diſpoſitiua, & accidentalia: Vnde dici etiam poteſt eadem eſſe principia etiam eſſendi, quæ ſunt principia cognoſcendi cognitione perfecta, & à priori: non ſic autem ſe habere de omnibus, quæ quocumq; modo ad alterius cognitionem conferunt. Et ſi inſitetur quoniam demonſtratio, ac definitio procedens per genus, & differentiam dicuntur eſſe à priori; & eas ingreditur vniuerſale. Reſpondebitur illas dici procedere à priori in reſpectu prædicationis, non autem quo ad realitatem eſſendi, niſi rationes illæ vniuerſales, quæ genus, & differentiam exprimunt, ſumantur fundamentaliter, & vt realitatem ſingularium repræſentantes.

Obiectio.

Et ſi vlterius arguatur quoniam æternum eſt prius corruptibili: vniuerſale vero æternum eſſe, ac ſingulare caducum.

Solutio.

Præhabitis inhærrendo reſpondebitur, quod ſi vniuerſale comparetur alicui determinato indiuiduo poterit quidem dici prius illo: at ſi comparetur omnibus ſingularibus ſub eo contentis, tunc falſum erit quod ipſum etiamſi æternum illa præcedat, quando numquam ipſum eſſe valuerit, quin aliquod ſingulare, ex quo formaretur adeſſet. Vel occuremus dicentes quod vtique vniuerſale eo modo, quo eſt æternum eſt ſingularibus prius: eſt autem æternum, non quo ad eſſe, & ſecundum rem; quia cum non ſit ſubſtantia, nec accidens prædicamentale, ſequitur vt nihil ſit quoad entitatem realem, ſed aliquod tantum intentionale; eſt autem perpetuum ſecundum intellectionem, ſecundum quam illius prioritas eſt iam conceſſa.

Obiectio.

Et ſi obijciatur inſuper, quia ex Ariſtotele in Poſtprædicamentis capite de Priori, id eſt prius altero, à quo ad illud non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia: quæ non conuertitur ab vniuerſali ad ſingulare; cum non ſequatur: eſt homo, ergo & Socrates, vt è conuerſo illatio à Socrate ad hominem currit;

Solutio.

Patebit ſolutio quoniam ordinem intellectionis reſpexit Philoſophus dum id prius ſtatuit à quo non conuertitur exiſtendi conſequentia; ordine namque naturæ, & quoad eſſe res ſecus ſe habet.

Replica.

Quod ſi inſtetur, quoniam etiam ordine eſſendi præcedere videtur vniuerſale ſuadente littera de Generatione Animal. cap. 3. quæ denotat prius generari vniuerſale quam ſingulare tradens, conceptum in vtero prius viuere vita plantæ, mox animalis, ac tandem ei naturam ſpecificam talis animalis aduenire: vnde & Auerroes in primo Metaphyſicorum comm. 17. dicebat prius materiam recipere formam vniuerſalem, deinde illa mediante ſubire alios formas vſque ad indiuiduales: vt inde videatur, quod etiam ordine generationis, ac conſequenter quoad eſſe ratio vniuerſalis ſit ſingularibus prior.

Solutio.

Reſpondebitur quod in fieri, & ordine generationis, quæ dificultatibus, & materiæ

imbecillitati, defectibuſque eſt obnoxia, non eſt mirum, ſi imperfectiori exordio quã exitu rationem vniuerſaliorem, indeterminatioremque genitum prius obtineat: At in facto eſſe, & ſecundum ordinem complete, atque perfecte eſſendi ſemper ratio ſingularis eſt prius in eſſe conſtituta, & ad perfectionem redacta. Addendum tamen quod quamuis in formatione embrionis generatur prius natura, quæ magis comprehenditur ſub ratione generica, quam ſub ſpecifica; non tamen id quod primo generatur eſt natura vniuerſalis, ſed eſt ſingulare generis, & non ſpeciei, quod ex ſuperadueniente ei ratione ſpecifica pariter non fit ſpecies, ſed indiuiduum ſpeciei; adeo vt numquam vniuerſale ſeorſum abſque contractione ad rationem ſpecificam, & indiuidualem ſubſiſtat: quod inconueniens eſſe ex infra dicendis apparebit.

Fundamentũ propoſitionis. Adeo vt ſtabilis maneat Ariſtotelica propoſitio valido rationum præſidio ſubnixa: ſemper enim effectus eſt poſterior ſua cauſa, vt etiam ex primo Poſterior. colligitur: vniuerſale vero cauſatur à ſingularibus tamquam ex principio materiali, ac veluti typo, ſecundum cuius ſpeciem ipſum vniuerſale humana mens effingit: vt recte Auerroes in 4. contextu duodecimi Metaphyſic. fateatur, vniuerſalia ſecundum Ariſtotelem collecta eſſe ex particularibus ab intellectu, qui accipit inter ea conſimilitudinem, & illa reddit intentionem vnam: quemadmodum & Themiſtius de Genere loquens dixerat ipſum eſſe conceptum quendam ex tenuſ particularium ſimilitudine collectum: quod cum ſemper ſit prius id, ex quo aliquid extrahitur, quam ipſa res extracta; inde de prioritate ſingularium reſpectu vniuerſalium non eſt dubitandum. Quod denuo eo confirmatur quoniam cum ex Ariſtotele in ſeptimo Metaphyſicorũ tex. 4. accidens ſit ſemper, & quocumque modo poſterius ſubſtantia, ideo quod accidit ſingularibus, eſt illis poſterius: & taliter ſe habet de vniuerſali formaliter ſumpto; accidit enim ſingularibus quod ſeu ſecundum propriam conditionem, ſeu ſecundum conceptum communem, & vniuerſalem intelligantur: quod recte nouit Alexander, qui in primo Naturali Quæſtionum capite 11. inquit: Actum abſtractionis per intellectum eſſe illius accidens: & Commentator in ſecundo lib. Paraphraſis Metaphiſicæ aiebat quod dum formæ abſtrahuntur ab intellectu, ab eoque illarum eſſentiæ percipiuntur, tunc eis in intellectu vniuerſalitas accidit; quoniam vniuerſalia ſunt ſecundę intentiones, quæ accidunt primis, ſeu rebus ab eis ſignificatis: idemque in ſeptimo Metaphyſ. comm. 46. protulit: vniuerſalia conditionem includere rerum extra animam exiſtentium, & qualitatem accidentem eis: hinc conſpicuum habetur quam recte tradiderit Ariſtoteles, vniuerſale poſterius eſſe ſuis ſingularibus.

Adducitur illorum opinio, qui Vniuerſale aliquod ens reale exiſtimarunt. Cap. II.

IPſum autem vniuerſale, quod plerique ex Peripateticis propius Ariſtotelem inſecuti reputarunt ens rationis, merum intellectus figmentum, ac purum nomen: vnde Nominalium titulum ſortiti ſunt, non abfuit tamen ab oppoſito iudicio eorum, qui exinde Realium nomen ſubeuntes; putarunt ipſum etiam à particularibus indiuiduis diſiunctum, aliquod ens reale, ac præter operationem intellectus habens eſſe: in quorum præſidium quæ afferuntur, vel afferri poſſunt hę ſunt.

Argument. 1 Primo ſcientiæ reales reale ſubiectum expoſcunt; differuntque in hoc à ſcientijs rationalibus, quarum ſubiectum eſt ens rationis: ſcientiarum autem ſubiectum eſt vniuerſale ex primo Poſteriorum contex. 44. ac ex ſeptimo Metaphyſ. 53. Quare ſequitur vniuerſale aliquod eſſe reale.

Reſponſio. Quod ſi reſpondeatur, conſiderari in illis ſcientijs vniuerſale per concretionem cum ſuis ſingularibus ipſorum realitatem, ei communicantibus.

Replica. Inſurgit contra obiectio, quoniam non conſideratur vniuerſale vt connexum, & particeps realitatis ſingularium, dum conſideratur per comparationem, & contra diſtinctionem ab illis: id autem fit præſertim in procemio Phyſicorum, vbi habetur mẽtio de vniuerſali per contradiſtinctionem à ſingularibus, quibus ibi comparatur:

Quare

Digitized by Google

Quare per realitatem, non ſingularium, ſed propriam videtur fieri capax ſcientiæ realis.

Arguitur deinde quoniam Prædicamenta ſunt entia realia. Ariſtoteles etenim in *Argument.2*
ſexto Metaphyſicorum 4. cum diuiſiſſet ens in reale, & rationale, ſtatim ſubdiuiſit reale in decem Prædicamenta: ea autem ſunt genera generaliſſima, ac ideo vniuerſalia: Quare vniuerſalia videntur entia realia.

Et confirmatur quoniam Philoſophus in Prædicamentis loquens de ſubſtantia *Confirmatio.*
prædicamentali, cuius eſt ſubſiſtere, diuiſit illam in primam, quæ ſunt indiuidua, ac in ſecundam, qualia ſunt genera, & ſpecies ſubſtantiæ: quæ quidem genera, ac ſpecies ſunt vniuerſalia.

Arguitur itidem quoniam, vt tradit Philoſophus in ſecundo de Anima, duplices *Argument.3*
ſunt virtutes animæ, aliæ actiuæ, vt alere, augere, ac generare: & aliæ paſſiuæ, vt ſentire, & intelligere: quæ differunt inuicem quatenus actiuę circa ſuum obiectũ agunt, illudque diſponunt, ac ellaborant: paſſiuæ vero ſuum obiectum (vt viſus colorem) actu exiſtens præſupponunt: Vniuerſale eſt obiectum intellectus: ergo non debet ab ipſo produci, ſed actualiter præexiſtens ſupponi.

Præterea id, de cuius eſſentia ſunt particularia actu exiſtentia, debet actu exiſtere: *Argument.4*
indiuidua vero actu exiſtentia ſunt de eſſentia ſuorum vniuerſalium, quæ de eis prædicantur: vnde ſequi videtur vniuerſalia actualem ſcientiam habere.

Adeſt & argumentum, quod Burleus in primo Phyſicorum ſic formauit: Nullus *Argument.5*
appetitus naturalis ad aliquod impoſſibile, vel ad nihilum terminatur, vt ex Ariſtotele in primo Phyſicorum colligitur: At homo eſuriens appetit cibum abſque determinatione ad hunc, vel ad illum: vnde ſequi videtur quod cibus in vniuerſali ſit aliquod realiter exiſtens.

Amplius diuerſitas duorum realem vtriuſque entitatem requirit; diuerſum enim eſſe præſupponit eſſe: & omne, quod eſt, ideo eſt quia eſt vnum numero ex Boetio in *Argument.6*
libro de Vnitate & Vno: vnde ens & vnum reciprocantur: Natura autem hominis eſt diuerſa à natura equi: Quare natura tum hominis, tum equi eſt aliquod actu exiſtens, ac vnum.

Additur quod niſi vniuerſale haberet verum eſſe reale, non magis conuenirent in *Argument.7*
re duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quam duo ſpecierum diſtinctarum: quoniam ſi id in quo conuenire dicuntur non eſſet ens reale ſequeretur, indiuidua illa non minus, quam indiuidua diſtinctarum ſpecierum carere aliquo reali, in quo conuenirent: vnde nullatenus conuenirent ex parte rei; quod conſequens falſum eſt: Quare &c.

Argui etiam ſolet quoniam id quod vere, ac proprie eſt definibile, id citra opera- *Argument.8*
tionem intellectus habet verum eſſe reale; definitur enim res, non conceptus, qui eſt ipſa definibili re poſterior: ſpecies vero ſpecialiſſima, quæ eſt verũ vniuerſale, eſt id quod ſolum, ac proprie definitur, vt tradit Boetius: quiaue ex Ariſtotele in duodecimo Metaphyſicorum ſingulare non demõſtratur; vnde nec pariter definitur, quod cum vniuerſale generis aut nihil, aut poſterius ſit: relinquitur ſola ſpecies, quæ definiri valeat; vt videatur veram realitatem habere.

Tandem quia ſi repugnat vniuerſalibus inferioribus habere eſſe reale, multo ma- *Argument.9*
gis id vniuerſali omnium ſupræmo repugnaret: At ens quod omnium vniuerſalium ſupræmum eſt habet eſſe reale: & probatur primo, quia primum motiuum intellectus realem entitatem ext. a animam optare videtur, quod enim mouet potentiam ad aliquem actum debet illum actum præcedere: & ens eſt primum motiuum intellectus ſecundum Auicennam in primo Metaphyſ. cap. 5. Et rurſus probatur, quia quod quiditatiue includitur in ratione quiditatiua reali eſt reale; quoniam nullum reale in ſua quiditatiua ratione aliquod ens rationis includit: Sed ratio entis quiditatiue includitur in ratione quiditatiua cuiuſque entis realis: vnde ſequitur ens vniuerſaliter ſumptum eſſe aliquid reale; ac conſequenter, quod vniuerſalia actu præter operationem animæ reperiri, non inconueniat.

Digitized by Google

Allatæ opinionis reiectio, ac veritatis explanatio. Cap. III.

Ratio 1. PRæhabitam vero poſitionem acriter vrget authoritas Ariſtotelis expreſſe in primo de Anima 8. pronunciante: Vniuerſale, *aut nihil eſſe*, ideſt non eſſe reale, *aut eſſe poſterius ſingularibus*, vt ſcilicet non aliud ſit quam quædam notitia ſuorum ſingularium ab intellectu collectorum.

2. Quod confirmatum voluit idem Phyloſophus in ſeptimo Metaphyſicorum dum aduerſus Ideas diſputans inquit omnem ſubſtantiam propriam eſſe ei, cuius eſt ſubſtantia: id enim verificari non poteſt de vniuerſali, quod non eſt alicui proprium, ſed omnibus commune: vt propterea ſi ipſum actu reperiretur, non eſſet ſubſtantia.

3. Expreſſeque ibidem inquit Phyloſophus, nullam ſubſtantiam pluribus eſſe communem: omne autem vniuerſale pluribus eſt commune.

4. Et talem veritatem adhuc rationes confirmant: præſertim quia ſi in Socrate exempli gratia vniuerſale, vt animal, ſeu homo eſt aliquod reale, ſequetur illud vniuerſale aliquid addere Socrati: & hoc non diceret aliquis quod ſit accidens: quare eſſet ſubſtantia: quod cum omnis ſubſtantia ſit materia, aut forma, aut compoſitum; conſequens eſſet in Socrate duas materias, vel duas formas, ſeu duo compoſita reperiri.

5. Et adhuc ſequeretur duo vniuerſalia, vt animal, & hominem eſſe duo entia realia, inter ſe diſtincta; quod inconuenientiſſimum eſt, cum vnum illorum prædicetur de alio.

6. Accedit quod ens omne reale eſt vnum numero, vt docet Boethius in eius opere de vnitate, & vno: vniuerſale autem non eſt vnum numero, vt ex ſe eſt conſpicuum: Nec licet dicere Boethium ibi loqui de ſingularibus tantum: Non inquam, quoniam eſſet petitio principij dicere, quod eſt vnum numero omne ſingulare, cum ſingulare, ac vnum numero idem ſint.

7. Inſuper quoniam ex illa poſitione ſequeretur vniuerſale eſſe quodam totum reale; cum enim ex primo Phyſicorum 4. ipſum vniuerſale ſit quodam totum quatenus multa comprænendit: idcirco ſi haberet verum eſſe reale, eſſet aliquod totum reale: id autem non eſt, quoniam nil reale habet in quacunque ſui parte totam eſſentiam, vt ſe habet de vniuerſali, cum de quacunque ſui parte directe, ac eſſentialiter prædicetur: vnde non videtur eſſe reale.

8. Ac denique hoc vniuerſale habens verum eſſe reale, aut eſſet in anima, aut extra animam: non primum, nam omne reale, quod in ipſa anima rationale exiſtit, vel eſt actus intellectionis, ſeu ſpecies expreſſa, vel ſpecies intelligibilis impreſſa, vel habitus eius: quorum nullum eſſet vniuerſale reale, cum ipſum, etiam ſecundum eos, prædicari deberet eſſentialiter de his, quæ ſunt extra animam, de quibus nullum ex huiuſcemodi entibus prædicatur: Nec ſecundum, etenim aut eſſet extra animam ſubſiſtenter, aut inhærrenter: non primo modo quoniam id coincidit cum poſitione Idearum per ſe exiſtentium, eo ſcilicet modo, quo ab Ariſtotele impugnantur, vt inferius conſiderabitur: nec etiam inhærrenter, quoniam incideretur in eandem poſitionem cum errore illorum, qui diſtinguunt Ideas à ſuis inferioribus quo ad eſſe, non autem ſubiecto; ponunt enim ipſas illorum quiditates de eis eſſentialiter prædicantes, ac proinde ſubiecto eis concretas; nil enim eſſentialiter prædicatur de aliquo, a quo ſit ſubiectiue diſtinctum: Quiaue nulla quiditas (qualis ſtatuitur ab illa opinione Ideā reſpectu ſuorum ſingularium) ab eo cuius eſt quiditas realiter, ac ſubiectiue ſegregatur.

Opinio quorundam Nominalium. Tales autem rationes, & aliæ, quæ in primo capite commemoratæ ſunt nonnulles ex Nominalium ceu adeo ſubijcierunt, vt longe nimis à prædicta opinione recedentes quamcunque realitatem ab vniuerſalibus quouis modo acceptis ablegauerint: ipſaque meras eſſe notiones, ac entia abſolute rationalia aſſeruerint.

Improbatio ex Alexādro. Quos iure carpit Alexander in lib. de Problematibus Naturalibus Problem. 3. inquiens

quiens

quiens definitiores, quæ à nobis formantur non eſſe de notionibus in mente exiſtẽtibus, quoniam definientes hominem per animal rationale, non definimus in anima exiſtentem notionem, quæ neutiquam eſt animal rationale: Sed inquit definitiones eſſe rerum ſingularium, quas mens vniuerſales facit præſcindendo ipſas à proprietatibus, differentijs, proprijſque accidentibus, per que ſunt ſingularia; vniuerſale enim iuxta ipſius Alexandri ſententiam, non eſt notio plurium particularium collectorum: Sed vnius particularis vniuerſaliter conſiderati. Et id eo probatur quoniam actus diſtinguuntur per obiecta, quemadmodum & potentiæ diſtinguuntur per actus ex ſecundo de Anima contex. 22. vnde ex multis indiuiduis, cum ſint plura obiecta, nequet vnica notio confici: Sed vnica notio vniuerſalis non niſi vnum ſingulare (ſecundum rationem tamen vniuerſalem) ſignificare videtur. *Fundamentum.*

At pro reſolutione talis quæſtionis recolenda eſt iuxta prædicta diſtinctio acceptionum vniuerſalis, quod aliud eſt poteſtate; & hoc adhuc duplex; quatenus aliud eſt vniuerſale in potentia, quoad actum mentis, qualis eſt eſſentia rei ſingularis non adhuc intellectus agentis vi ex indiuiduantium conditionum inuolucro exempta: vel quoad actum naturæ, veluti ſi in vniuerſo vnicus mulus, vel vnica roſa reperiretur: vnde Alexander in primo Natural. Quæſtionum cap. 3. ac in 11. dixerat, Prædicatum vniuerſale verum eſſe etiamſi vnicum reperiretur ſingulare: & in primo de Cęlo contex. 92. habetur quod materiata forma vel multiplicata eſt, vel apta multiplicari: ex quo recte concluditur quod naturæ ac eſſentiæ rei multiplicatio actu eſt accidens, potentia vero multiplicationis, ſiue multiplicabilitas, eſt illius rationis eſſentialis: quod itaque vniuerſale in potentia vtroque modo habet verum eſſe reale: at id non vere eſt vniuerſale, quemadmodum nec homo in potẽtia eſt vere, ac proprie homo: Aliud vero eſt vniuerſale actu, quod ſubdiuiditur in ſecundam intentionem non immediate obiectum realem, ſed notionem ex ipſo reali obiecto deſumptam ſignificantem, vt genus, definitio, æquiuocatio, & alia huiuſmodi; quæ quidem ſunt entia penitus rationalia; nulla enim eis natura in re proxime reſpondet: ac in primam intentionem, quæ rurſus ſubdiuitur in vniuerſale deſumptum formaliter, quod eſt ens rationis habens eſſe duntaxat in intellectu: ac fundamentaliter acceptum, quo quidem modo habet idem eſſe reale, quod & ſingulare, cum ſit notio realis naturę ſingularis, quæ ab intellectu per differentiam agentem fit vniuerſalis per pręciſionẽ illius à differentijs, ac cõditionibus indiuiduantibus. Et iuxta hanc dificultatis ennodationem facilis oppoſitarum rationum ſolutio reddetur. *Reſolutio quęſtionis.* *Quomodo vniuerſale ſit ens reale.*

Occuritur argumentis abſolutam realitatem in vniuerſalia inducentibus. Cap. IIII.

Argumentis itaque abſolutam realitatem vniuerſali attribuentibus occurendo: circa primum quod afferebat ſubiectum ſciẽtiarum eſſe quid reale, & vniuerſale; obſeruandum eſt iuxta prædicta, vniuerſale poſſe dupliciter intelligi, primo ſcilicet fundamentaliter, ideſt quoad ſingularia, in quorum entitate radicatur: ac ſecundo formaliter, nimirum pro eſſe, quod habet in ſe à ſingularibus diſtincto: primo modo vtique habet eſſe reale; quandoquidem particularia, quæ tali vniuerſali reſpondent habeant eſſe reale extra animã, ac citra operationem intellectus; quod tamen eſſe reale nõ habet quidem diſtinctum à ſuis ſingularibus; cum non aliud ſit ipſum vniuerſale, quam notio quædam formata ab intellectu per collectionem plurium naturarum ſingularium ab indiuidualibus conditionibus abſtactorum: quo quidem modo ſumptum ipſum vniuerſale proprie, ac vere eſt ſcientiæ ſubiectum: ſecundo vero modo nec habet eſſe reale, vt probant præallatæ rationes; nec in tali reſpectu eſt obiectum ſcientiarum; quippe cum ſcientiæ eſſentia realis naturarum ſingularium vt ſubiectum reſpondeat. *Solutio 1. argumenti.*

Et cum aduerſus reſponſionem inſtatur eo quod in ſcientijs, & præſertim in proœmio Phyſicorum conſiderantur vniuerſalia percontra diſtinctionem à ſingularibus. Reſpondemus primo quod ibi accipiuntur in ratione prædicandi, & quatenus maioris, *Replica ſolutio.*

Digitized by Google

ris, vel minoris ſunt ambitus in inferioribus comprahendendis, non autem vt contradiſtincta in ratione eſſendi, ac in entitate reali, quæ radicaliter ipſis ſingularibus ineſt. Addimuſque nil refere quod quouis modo ſumantur ibi vniuerſalia, vbi ſiquidem non conſiderantur in ratione ſubiecti: ſed tantum vt quid, veluti inſtrumētum conferens ad comparandam notitiam illorum, quæ vt ſubiectum conſiderantur.

Solutio 2.

Et cum deinde arguitur eo quod Prædicamenta, quæ ſunt vniuerſalia, ſunt entia realia: ſuccurrit eadem præallata diſtinctio: Prædicamenta namque quoad fundamētum vtique ſunt entia realia: formaliter vero, & quo ad ſolam rationem vniuerſalis non ſunt entia realia, ſed notiones, atque entia rationis: ac propterea conſimiliter ſe habet de quocunque vniuerſali, quod in reſpectu ſui fundamenti eſt quid reale: formaliter verò, & præciſe conſideratum non aliud eſt quam ens rationis.

Confirmationis ſolutio.

Exindeque ſoluta habetur & ſubſequens confirmatio: Secundæ enim ſubſtantiæ, quia ibi conſiderantur fundamentaliter, & vt concretæ ſuis inferioribus indiuiduis realiter exiſtentibus, ideo iure accipiuntur vt entia realia, ſignificant etenim naturas ſingularium vniuerſaliter tamen conſideratorum: quod ſi conſiderarentur tanquam vniuerſalia formaliter, & cum reduplicatione quatenus vniuerſalia ſunt: ſic nō aliud eſſent quam notio.

Solutio.

Et cum tertio arguitur eo quod intellectus cum ſit virtus paſſiua debet ſuum obiecta in actu præſupponere: animaduertendum eſt pro ſolutione, duplex eſſe obiectum intellectus, aliud ſcilicet primo & per ſe motiuum intellectus, qualis eſt præſentia rei ſingularis ſenſibilis, ſeu ſpecies, quæ eſt illius ſimulacrum à ſenſibus formatum, & ex phantaſia intellectui oblatum, quale eſt phantaſma Socratis, ſeu alicuius albedinis particularis: & tale dicitur primo motiuum intellectus, quoniam per ſe originalem intellectionem in mente produxit: Aliud vero eſt obiectum non primo & originaliter motiuum intellectus, quamuis ipſum poſſit mouere cognitione poſteriori, & habituali, at terminatiuum actus intellectionis: & huiuſmodi eſt vniuerſale, quod non primo mouet intellectum; cum non ſit cognoſcibile niſi prius ab ipſomet intellectu formetur: ſed tantum eſt intellectionis terminatiuum, dum vel primo ab intellectu conficitur, vel dum iam in eſſe conſtitutum, & impræſſam ſui ſpeciem in intellectu tenens ipſum per ſe mouere, & actum intellectionis tanquam motiuum terminare valet. Quapropter ad argumentum eſt dicendum quod intellectus vt potentia paſſiua præſupponit in eſſe obiectum primo, & originaliter motiuum, quale eſt ſingulare: non autem obiectum terminatiuum tantum intellectionis, ſeu motiuum non primo, & originaliter, quale eſt vniuerſale.

Inſtantia.

Quod ſi quis inſtet quia cum virtus paſſiua præſupponat ſuum obiectum, propterea non videtur dicēdum quod intellectus vniuerſalia reddat intelligibilia, nec quod in ipſis aliqualiter agat.

Solutio.

Reſponderi primo poteſt quod intellectus poſſibilis vt virtus paſſiua, non valet quidem agere in ſuum obiectum: at munere intellectus, ſeu differentiæ agentis in eo agere, ipſumque ex ſingularitate ad vniuerſalitatem traducere abſque vlla inconuenientia poteſt: Dici poteſt ſecundo intellectum non poſſe quidem agere in ſuū obiectum ipſum alterando, & aliter diſponendo quoad modum eſſendi: poteſt tamen abſque abſurditate id efficere quoad modum cognoſcendi. Sed præſtat dicere tertio nō conuenire intellectui, qui eſt facultas paſſiua agere in ſuum obiectum, ipſumque alterare in illa ratione, qua eſt eius obiectum: vt ideo in ratione entis, quod eſt illius obiectum commune, ſeu in ratione quidditatis materiatæ, quæ eſt obiectum eius formale, & adæquatum, nequaquam agere, aliquamue eis impræſſionem, aut ellaborationem inferre valet: vniuerſale vero ex ſe, ſcilicet ſecundum propriam rationem vniuerſalitatis, non eſt eius obiectum, ſed eſt modus quidam, quo ipſum obiectum, ſcilicet quiditatem materialem aprehendit, in quem propterea non eſt inconueniēs quod agat, ſeu quod ipſum ſibi conficiat: quemadmodum & viſio, quæ eſt facultas paſſiua, nequet colorem conſtruere: at eiuſdem colorati elligere ad inſpiciendam partem hanc, & non illam libere poteſt.

Nec

Digitized by Google

Nec rurſus inſurgas dicendo id eſſe obiectum intellectus, per cuius cognitionem ipſe intellectus ab alijs cognoſcitiuis facultatibus eſt diſtinctum: at intellectus à ſenſu diſtinguitur paſſim ex Ariſtotele per id, quod ſenſus eſt ſingularium, & ipſe eſt vniuerſalium, vt in primo Poſteriorum contex 134. in ſecundo eiuſdem cap. vltimo in primo Phyſicorum 49. ac in ſecundo de Anima 60. vt ipſum vniuerſale videatur obiectum intellectus. *Inſtantia.*

Reſpondebitur etenim in his locis non afferri ab Ariſtotele diſcrimen intellectus à ſenſu per cognitionem vniuerſalium, quia vniuerſale ſit illius obiectum, & limites illius cognitionis præſcribat: hoc enim falſum eſſet, cum ipſa experientia conſtet ſingularia non minus, quinnimo priuſquam vniuerſalia, ab intellectu cognoſci: Sed quoniam ipſe ſeruans ſuam regulam in primo de Cælo ſtatutam quod virtutes menſurentur per maximum, quod facere poſſint, conſiderat in intellectu cognitionem vniuerſalium tamquam modum illius actionis elleuatiorem, per quem excedit vires ſenſus, qui ſuum obiectum ſecundum rationem tantum ſingularem apræhendere valet: vnde quemadmodum ſenſus non habet pro obiecto ſingulare, ſed id quod per ſingularitatem tamquam per modum, & conditionem illud appræhendendi cognoſcit: ſic & ipſius intellectus vniuerſale non eſt obiectum, ſed modus, ac conditio, per quam quiditatem materialem ei obiectam appræhendit: de qua quidem conditione non conuenimus cum Latinis quibuſdam auferrentibus intellectui cognitionem ſingularium, quod ſit conditio neceſſaria, & intellectionem antecedens: Sed dicimus eſſe conditionem conſequentem; quia ſcilicet opere intellectus, & ex ipſo actu intellectionis aduenit obiecto intellecto accidentalis hæc conditio vniuerſalitatis. *Solutio.*

Alterum ſoluit repetita iam obſeruatio de duplici acceptione vniuerſalis; quod ſi conſideretur in ratione fundaměti, quatenus ſcilicet id quod ex nomine illius, ac eius inferioris ſignificatur, eſt eſſentialiter idem: quemadmodum ea vox (animal) ac ea rationale, idem ſignificant quod & notio alicuius hominis ſingularis: in hoc ſenſu recte dicitur eſſe de eſſentia ſingularis, ac prædicari de ipſo: ſi vero conſideretur formaliter: falſo concludit argumentum; cum tale ſit ens rationis non aptum prædicari in recto de ente reali, quale eſt ſingulare formaliter ſumptum. *Solutio 4.*

Ad quintum reſpondetur negando quod eſuriens appetat cibum vniuerſalem, cum cibus vniuerſalis non reperiatur in eſſe; appetit enim hunc, vel illum cibum: vel ſaltem appetit cibum particularem ſub ratione vniuerſali, vt ſi appetat panem non cum determinatione ad hunc, vel ad illum ſed indiſcriminatim vtrumque deſiderat, quoniam pariter ab vtroque ſaturari valet: vnde ille nō eſt dicendus appetitus obiecti alicuius vniuerſalis, ſed multorum particularium, cum appetitus, non in pane vniuerſali, ſed in indiuiduis materiæ, ſoliditati, realique ſapori concretis immineat. *Solutio 5.*

Et cum additur quod natura hominis, & natura equi abſque aliquo opere intellectus ſunt diuerſæ. Reſpondendum eſt quod natura hominis, & equi ſi conſiderentur in ratione vniuerſalitatis, tunc cum in tali ſenſu non aliud ſint quam notiones, ac entia rationis, neutiquam valent abſque opere intellectus inuicem diſtingui: ſi vero cōſiderentur ſecundum naturam ſpecificam, dupliciter hoc contingit: quia vel reſpicitur natura hominis, ſeu equi reperta in ſingulari homine, vel equo, & ſic cum talia entia ſint particularia, vera proinde, ac reali entitate predita; ſit propterea vt abſque aliquo intellectus opere inuicem diſtinguantur; id enim non aliud eſt niſi ipſorum indiuiduorum diſcrimen, quod abſque operatione mentis realiter extat: vel reſpicitur natura hominis aut equi, vt reperta in pluribus hominibus, aut equis: & tunc non eſt vnica quiditas humana diſtincta à quiditate equi: ſed ſunt multæ quiditates hominum diſtinctæ à multis quiditatibus equorum; vnuſquiſque enim homo, ac quiſlibet equus eſt vna quiditas particularis, quæ ab alia tum genere, tum ſpecie, tum numero diuerſa diſtinguitur: Non itaque ſequitur quod natura hominis vt eſt vna in pluribus ſuppoſitis, ita ſit in ſeipſa realiter vna; eſt enim vna duntaxat quatenus in vnoquoque ſingulari ſuppoſito conſimiliter reperitur. *Solutio 6.*

Ad ſeptimum reſpondemus quod vniuerſalis ratio ſpecifica, quamuis non realiter *Solutio 7.*

Digitized by Google

afferat, denotat tamen conuenientiam duorum indiuiduorum ei inferiorum maiorē quam habeant duo indiuidua diſtinctorum ſpecierum, quæ quidem maior, vel minor ratio conuenientiæ non debet realiter ineſſe rationi vniuerſali, cui ſatis eſt vt denotet, ac repræſentet ipſam realiter exiſtentem in ipſis ſingularibus: In quibus quidē eiuſdem ſpeciei in quonam maior conuenientia conſiſtat; dicunt aliqui exinde quod talia indiuidua non differunt per formas, & eſſentias, ſed tantum per principia indiuiduantia, exiliorem diſtinctionem afferentia: ex eo quia quæcumq; natura ſpecifica per ſe vnica eſt, cui non contingit multiplicari propter eius ſuppoſita, quæ ex conditionibus indiuiduantibus plurificantur iuxta id Ariſtotelis in ſeptimo Metaphyſic. quod forma non multiplicatur, niſi ex appoſitione materiæ: duo autem indiuidua diuerſarum ſpecierum diſcrimen habent in eſſentijs, ac formis: Alij vero conſiderantes quod conuenientia quælibet in ratione vniuerſali non aliud eſt, quam quædam indiuiduorum ſimilitudo: vnde dicebat Auerroes in præcitato contextu 4. duodecimi Metaphyſic. vniuerſale ex mente Ariſtotelis eſſe collectionem ex ſingularibus ab intellectu, qui accipit inter ea ſimilitudinem: & Themiſtius pariter inquit, quod Genus eſt conceptus quidam, ſiue Hypoſtaſis ex tenui ſimilitudine particularium collecta: adnotarunt propterea duplicem eſſe ſimilitudinem, aliam ſcilicet intrinſecam, quæ fundatur in quiditate intrinſeca, eſſentialiq; ratione rerum; & extrinſecam quæ conſiſtit in aliquo, quod non eſt de ratione quiditatiua, & eſſentiali rerum, vt cum duo animalia conueniunt in magnitudine, alijſue accidentibus illorum naturæ externis: ac inde dixerunt conuenientiam duorum indiuiduorum eiuſdem ſpeciei ideo maiorem eſſe, quia eſt per rationem intrinſecam; ſecus quam indiuidua diuerſarum ſpecierum, quibus non niſi extrinſeca ſimilitudo competere valet.

Solutio 8. Subſequenti reſpondetur vtique vere definibilem eſſe rationem ſpecificam, quæ prædita eſt neceſſarijs circumſtantijs definitionis, ſcilicet genere, & differentia: quibus tamen quemadmodum & ipſi rationi ſpecificæ realitas ad definitionem requiſita correſpondet in re intra ſingularia: in quibus tantum, & non in ratione vniuerſali ſpecifica per ſe, & præciſe ſumpta verificantur ea, quæ tradita ſunt in definitione: ſi enim definiatur Leo per animal cuius naturam ſequitur facultas rugiendi; id nequaquam verificabitur de vniuerſali ratione ſpecifica, quæ per ſe non apta eſt ad rugendum: vel cum pariter definitur homo, quod ſit animal rationis compos, & mortale: id non adæquatur rationi ſpecificæ, quia ſecundum Philoſophiam Ariſtotelis non eſt mortalis: ſed ſingularibus tantum vere, & quoad rem in natura, ac extra animam exiſtentibus: ad quem ſenſum ſcire Auerroes in commentario 8. primi de Anima tradit: non opinatum eſſe Philoſophum, quod definitiones generum, & ſpecierum ſint definitiones rerum vniuerſalium extra animam exiſtentium: ſed eas eſſe definitiones rerum particularium extra intellectum: ipſumq; intellectum eſſe, qui facit in illis vniuerſalitatem.

Solutio 9. *Ens vniuerſaliter ſumptū nō eſt aliquid reale.* Poſtremo libere negandum eſt: Ens vniuerſaliter ſumptum aliquid eſſe reale præter ſingularia: cuius negationis rationabilitas præter ſuperallatas rationes potentiſſime adhuc exinde ſuadetur quia, ſi Ens vniuerſaliter ſumptum haberet tale eſſe reale ab indiuiduis ſeparatum ſequeretur id ens eſſe non ens, ac nihil, quod eſt implicatio contradictionis: & conſequentia deducitur, quoniam quod non eſt actu, vel potentia, eſt nihil; diuidit enim Philoſophus in Metaphyſicis Ens in actum, & potentiam, adeo vt nullum ens reperiri valeat, quin ſub aliquo ex his duobus comprehendatur: Ens vero vniuerſale neutrum ex his eſſet: & probatur quoniam commune ſe habet ad ſua inferiora per abnegationem, debet enim ad illa eſſe indifferens, & quod eſt indifferens adeo vt cuique ex illis conueniat, non debet determinari ad naturam vnius vel alterius: Vnde quia Ens in vniuerſali per ſe ſubſiſtens eſſet commune actui, & potentiæ, non poſſet dici ens actu, quia tunc non amplius prædicaretur de ente in potētia: nec dici poſſet ens in potentia, quia non amplius comprahenderet ens actu, ac conſequenter ſe haberet per abnegationem actus & potentiæ, eſſetq; ens, & nihil. Et

ad

Digitized by Google

ad probationem primam negamus rationem entis vniuerſaliter ſumpti eſſe primùm motiuum intellectus, qui ſiquidem primo, & originaliter mouetur a ſingulari, ac determinato ente, quod habet per ſe eſſe, & cognoſcibilitatem, primoq; offertur intellectui; ſed tantum in cognitione ſcientiali, & perfecta primo cognoſcitur vniuerſale, qualis eſt ratio entis ob maiorem facilitatem prouenietem ex illius ſimplicitate, cum ex oppoſito natura ſingularis percipi nequeat perfecte niſi cognitis quamplurimis, que ad rem ſingularem conſtituendam concurrunt. Alteri probationi cum dicitur rationem quiditatiue incluſam, in ratione quiditatiua reali eſſe realem: id concedendum eſt: ſed ad minorem, quæ eſt rationem entis quiditatiue includi in ratione quiditatiua cuiuslibet rei: dicendum eſt, quod vel hec ratio Entis intelligitur fundamentaliter, & per concretionem ad naturam ſingularem realiter exiſtentem; vnde approbanda eſſet aſſertio: vel intelligitur in communi, ac pro vniuerſali formaliter ſumpto: & ſic eſt falſa; quando ens vniuerſe ſumptum, cum non ſit ens reale, nequeat quiditatiue includi intra quiditatem entis realis.

Adducitur opinio Scoti de ratione Vniuerſali, ac illius fundamenta. Cap. V.

SCotus in ſecundo ſent. diſt. 3. quæſt. 1. concedés naturam vniuerſalem genericam, ac ſpecificam non ſubſiſtere, inquit tamen quod actu ſubſiſtit in indiuiduis natura quædam communis, & indifferens, cuius maior eſt vnitas, quam vnitas ſpecifica, & minor vnitate numerica, adeo vt inter vtramque vnitatem ſit media. & apta ad vtrumque contrahi: Conſiderat enim Scotus in vno indiuiduo, puta Socrate duo reperiri: primo naturam communem, & indifferentem, qua eſt homo: ſecundo aliquid, quo redditur hic homo ſingularis: ex quibus quoniam natura communis, qua eſt homo, nimirum humanitas eſt prior eo ſingulari, quo contrahitur ad rationem indiuiduam; proinde infert eſſe ex ſua natura ab illo ſingulari abſtahibilem: ac conſequenter ſubſiſtere realiter in Socrate naturam huiuſmodi ſpecificam ſingulis hominibus communem: *Argument. 1* ex cuius poſitionis fundamentis, vt præcipua referantur, alterum innititur authoritati Ariſtotelis in decimo Metaphyſ. tex. 7. tradentis in omni genere eſſe aliquod vnum illius generis primum, per cuius acceſſum, & receſſum menſurantur rerum perfectiones: Quod quidem vnum (inquit Scotus) non eſt vnum numero, quoniam cum tale ſit corruptibile, fieret vt huiuſmodi rerum menſura non ſemper reperiretur: Nec eſt vnum genere, vel ſpecie, quia cum talia habeant eſſe tantum in intellectu, non poſſet per huiuſmodi vnum menſurari perfectio rerum, quæ conſiſtit in re: Vnde relinquitur, quod adſit hec natura communis ex parte rei ſubſiſtens, quæ ſit perfectionis rerum menſura.

Inſuper in quinto Metaphyſicorum cap. de Relatiuis inquit Philoſophus tres eſſe *Argument. 2* relationes, nempe ſimilitudinem, æqualitatem, & identitatem, ſubinferens ea eſſe ſimilia, quorum qualitas eſt vna, illa æqualia quorum vna eſt quantitas: eaq; eſſe eadem, quorum vna eſt ſubſtantia: Talis autem vnitas, quæ eſt fundamentum illarum relationum vel ſit qualitas; vel quantitas, vel ſubſtantia, non eſt cenſenda vnitas in numero; nam inter eadem numero non ſolet fieri comparatio: nec eſt vnitas genere, vel ſpecie, cum tales ſint ſolum in intellectu: Quare debet eſſe vnitas ſecundum naturam communem, & his indiuiduis indifferentem.

Præterea obiectum ſenſus, puta viſus eſt ſingulare; nam ſingulare eſt id, quod mo- *Argument. 3* uet ſenſum: illud vero ſingulare eſt vnum, non numero; nam tunc deberet ſenſus diſcernere vnum ſingulare ab alio, & diſtinguere inter duo ſingularia omnino ſimilia: quod tamen non euenire eo probatur quia, ſi quatuor adſint oua, vel denaria valde ſimilia, & illorum vnum inſpiciatur, quod deinde cum alijs permiſceatur: tunc ſenſus non poterit amplius ipſum diſcernere: vnde quod mouet ſenſum non videtur eſſe vnum numero: quod cum neq; ſit vnum ſpecie, cuiuſmodi non eſt niſi in intellectu; ſequitur qđ vnũ min⁹ vnitate numerali, ſed maius vnitate ſpecifica, realiter ſubſiſtat.

Adhuc

Digitized by Google

Argument. 4 Adhuc quoniam ex ſeptimo Metaphyſic. contex. 30. generans & genitum debent eſſe vniuoca: talis autem vniuocatio non conſiſtit in vnitate numero, vt quiſquis concedet: nec in ſpecifica, cuius eſſe eſt in intellectu: quare eſt ſecundum vnitatem prædictam.

Argument. 5 Arguitur etiam quoniam dato caſu, quod in ſpecie humana vnicus ſit homo: vt puta Adam, quē ſecundum fidem orthodoxam infallibiliter credimus in origine mūdi taliter extitiſſe, hic realiter compræhenderet vnitatem ſpecificam: nec per appoſitionem ei factam de Eua ipſa ex eo auffertur; nam per talem appoſitionem non inducitur ei aliqua diuerſitas oppoſita vnitati ſpecificæ, quia exinde non alia inducitur diuerſitas, quam numeralis, quæ non eſt contraria vnitati ſpecificæ, ſed ei cohæret: Quare neceſſaria, ac infragilis videtur intra ſingularia vnitas naturæ ſpecificæ.

Argument. 6 Inſuper à quo tollitur aliqua diuerſitas realis, eidem induci debet realis vnitas illi diuerſitati contraria; non enim vnum contrarium auffertur niſi per ſubſtitutionem alterius: ſed à duobus indiuiduis eiuſdem ſpeciei tollitur realis diuerſitas ſpecifica: talia namq; indiuidua nequaquam ſpecie diſtinguuntur: ergo neceſſarium eſt induci in eis realem vnitatem ſpecificam illi diuerſitati contrariam.

Argument. 7 Et demum, vt cætera prætermittantur eo arguitur quoniam vnitas conſiſtit in indiuiſione: natura autem ſpecifica habet ex ſe formalem indiuiſionem; quod eo probatur, quia non habet ex ſe formalem diuiſionem; ſi enim illam haberet, haberet inceſſanter, adeo vt concipi non poſſet ſine ea; quod tamen non eſt; nam optime ipſa abſque tali diuiſione concipitur: vnde non videtur illam habere, ac conſequenter ex ſe habere indiuiſionem; quoniam non aliud eſt indiuiſio, quam negatio diuiſionis: Nec recte occurrunt dicentes, naturam hanc ſpecificam non habere ex ſe vnitatem, ac indiuiſionem poſitiue; quoniam non habet ex ſe quod ſit multiplex, & diuiſa: ſed tantum negatiue: E contra enim quicquid ex ſe habet negationem diuiſionis, ex ſe habet indiuiſionem adeo, vt repugnet illius naturæ diuiſio; quod enim naturæ alicui conuenit eſt inſeparabile ab ea, adeo vt ei ſemper illius contrarium repugnet: quapropter intrinſece, ac ideo poſitiue carentia diuiſionis ei conuenit. Et ſi respondeatur ſpecificæ naturæ ex ſe non competere diuiſionem, nec indiuiſionem, ſed indifferenter ſe habere ad vtramque eo modo, quo paries ex ſe non determinatur ad album, vel ad eſſe non album: ſed negatiue tantum dici poteſt de eo, quod ſit non albus. Inſtatur è contra quoniam talis natura ſpecifica ita in ſe habet negationem diuiſionis, vt penitus ei repugnet diuiſio formalis; quamuis enim diuidatur in indiuiduis materialiter: non tamen id contingit ſecundum diuiſionem formalem, quæ quidem non aliud eſt quam diuiſio eſſentialis, ſecundum quam natura ſpecifica nequet diuidi, etiam ſi diuidatur materialiter in eius indiuidua: quare videtur tali naturæ competere indiuiſio, & vnitas poſitiue.

Prædictæ ſententię confutatio. *Cap.* VI.

D. Thomæ opinio. POſitionem vero pręhabitę opinionis Scoti pręceſſit euerſio ex D. Thoma in libro de Ente & eſſentia cap. 4. qui tamen videtur ab ipſa ægre defendi poſſe quandō ipſe fateatur res quaslibet non eſſe ſingulares ex ſe ipſis, ſed per ſibi iunctam materiam cum quantitate, quam principium indiuiduationis poſuit: cum enim humanitas exempli gratia ſit in quolibet homine: nec quantitas ſit de illius quiditate, quippe cum ſit aliquod appoſitum, ac ſuperadditum ipſi humanitati: propterea carens (ſecundum ipſum) ex ſe principio indiuiduationis, neceſſario, ex ſui natura non eſſet ſingularis, ſed natura quædam communis, qualem eam *Scotus* exiſtimauit.

Propria confutatio Scoti. Nos vero qui recedere cogimur ex tali ſentētia, atque ex illa cōmuni natura, ducimur primo ex eo quod nullibi Ariſtoteles de illa ſignum dedit, qui tamen in rebus tanti momenti non fuit diminutus. Secundo quoniam abſque neceſſitate multitudo entium ę ſt effugiēda. Tertio quia nulla entitas realis, ſeu actu, ſeu in potentia, reperi-

ri

ri poteſt extra ſingularia, quibus quæcunque natura, realiſq; vnitas ineſt, ac quatenus illis intrinſeca, & eſſentialis nequaquam poteſt ex natura rei ab eis diſtingui: pateretq; veritas aſſumpti ex Ariſtotele in Prædicamentis cap. de ſubſtantia aſſerente quod: Nõ exiſtentibus primis ſubſtantijs impoſſibile eſſet, aliquid aliorum eſſe; quia nimirum omnis entitas in illis compræhenditur. Inſuper quia quod eſt ſingulare eſt proprium alicui indiuiduo: ac proinde non pluribus commune: vnde quia talis natura communis abſtracta eſſe deberet à ſingularibus, quibus omnis entitas ineſt; proinde abſtracta eſſe debet ab entitate reali; ac ideo non ens niſi in intellectu. Præterea quia vel hec ſpecifica vnitas formalis ex parte rei exiſtens diſtincta eſt ab vnitate indiuiduali, vel non: ne dicas quod non; nam ſi eſt eadem cum vnitate vnius indiuidui, vt puta vnitas naturæ humanæ cum Socrate, tunc neceſſe eſt, vt diſtinguatur ab entitate formali Platonis, quia non poteſt idem in re eſſe idem cum rebus diſtinctis: ſi vero eſt vnitas diſtincta, tunc valet e contra id quod ait D. Thomas loco præcitato, quod ſcilicet ſi natura de ſe haberet vnitatem communem non poſſet ad indiuiduationem contrahi, & fieri ſingularis. Accedit quod ſi illa ſpecifica ratio humana extra realitatem Socratis, & Platonis exiſteret, vel eſſet etiam in ipſis, vel extra illos penitus ſeparata maneret: ſi dicatur ſecundo modo, inde ſequetur, nec Socratem, nec Platonem eſſe hominem; non enim conuenire poteſt prædicatum aliquod eſſentiale his à quibus eſt ſeparatum; nec valet eſſentialiter conſtituere, nec vere prædicari de aliquo, in quo non ſit. Ac inſuper talis natura ab indiuiduis ſeparata eſſet aliqua entitas ſingularis à Socrate, & Platone diſtincta, ac ideo non eſſet vniuerſalis: Si dicatur primo modo, tunc vel idem eſſet vtrique ex his indiuiduis eſſentialiter, & realiter: vnde ſequeretur Socratem, & Platonem non eſſe duos; ſed vnum tantum hominem, vel eſſet re in vtroque illorum diſtincta: & ita ratio illa hominis vniuerſalis, & ſeparata, vel eſſet aliquid tertium à Socrate, & Platone diſtinctum: vnde ſequeretur quod in eis non exiſtens, non eſſet vniuerſalis; ſed aliquod ſingulare ab illis indiuiduis diſtinctum: Et ſi in quocumque ex eis eſſet idem, ſequeretur quod talis natura diſtincta eſſet à ſeipſa, atque ſecundum eandem eſſentiam realiter vna eſſet, & plures. Et adhuc ſuademur ex eo quod vnà cum recte philoſophantibus, ac ipſo præſertim Ariſtotele fateri cogimur: rem quamlibet ſeipſa, & abſque alicuius, ſeu accidentis, ſeu materiæ ſuperadditione eſſe indiuiduam, adeo vt à quo habet eſſe habeat inſimul numeralem vnitatem, quæ abſque alicuius contrahentis auxilio rei quiditati adeo tenaciter hærret, vt illarum ſeparatio tanquam implicatio contradictionis impoſſibilis ſit: cuius veritatis præter teſtimoniũ Ariſtotelis in ſeptimo Metaphyſic. textibus 27. & 28. & alibi frequens, ratione probatur quoniam, vnumquodque in natura rerum exiſtens certam, atque determinatam entitatem habet: talis autem entitas iunctam habere debet indiuiſionem, quam ſingularitas, & vnitas indiuidualis conſequuntur: & probatur exinde quod entitas quælibet quatenus determinata eſt nequet ex ſeipſa diuidi, ac fieri communis pluribus, que talia ſint qualis eſt ipſa; inde nàmque tota illa entitas eſſet in omnibus ijs partibus diuiſionis; vnde fieret, vt quatenus eſt in vna illarum, diſtincta eſſet à ſeipſa prout eſt in alia, quæ maxima eſt confuſio, ac contradictio; nam ſecundum eandem ſui realem entitatem idem eſſet vnum, & plura: quare neceſſario ſequitur, vt realitati cuiuſque entis iuncta ſit vnitas ſingularis, nec aliqualis ratio ſpecifica ſubſiſtens reperiatur.

Vnitatem numeroquãcumque rem per ſe habere.

Sed inſtabit aliquis ob naturam diuinam, quæ quamuis realiter exiſtens non videtur ad indiuiduationem contracta. In cuius rei explicatione prætermitemus tanquam longe nimis aciem præſentis phyſicæ ſpeculationis effugiens id, quod vere dicunt Theologi: eſſentiam ipſam diuinam communicari quidem tribus perſonis, non tamen, vt vniuerſale particularibus, ſeu ſuperius ſuis inferioribus, de quibus prædicetur: ſed vt forma, ac natura ſuppoſitis, quibus tum ſingulis, tum omnibus ſimul tota ineſt prorſuſq; ab illis eſt indiſtincta: Nec dicimus vnà cum quibuſdam ipſam naturam diuinam non eſſe ſingularem, neque vniuerſalem: quoniam enim vniuerſalitas, & particularitas ſunt termini contradictorij: propterea neceſſarium eſt vt cuicun-

Inſtantia.
Reſponſio.

Eſſentia diuina eſt ſingularis. que enti alterum ipſorum conueniat. Sed fatemur, quod ex mente Ariſtotelis illa etiam eminentiſſima natura quatenus certa, ac determinata entitas realis; eſt in ſe vna, & ſingularis, vt ideo in plura diuidi, & multiplicari non poſſit: ſaluo ſemper loco Theologicæ veritati, quæ in ea modum eminentiorem; ſcilicet communicationem decernit.

Inſtantia. Inſtabitur etiã de Intelligentijs abſtractis, quæ quamuis realiter exiſtentes, non tamẽ videntur poſſe habere talem vnitatem indiuidualem ob id, quia indiuiduatio, ſeu vnitas numeralis addit ſuper vnitatẽ formalem, & eſſentialem aliquid, per quod contrahitur, & diuiditur ratio eſſentialis in plura ſingularia: & in ipſis ſubſtantijs abſtractis, quę ſunt ſimplices naturæ, nõ poteſt eſſe talis additio.

Reſponſio. Cui reſponderi debet: communem abſolute eſſe regulam, ac rationem de quocunque ente, quod ſcilicet entitati reali iunctam habeat negationẽ eius entitatis in plures ei cõſimiles, ne ſequatur eandem naturã eſſe, & plures, & à ſemetipſa diuiſam: vnde ſi nec ab regula excipitur ipſa natura diuina; magis obſtricta eſt ei intelligentia; vt ſimul cum quacunque re habente realem exiſtentiam iunctim habeat, & ſingularitatem.

Subſtãtia ſeparata ex ſe ſunt ſingulares. Quo ad vim autẽ argumenti quod. ſ. ſingularitas addat aliquid ſuper vnitatem ſpecificã: expediet, ſed ſummatim digredi ſuper hoc: de quo variæ ſunt opiniones, & argumẽta: Scotus. n. in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. in Quolibetis quæſt. 2. & q. Metaph. quæſt. 16. Antonius Andreas in eiuſdem operis quæſt. 16. Fonſeca lib. 5. quæſt. 3. ſect. 2. & 5. præter alios ſtatuerunt quod in rebus, ſaltẽ creatis, ratio indiuidui addat communi naturæ ſpecificæ aliquem modum realem ab illa natura communi realiter diſtinctum, & vna cum illa ipſum indiuiduum componens: his primo rationibus ſubnixi: quibus defendi ſolet realis ſubſiſtentia naturę vniuerſalis: vt quia ſcientiæ, demõſtrationes, ac definitiones eſſentiales ſunt de vniuerſalibus: Quia ue proprietates per ſe inexiſtentes conueniunt rationi ſpecificæ: proprietates vero contingenter inexiſtentes non conueniunt naturæ ſpecificæ, niſi ratione indiuiduorum: vt dicitur Socrates aptus eſſe ad ratiocinandum, quia homo eſt aptus ratiocinari: dicitur vero ambulare homo quia Socrates ambulat: ex quibus inferunt ipſi diſtinctionem realem inter indiuiduum, & naturam communẽ: quod cum indiuiduum in ſe totam illam naturam communem includat; colligunt, quod nequeat ab illa diſtingui aliter, quam per aliquod, quod ei addat. Addunt quod ratio ſpecifica, vt puta homo non eſt eſſentialiter aliquod indiuiduum: nam ſi huiuſmodi eſſet, nõ eſſet multiplicabilis in plura, nec concipi poſſet ſine indiuiduatione, cum nequeat res concipi ſine eo, quod eſt de illius eſsentia: & tamen homo concipitur, eſsentialiterq; definitur abſque indiuiduatione: propterea dum fit indiuiduum aliquod ei additur vltra eſsentiã hominis: cum. n. eſse indiuiduum ſit aliquod reale, nec id eſsentiale ſit naturæ communi; ideo debet aliquod eſse aliud a natura cõmuni: quod. n. eſt dẽ alicuius eſsentia, & quod non eſt dẽ eiuſdem eſsentia realiter diſtinguuntur: & quod indiuiduum addit ſpeciei non eſt de illius eſsentia. Denique quia Socrates non ex eodem conſtituitur in eſse Socratis, ac in eſse hominis; id enim quo conſtituitur in eſse hominis commune eſt ei cum alijs indiuiduis humanis: id vero, quo fit Socrates eſt proprium eius: Ac quoniam alioquin non magis ſecundum rationem communem concipi poſset homo, quam Socrates.

An indiuiduatio aliquid ſuper addat naturæ communi.

Opinio Scoti.

Fundamẽta.

Reprobatio. Talem autem ſentẽtiam oppoſita vis rationis ineuitabilis vrget; cum enim ex proxime ſtatutis nil reale reperiri poſſit, quod ſingulare non ſit, falſum inde redditur, res fieri ſingulares per additionem alicuius realis ſuper rationẽ ſpecificam. Inſuper quia, vel tale ſuperadditum eſset eſsentiale, vel accidentale: non primum quia fieret, vt diuidi poſset ſpecies per differentias eſsentiales, quod negat Porphirius in capite de ſpecie: Fieretq; indiuidua differe à ſpecie eſsentialiter: ac proinde quod ipſa ſpecies non diceret totam eſsentiam indiuiduorum ei ſubiectorum: Ac vlterius ipſa indiuidua deffinibilia eſsent propria, & adæquata definitione eſsentiali: cuius oppoſitum determinatum eſt in ſeptimo Metaphyſicorum contex. 53. Non eſt dicendum ſecundo modo, quod ſcilicet ſit aliquod accidentale; nam inde fieret indiuiduum eſse quid per accidens: Ac inſuper non adueniret accidens enti, ſeu ſubiecto

Digitized by Google

ſto indiuiduo, ſed ipſum in eſſe conſtitueret: quod inconueniens videtur; nam ſi vnũ ex alio indiuiduetur: in tali comparatione rationabilius eſt vt accidens à ſubiecto, quam quod ſubiectum ex accidente indiuiduationem recipiat.

Solutio fundamẽtorum. Nec viget in fundamentis talis opinionis vis aliqua: quoad primum enim certum eſt ſcientiam contemplari, demonſtrare, ac definire rationes vniuerſales, non quatenus tales, & præciſiue, ſed tanquam imagines intellectus opere extructas repræſentantes entia ſingularia, quibus realis entitas ineſt: ex quibus quoniam ipſæ naturæ communes non extrahuntur realiter: ſed ratione tantum; propterea non licet inferre, id quod extra ſe relinquunt in indiuiduo eſſe aliquod ſecundum rem ab ea diuerſum. Alteri reſpondemus quod proprietates omnes tam inſeparabiles, quam ſeparabiles conueniunt realiter ſingularibus: non alia autem de cauſa illæ quæ ſunt per ſe inſeparabiles dicuntur conuenire prius ſpeciei, niſi quia conueniunt cunctis indiuiduis, que omnia ſimul ſumpta repræſentantur à natura ſpecifica; cui propterea illæ proprietates competunt per rationem repræſentationis, non autem exiſtentiæ realis. Ad alterum dicimus, quod ratio ſpecifica non eſt aliquod indiuiduum; non quidem quia in conſtitutione indiuidui vniatur illa ratio ſpecifica, & aliquid ſuperaditum, ex quibus tanquam principijs conſtitutiuis, ſeu materialibus fiat realis compoſitio ipſius indiuidui, vt videtur velle argumentum: ſed ratio ſpecifica, quæ quo ad rem non eſt principium indiuidui, ſed conceptus quidam illo poſterior, ellicitur ab eo per ſolam imaginationem intellectus, cum ſecundum rem nullo modo contingat ſeparatio naturæ communis, & ſpecificæ ab indiuiduatione, quæ cum ipſa natura ſpecifica realiter ſumpta habet nedum cohærrentiam, ſed & inſeparabilem identitatem. Et ad vltimum reſpondetur Socratem quo ad rem nequaquam conſtitui in eſſe hominis; ſed ſemper in eſſe Socratis: ſimulq; tum in ratione Socratis, tum in ratione hominis indifferenter, ac identifice conſtitui: nec adeſt quidquam vere, ac realiter conſtitutiuum hominis in communi, qui tantum habet pro cauſa efficiente intellectum abſtrahentem: ſed tantum adſunt realia, & multa conſtitutiua indiuiduorum hominum, in quibus communis illa ratio ſpecifica fundamentaliter ineſt.

Opinio Thomiſtarum. Fuit ſecunda opinio aſſerentium in rebus ſpiritualibus nil addi in indiuiduo ſuper naturam ſpeciei; ſed fieri talem additionem in materialibus: quæ fuit Thomiſtarum inſequentium authorem ſuum in prima parte ſummæ quæſt. 3. art. 3. ac in opere de Ente, & Eſſentia cap. 5. Gaietanumq; ijſdem locis, ac in tertia parte ſummæ quæſt. 4. art. 4. *Fundamẽta.* fundamento deſumpto ex ſeptimo Metaphyſicorum 41. vbi ait Philoſophus quod in immaterialibus idem eſt quod quid erat eſſe cum eo, cuius eſt, ea vero in materia præditis eſſe diſtincta: vbi cum per quod quid erat eſſe ſignificari videatur rei quiditas, ac formalis eſſentia ſpecifica: infertur exinde voluiſſe Philoſophum quod talis ſuper additio ad rationem ſpecificam in indiuiduo fiat in materialibus; non autem in ſpiritualibus. Itidem id confirmatum, ac repetitum habent in tertio de Anima contex. 9. vbi inquit Ariſtoteles aliud eſſe, *magnitudinem*, quod ſignificare videtur rem indiuiduam, & *aliud magnitudini eſſe*, quod exprimere videtur ſpecificam rei quiditatem: ſubiungens id non eſſe in omnibus: ſignificans, iuxta expoſitionem Philoponi, Auerrois, ac D. Thomæ talem diſtinctionem non eſſe in immaterialibus, quorum ſingularia non aliud ſunt quam ipſæ communes rationes ſpecificæ per ſe realiter ſubſiſtentes. Idipſumq; ratiocinando eo probant quia cum entia ſpiritualia, nec prædita ſint materia, nec habitudinem habeant ad illam: nil ideo habere videntur, quod ſuperaddere valeant rationi ſpecificæ; propterea ex ſeipſis ſunt ſingularia: ſecus ac entia compoſita, quibus adeſt materia ſignata, ex qua excipere valet ſingulare quid ſuper naturam ſpecificam addat.

Reprobatio. Talem autem poſitionem improbant eædem rationes, quibus præcedens opinio confutabatur: ac illæ quibus paulo ante de quocunque rerum genere abſolute probabatur realis entitatis neceſſariã, ac inſeparabilem, quinnimo, & identificam comitem

Digitized by Google

eſſe ſingularitatem: ſi enim (vt tunc probatum fuit) ſingularitas ſequitur quamcunq; realem entitatem, proinde non eſt minor ratio quod id in materialibus, quam in materia expertis verificetur: etiam enim materia (Si eam per ſe ſolam, ac informem reperiri contingeret) abſque aliqua additione ex ſe ipſa, non in ratione materiæ, ſed entitatis, ſuam ſingularitatem haberet.

Solutio fundamẽtorum.

Ex fundamentis vero parum eis ſuffragatur primum deſumptum ex littera illa ſeptimi Metaphyſ. in qua iuxta rectam expoſitionem Alexandri Aphrodiſienſis tradit Philoſophus, quiditatem ab habente eam non diſtingui in primis ſubſtantijs, ſignificando per *Primas ſubſtantias*, non quidem, vt ibi interpretatur Auerroes, primum motorem: nec vt commentatur D. Thomas, ſubſtantias immateriales: nec vt alij cenſerunt, omnia entia ſimplicia, ſiuę ſeiuncta, ſiue etiam coniuncta materiæ, ſed quodcumque ſuppoſitum ſubſtantiale per ſe ſubſiſtere natum, ad differentiam compoſitorum accidentalium, vt album, ſimum, vel rotundum, in quibus ſignificatur aliquid in exiſtens ſubiecto veluti in materia: quod indicant ſequentia verba eiuſdem quadrageſimi primi tex. videlicet *dico autem prima (nempe ſubſtantia) quę nõ dicitur eo quod aliud in alio ſit, & ſubiecto, vt materia* ſubdens, in tali ſuppoſito, quod ex ſubiecto tanquam materia, ac ex accidente in illa exiſtente compoſitum eſt, non ita ſe habere, vt quod quid eſt à ſubiecto, in quo eſt non diſtinguatur: Quare illa litera ſic intellecta nil confert ad intentum argumenti. Et pariter in citato tex. tertij de Anima, in quo Philoſophus non loquebatur de exiſtentia rerum, ſeu de diuerſa illarum entitate per differentiam materialium, & immaterialium; ſed tantum de vario modo, ſeu de diuerſo vſu facultatis in eis cognoſcendis: eodem modo intellexit talem diff rentiam habendi ſcilicet, & non habendi diſtinctionem inter quiditatem, & id cuius eſt quiditas; quoniam non eſt ibi locutus de indiuiduo ſecundum præciſionem Metaphyſicam, vt ſcilicet dicit meram ſubſtantiam ſingularem; ſed Phyſice nempe vt predito accidentibus, ſecundum quem modum verum quidem eſt quod ſubijciatur ſenſui, vt ibi conſideratur, cui non ſubijcitur ſecundum Metaphyſicam illam conſiderationem deſumptum, ſcilicet vt pura ſubſtantia indiuidua. Ad rationem negatur id fundamentum, quod ſcilicet principium conſtituens indiuiduum, diſtinguenſq; ipſum à ratione ſpecifica ſit materia: quando id ſit quæcunque entitas ſeu materialis, ſeu formalis; quarum vtriuſq; exiſtentiam realem ſequitur neceſſario ſingularitas: quinnimo quod dicitur de quocunq; ente, ſcilicet quod ſit partibile (ſaltem ratione) in rationem communem eſſentialem & ſpecificam, ac in contradiſtinctam rationem indiuidualem, idipſum verificari debet & de ipſa materia, vt cum ſit pars quiditatiua entium realiter exiſtentium; debeat & ipſa diuiſionem illam ſubire rationis eſſentialis communis, & rationis ad ſingularitatem determinantis.

Opinio approbata.

Quapropter tutior, ac rationabilior videtur eſſe opinio Gulielmi Ocham in 1. ſent. diſt. 2. q. 4. & 6. Henrici Gandauenſis Quolibeto 5. q. 8. aliorumq; ex Nominaliũ cetu qui abſolute negant indiuiduum aliquid addere communitationi eſſentiali; ſed quãcumq; naturam per ſe primo, ac immediate indiuiduam eſſe fatentur: quibus nos adhærentes quamuis concedamus, talem diſtinctionem, ac ſuperadditionem rationalem, & per opus intellectus; realiter tamen id abſolute negamus: Et ſecundum tale iudicium reſpondemus principali argumento, quod aduerſus determinationem noſtram de inſubſiſtentia naturæ ſpecificæ ex ſubſtantijs ſeparatis deſumebatur.

Argumentis Scoti ſententiam tuentibus occurritur.
Cap. V I I.

Solutio primi Argumenti.

NEc arduo negotio ſoluuntur argumenta, que pro Scoto ſubſiſtentiam naturæ ſpecificæ, ſeu mediæ inter ſpecificam, & numeralem vnitatem tuentur: ex quibus cum dicitur primo: in omni genere eſſe aliquod vnum, ex cuius acceſſu, vel receſſu rerum perfectio menſuratur: Reſpondetur quod tale menſurans eſt

ipſa

ipſa ratio indiuidua, quæ vt reali entitate prędita adæquatiſſima eſt menſura rerum naturæ, ac perfectionis realis: quæ quamuis ſit corruptibilis in vno ſingulari; ex ſucceſſione tamen aliorum indiuiduorum euadit æterna in ſpecie: vnde fit vt ſemper aliquod ſuperſit, ex cuius acceſſu, aut receſſu perfectio ſpeciei menſurari poſſit: Seu dicatur illud menſurans eſſe rationem ſpecificam, quæ quamuis ſecundum præciſiuam ſui rationem, ſit ens rationale, & reali entitati, ſeu perfectioni rerum improportionatum: ſubiectiue tamen, & quatenus realem ſingularium rerum eſſentiam repræſentat; talem obtenet realitatem, per quam ſufficienter illi operi proportionatur; nam & ipſa menſuratio eſt opus rationis, quod tamen fundatur, ſeu dirigitur in ens reale.

Subſequenti cum dicitur quod, vnitas, quę eſt fundamentum relationis, non videtur eſſe vna ſpecie, nec vna numero: Dicendum eſt quod eſt vna ſpecie, obiectioni vero quod ſpecies eſt quid rationale: reſpondendum eſt vtique rationalem, & intellectui tantum inexiſtentem eſſe ſpeciem in actu, formaliter ſcilicet ſumptam, & ſub pręciſiua ratione vniuerſalis: ſpeciem vero in potentia, ſeu ipſum vniuerſale ſpecificium fundamentaliter ſumptum, vt eſt ens reale, aptiſſimum eſſe eſſentialis relationis fundamentum. *Solutio. 2.*

Cum additur: id ſingulare, à quo ſenſus mouetur non eſſe vnum numero: id eſt aperte negandum; cum quinimmo nil aliud quam ſingulare, & vnum numero ſenſum mouere valeat: Et cum inſtatur quia ſequeretur, ſenſum diſtinguere inter ſingularia: neganda eſt conſequentia; nam hec albedo, exempli gratia, mouet ſenſum, non quidem quatenus hec albedo indiuidua; ſed quatenus eſt aliquis color indiſcriminatim, & in genere: quapropter non currit ſequela dicendo, ſingularia primo mouentia ſenſum ſunt vnum numero, ergo ſenſus diſtinguit inter ipſa; ſenſus etenim quamuis moueatur à ſingulari, quod eſt vnum numero: non tamen appræhendit ipſum vt ſingulare; ſed in genere: quemadmodum manus, quæ calefit ab hoc calore, non decernit eum vt talem calorem, ſed tantum vt abſolutę, ac in genere calor eſt: Adde quod diſtinctionem illam inter duo ſingularia vtique facit ſenſus: vnde eſt quod carnis, & alia bruta animalia ſolo ſenſu vtentia particularia tam exacte decernunt, & diſtinguunt: quinnimo nec mens attingeret ſingularium notitiam, quæ originata non fuiſſet in ſenſu: Inde autem fit vt rei ſemel inſpectæ non tenax cognitio, & apta diſtinguere ſequatur: quia in ſimplici illa inſpectione ſe exercuit tãtum tenuiter externus ſenſus, & internus ſenſus communis abſque affixatione, vel reiteratione, ac vſu imaginationis, & memoriæ, quæ ad recordationem requiruntur. *Solutio 3.*

Vniuocatio vero generantis & geniti ad generationem requiſita, in qua conſiſtit quartum argumentum optime ſaluatur in entitate ſpecifica, non quidem ſecundum rationem vniuerſalis actu, & formaliter ſumpti; ſed vt repræſentatiua realis, atque eſſentialis conuenientiæ ipſorum indiuiduorum realiter exiſtentium generantium, ac genitorum. *Solutio 4.*

Ad aliud dicimus quod ſi vnicus homo in vniuerſo reperiretur, ille neutiquam in ſe haberet formalem rationem ſpecificam actu; cum natura vniuerſalis ſecũdum rem non exiſtat; ſed tãtum haberet realiter illam naturam eſſentialem, ex qua valet intellectus ellicere rationalem conceptum naturæ vniuerſalis: & per conſtitutionem alterius hominis, quid penitus ab illo differens in natura induceretur: quod autem diu entitas indiuidualis ſtet ſimul cum vnitate ſpecifica cõcedimus, ſi intelligatur de vnitate rationali: non autem ſi intelligatur realiter; quod enim realiter exiſtit, qualis eſt conditio indiuidualis cum eo, quod impoſſibile eſt reperiri, ſcilicet natura ſpecifica reali, nequaquam conueniet: Propterea recte conſiderant aliqui quod natura humana, ac quæcunque huiuſmodi ratio ſpecifica vt indifferenter ſe habet ad entitatem, ſeu vnitatem realem, & rationalem, ita indifferens eſt ad eſſe in vnico ſuppoſito, & ad eſſe in multis, vnitatem ſiquidem in vnico ſuppoſito habet ſecundum eſſe reale: at vnitatem naturæ pluribus indiuiduis communicatam non habet niſi ſecundum entitatem rationis. *Solutio 5.*

Digitized by Google

Solutio 6. Ad ſextum Argumentum, quicquid ab alijs afferatur, nos dicendum cenſemus, quod vtique duobus indiuiduis prædictis quantum tollitur de diſtinctione ſecũdum ſpeciem, tantum præbetur de vnitate in eadem ſpecie: verum quemadmodum in his indiuiduis realis eſt tantum talis natura exiſtens, quæ eſt fundamentum, ex quo ellicitur ab intellectu conceptus ille rationalis diſtinctionis, ſeu rationis diſtinctiuæ: ſic & vnitas ſpecifica in his ſuppoſitis habet realitatem tantum fundamentalem, non autem formalem, & actu præciſam.

Solutio 7. Ad poſtremum reſpondemus, quod vtique ſpecifica vnitas habet ſpecificam indiuiſionem, eiuſdem tamen conditionis, cuius eſt ipſa vnitas, quæ ſcilicet cum ſecundum tale eius eſſe actuale, ac ſecundum formalitatem ſit ens rationis, realis tantum per ſui rationem fundamentalem: pariter & indiuiſionem habet (non actu) & formaliter realem, ſed tantum per rationem fundamenti, ſcilicet indiuiduorum, ex quibus opere tantum intellectus talis conceptus naturæ communis, & indiuiſæ licet educi. Et recte obſeruant alij ſpecificam rationem vtique ex ſe habere vnitatem formalem, at nõ eiuſdem formalis vnitatis communitatem; quia vnitatem habet inſeparabilem; cum in vnoquoque indiuiduo ſit formaliter vna: non habet autem inſeparabilem communitatem, & indifferentiam, cum in quocunque ſit ſingularis, & ei propria: vnde eſt quod ipſa ſpecifica natura habet ſuam vnitatem multiplicatam in pluribus; at in ſingulis habet talem vnitatem incommunicabilem; & diſtinctam ab alijs: nam quamuis in indiuiduis eiuſdem ſpeciei non adſit diſtinctio eſſentialis, adeſt tamen diſtinctio eſſentiarum (ſcilicet entitatum) atque realitatum incommunicabilium.

Opinio Academica de Ideis, eiuſq; fundamenta, ac obiectiones. Cap. VIII.

TErtia opinio ex eis, quæ realitatem vniuerſali rationi aſcribentes circunferuntur, eſt illa quæ admitit in natura vniuerſalia nedum ab anima noſtra, ſed etiam à ſuis ſingularibus ſeparata, que ſint quiditates, vereq; eſſentiæ (adhuc & ſimulacra) ſeu imagines vniuſcuiuſq; naturæ ſeu genericæ, ſeu ſpecificæ, ſeu etiam ſingularis rerum naturalium ſubſtantialium per ſe exiſtentium, ac primaria earum efficientis intentione productarum, quæ ſemper intellectui diuino aſſiſtentes, ſint illi pro rebus conſtruendis vt typi, ac exemplaria, & vocantur ideæ: ad quas ſuadendas primo deſumitur argumentum ex

Argument. 1 ratione intellectionis; cum enim res ita ſe habeant ad eſſe, vt ad cognoſci; nam intellectus vt vere intelligat mouetur à re: vnde Chimeram concipiens falſo intelligit, quando Chimera non correſpondeat in re: Intelligitur autem quiditas generis non cognita ſpecie, quiditaſue ſpecifica natura indiuiduali præterita dum animal ſine homine, aut homo ſine Socrate percipitur: nec idcirco falſum intelligitur. Quare videtur debere aliquid in re intellectionibus illis vniuerſalium reſpõdere: quales eſſe poſſunt Ideæ.

Argument. 2 Arguitur itidem quia niſi ſingularium rerum corruptibilium quiditates ab eis ſeparatę conſiſterent nulla de ipſis daretur ſcientia, cum non ſit ſcientia de mortalibus: Quod ſi quiditates generum, ac ſpecierum mortalibus indiuiduis adnectantur mortalia ſunt: Quare admitendę videntur Ideæ pro fundamento huiuſmodi ſcientiarum.

Argument. 3 Rurſus id non eſt definibile, quod non habet eſſe reale: & ex primo Poſteriorum datur definitio de vniuerſalibus, non de ſingularibus.

Argument. 4 Præterea niſi huiuſmodi vniuerſalia ſuis particularibus ſeparata conſiſterent, impoſſibilis videretur omnis generatio: & conſequentia probatur quoniam (vt etiam ex Ariſtotele in ſeptimo Metaphyſicorum colligitur) vnumquodq; generari debet ab aliquo ſibi ſecundum ſpeciem vniuoco: Non aliud vero generans vniuocum præter, id vniuerſale abſtractum apparet; nam poſito quod ignis generetur: tunc vel dicetur generari ab alio igne ſenſibili, vel ab vniuerſali hoc igne ſeparato: ſi dicatur primo modo: tunc aut ignis ille generabit immediate per ſuam formam ſubſtantialem, aut per eius qualitatem actiuam nempe caliditatem: quod neutro modo contingere videtur;

Digitized by Google

detur; non enim primo quoniam nulla forma materialis agit immediate, vt docet Ariſtoteles in libro de Senſu, & Senſili inquiens ignem nō agere inquantum ignem, aquamue vt aquam: & ſic de cæteris: nec etiam ſecundo modo; quoniā qualitas actiua ignis non eſt de ſpecie, atque natura vniuoca ignis: vnde relinquitur, vt reperiri debeant huiuſmodi vniuerſalia abſtracta, à quibus generabilia cuncta, vt ab vniuoco producantur. Et confirmari, roborariq; videtur hec argumentatio ex modo, quo format ipſam Auerroes in ſeptimo Metaphyſicorum 31. ac in duodecimo comment. 18. Omnis enim (inquit) ſubſtantia perfecta, quæ per commixtionem ſeminum ex potentia tranſit ad actum generans ſibi expoſcit proximum, per ſe, immediatum, atque vniuocum, eiuſdem ſcilicet ſpeciei ſpecialiſſimæ; nam agens per accidens nunquam ageret, niſi adeſſet aliquod agens per ſe primo ex ſecundo Phyſicorum 42. nec agens remotum aliquid produceret, niſi mediante propinquo ex octauo Phyſicorum 41. At dum Sortes exempli gratia generatur: tale illius generans propinquum, per ſe, & vniuocum non erit ſemen maſculi, cum non ſit eiuſdem ſpeciei cum Sorte genito: Nec eſt pater à quo ſemen exiuit, quem dum ſortes generatur contingit iam eſſe defunctum: & agens per ſe debet eſſe ſimul cum effectu ex ſecundo Phyſicorum 37. Quare ex abſtracta ſortis quiditate videtur illius generatio per ſe, ac immediate dependere.

In oppoſitum vero quam plurima ſunt argumenta, que ab expoſitoribus, & ab ipſomet Ariſtotele in ſeptimo Metaphyſicorum, & alibi adducta fuerunt, quorum ex aliquibus (que ſola pro nunc referre ſatis erit) alterum eſt quod Generans debet eſſe vniuocum, ac ſpeciei eiuſdem cum genito: forma vero abſtracta, ſi reperiretur non eſſet eiuſdem ſpeciei cum genito: primo quoniam ipſius geniti forma materialis eſt, corpori ſcilicet, ac magnitudini immixta, materiæq; neceſſario dans eſſe: & forma abſtracta materię nexum abhorret: talia autem non conueniunt in ſpecie. Secundo quoniam genitum eſt corruptibile, & talis abſtracta quiditas, ſiue Idea ab interitu eſſet immunis: corruptibile vero, ac incorruptibile, vt habetur in calce decimi Metaphyſicorum nedum in ſpecie, ſed etiam genere diſtinguuntur. Ac tertio quoniam quod per ſe primo generatur non eſt forma, ſed compoſitum ex materia, & forma conflatum: Idea vero eſſet penitus expers materia: quare non eſſet eiuſdem ſpeciei cum genito ex materia, & forma conſtante: vnde colligunt quod tales abſtractæ eſſentiæ cum nil prodeſſent rerum generationi, ſi in natura reperirentur, inutiles eſſent. *Impugnatio.* *1. Fundam.*

In ſuper quod prædicatur eſſentialiter, & in quid de aliquo, non debet eſſe extra animam ab ipſo ſeparatum, vt ſe habet de ratione generica, quæ prædicatur in quid de ſuis ſpeciebus, vt animal de homine, & equo, ac de ratione ſpecifica reſpectu ſuorum indiuiduorum: vnde non videtur quod natura vniuerſalis aliquid extra animam à ſuis indiuiduis ſeparatum eſſe valeat. *2. Fundam.*

Amplius arguunt alij quoniam ex 15. contextu tertij de Anima, formæ à materia ſeparatæ ſunt intelligentes ac intellectæ: colligentes exinde quod ſi lapidis forma abſtracta reperiretur; tunc forma lapidis eſſet nedum intellecta, ſed etiam intelligens: Additq; Commentator in tertio de Anima comm. 18. quod ſi rerum omnium huiuſmodi formæ abſtractæ reperirentur, cum ſeipſis immaterialia ſint intelligibilia, ſequeretur non eſſe opus intellectus agentis. *3. Fundam.*

Soluunturq; facile argumenta pro parte affirmatiua adducta, quorum ad primum congruit diſtinctio Boethij in Prædicamentis, quod ſcilicet aliquid conſiderari diuerſimode quam ſe habeat ſtat dupliciter: primo ſi conſideretur abſque aliquo ei eſſentiali, vt ſi quis hominem abſque rationalitate concipere niteretur; & hoc eſt impoſſibile: alio vero modo intelligitur aliquod aliter quam ſe habeat quoad modum cognoſcendi, quod fit per abſtractionem, quæ quidem abſtractio non eſt mendacium ex ſecundo Phyſicorum 18. etenim in ipſa abſtractione non rem aliter quam ſit figuramus, ſed ſolum conſiderando exempli gratia naturam animalis prætermiſſa intellectione differentiarum ſpecificarum, quæ illud ad determinatam aliquam naturam ſpecificam contrahant, reddimus ipſum vniuerſale: conſiderandoue hominem *Solutio 1. argumenti.*

non

non reſpiciendo accidentia, quibus diſtinguitur Socrates à Petro, reddimus humanam naturam ſpecificam & vniuerſalem: vnde non eſt neceſſaria inſtitutio naturæ vniuerſalis realiter exiſtentis ad hoc vt recte actus intellectionis procedant. Adde ad prædicta quod aliter quam ſit res cognoſceretur in abſtactione quæ fieret cum affirmatione, aut negatione; aſſeuerando ſcilicet talem naturam vniuerſalem vere in re adeſſe: nō autem in abrſtactione ſimplici, & præciſiua, cuius eſt tantum aliquid concipere cæteris prætermiſſis.

Solutio 2. Subſequenti cum dicitur non eſſe ſcientiam de corruptibilibus, & talia eſſe ſingularia: Pro ſolutione adnotandum eſt: entia duplicis eſſe generis; ęterna ſcilicet, & corruptibilia: ex quibus datur ſcientia de æternis tum ſecundum vniuerſalem notionem conſideratis; tum etiam ſi ſingulariter reſpiciantur, vt ſe habet de quacunque Sphæra Cæleſti, ſtella, ac intelligentia: Corruptibilium autem ſi ſingulariter conſiderentur, non licet quidem haberi ſcientiam: at dum accipiuntur ſecūdum rationem vniuerſalem: ſic poteſt de illis haberi ſciētia; quoniam ipſorum ſpecies, ac genera, puta animal, vel homo non addicta ſunt extinctioni, quamuis ipſa ſingularia aſſiduo intereant, ac generentur. Adde non penitus neceſſarium eſſe, quod ſcibile ſit ęternum; poteſt enim de re præterita, vel futura, eo modo quo fuit, ſeu futura eſt haberi ſcientia, vt de particulari cometa: ac quemadmodum apud Theologos vera eſt ſcientia de Antichriſto, quamuis Antichriſtus non ſit æternus; requiritur enim tantummodo in ſcientia, vt concluſio illius ſcientiæ ſit ſemper vera: vt ſi habeatur ſcientia quod Antichriſtus ſit tali tempore futurus; ſatis eſt quod tali ſtatuto tempore ſit, vt vera ſit concluſio, & de illo habeatur ſcientia: quod ſi concluſio eſſet Antichriſtum ſemper exiſtere, cum id ſit falſum: illa non eſſet ſcientia: quemadmodum etiam alienum eſſet à ſcientia ſi diceretur roſam ſemper adeſſe: ſed quoniam dicitur tantum, roſam eſſe talis naturæ; tunc ſcilicet quando reperitur, ſic recte de illa habetur ſcientia etiam quādo non eſt; quia ſufficit quod concluſio, quæ de illa ennunciatur vera ſit in illa parte in qua profertur: & quod id nobis per ęius cauſam innoteſcat.

Solutio 3. Cum deinde arguitur quærendo quid generet ignem. Reſpondetur id eſſe alium ignem pręexiſtentem cuius forma mediante calore eſt illius productionis principiū. Et cum obijcitur, quod nulla forma eſt immediatum principium actiuum operationis: Reſpondetur vel id intelligi quoad diſpoſitionem rei generandæ, dum ſcilicet ſubiectum alteratur, ac diſponitur vt poſſit fieri ignis: & tunc neutiquam valet forma vt immediatum principium agere; ſed agit mediante calore: vel intelligitur quoad introductionem formæ in illo corpore iam per calorem diſpoſito, & talis actio à forma præexiſtentis ignis proprie, ac immediate dependet. Ad id vero quod additur dé genitis ex ſemine, in quo potior vis probationis conſiſtere videtur; adeſt ſolutio, quā exactiſſima diſquiſitione attulit Commentator in duodecimo Metaphyſicorum 18. ac in ſeptimo Metaphyſ. 1. conſiderans ineſſe ſemini virtutes quoſdam quas ſummopere magnificit Ariſtoteles eas vocās formatrices ac diuinas; de quibus quærit Galenus an ſint creatrices, eaſque ipſe Auerroes aſſimilauit intellectui; eo quod ipſe etiā abſque vſu alicuius partis corporis tanquam inſtrumento, & organo; ſed ex ſe ipſo immediate operatur: ait itaque Sortem generari ab alio homine, à quo abſumptum fuit ſemen: proximius vero generari ab ipſo ſemine, quod abſente, ac etiam obito patre valet ſortem per inſitam illam virtutem generare: Ideo cum dicitur ſubſtantiam perfectam requirere generans per ſe, proximum, immediatum, & vniuocum: reſpondetur ſecundum Auerroem quod vel illa propoſitio ita intelligitur, vt omnia illa attributa vnico generanti conueniant, in quo ſenſu eſſet neganda: vel intelligitur quod illæ conditiones diuerſis cauſis ad generationem conſpirantibus inexiſtant: & ſic propoſitio illa vbique verificatur; ſed præſertim in propoſito, generans namque Socratis eſt cauſa proxima, & immediata, nimirum ſemen: adeſtque vniuoca, & per ſe nempe homo, ex quo ſemen exiuit. Et alij fatentur quod ſemen cum Sorte genito, & ſi non formaliter, virtualiter eſt vniuecum.

Genitorum ex Conſimiliter occuritur inſtantiæ de ortis ex putri, que duplicem habent cauſam

aliam

aliam remotam, & vniuerſalem, quæ eſt Sol, & aliam proximam, quæ eſt materia putrida: quarum vtraque quamuis non formaliter, & actualiter, virtualiter ſaltem eſt ipſi genito vniuoca, conſtat enim materiam proximam talium generationum ita ſe habere, vt dum eſt tali modo putrefacta inſit ei diſpoſitio, vt ex ea tale animal gigni valeat, in alia vero eſt diſpoſitio, vt non ille, ſed alius fætus ennaſcatur: vnde, vt refert Commentator in duodecimo Metaphyſici. comm. 8. ex cadaueribus equorum gignuntur veſpes, ex cadaueribus vacarum apes, ex putrefactione terræ conſurgunt ranæ, ex vino corrupto Muſciliones, veluti & ex ſincipite humani cadaueris (ſcribunt naturales) muſcas illas oriri adeo veneficas, vt quos cito lædunt facile interimant. *putri quã ſit cauſa vniuoca.*

Pro veritatis explanatione aliquorum opinio circa Ideas examinatur. *Cap. IX.*

PRæhabitam poſitionem Ideas in natura conſtituentem poſtquam à Platone prodiuit, innumeres tum extra, tum intra Peripateticas ſcolas Philoſophantes, ac ipſe præſertim Ariſtoteles obſeruandam, atque diſcutiendam ſumpſerunt: à quibus modo perperam accepta, ex falſaue traditione, aut per alterationem longe à germano illius authoris ſenſu diſtracta; modo ad vnguem relata, recte explicata, ſeu modificationibus iuxta ſenſum perfectiorem repræſentata; varia exinde iudicia, approbationes, vel confutationes ſubiuit: ex quibus vt aliquid pro rei dilucidatione excerpere liceat, expediet primo ipſa iudicia aliorum recenſere: vt deinde appareat an Ariſtoteles cum Platone conciliari poſſit: argumentaq; talem doctrinam oppugnantes reprimantur: quod quidem facere aggredientibus occurrunt ij primo, qui ex doctrina peripatetica, ac ex natura ipſas Ideas implacabiliter expellunt: qui ſunt præter alios Cicero, Alexander Aphrodiſienſis, & Auerroes: qui fundamentum ſibi conſtituentes conſiderant triplex eſſe genus, ſeu ordinem, intelligentium, ſupremum nimirum, quod eſt Mens diuina; medium, quod eſt mens intelligentiæ abſtractæ, ac infimum, ſcilicet mens humana: ſubijcientes nonnulli iſtorũ Ideas conuenire: non inquam ſupremo; cui vt enti ſimpliciſſimo multarum Idearum connexio repugnat: Nec requiruntur in eo ob rerum productionem quoniam rerum varietas, ac exiſtentia non ex ipſo, ſed ex ſecundis cauſis procedunt: Nec etiam requiruntur ob eius cognitionem; quoniam ſecundum Peripateticam doctrinam Deus Deum tantum cognoſcit, pro quo non requiruntur Ideæ: Non conueniunt intelligenti ordinis intermedij, ob reſpectum tamen entium inferiorum; non enim inſeruire ei valent pro talium rerum cognitione, quoniam mens, quæ inter diuina verſatur, & conſortium habent cum animali diuino, vt ſe habet de intelligentia abſtracta, nequet percipere ſenſibilia: Nec pro earumdem rerum productionem, quoniam ab illis cauſis non prouenit varietas effectuum; quæ ſiquidem ex cauſis tantum ſecundis, ac proximis procedit: ſed eis propter ſuperiora tantum conuenire poſſunt Ideæ, quæ quidem Ideæ non ſunt accidentia, ne ſequatur in intelligentijs compoſitio ſubſtantiæ & accidentis: nec ſubſtantię ab eis diuerſæ; ne ſequatur in eiſdem plurium ſubſtantiarum compoſitio: ſed ſunt ipſarummet intelligentiarum eſſentia cum ſola diuerſitate rationis inſeruientes illis pro ſolo vſu cognitionis, nequaquam vero productionis; etenim abſtractæ intelligentiæ cognoſcunt ſuperiora, nec tamen producunt illa; quorum quinimo ſunt effectus: vnde eſt quod intelligendo ſeipſos cognoſcunt illa; tanquam ipſorum Ideæ. Intelligenti vero infimo ſcilicet humanæ menti, an Ideę competant; non concordes decernunt: fatentur enim alij, eas eſſe congenitas menti noſtræ poſſibili, ſolaque ratione diſtinctas; & quæ ei ab externis ſenſibilibus inijciuntur eſſe paſſiones quaſdam cognoſcitiuam facultatem excitantes, potius quam formales ſpecies in anima impræſſæ: ſpecieſq; illas congenitas inſeruire menti tum pro theorico illius officio cognoſcendi; quoniam cognitio quælibet fit per ſimilitudinem, qualem ad cognoſcibilia habent Ideę; tum pro officio practico; quoniam ſuum effectum producit animal quatenus animal per cognitionẽ: Alij ponunt tales ſpecies nedum in intellectu poſſibili, cui vt ſenſibilium rationes vni- *Opinio Ciceronis Alexãdri Auerroes. Fundamentũ*

vniuerſales repræſentantes, ſunt rationes intelligendi: ſed etiam in facultate ſenſitiuã cui repræſentent ſenſibilia ſingularia: Alij inquiunt tales ſpecies non eſſe alias ab ijs, quæ ex phantaſmatibus opere intellectus agentis elliciuntur, & poſſibili imprimuntur: Alijq; abſolute negant Ideas ſeu ſpecies in humana mente; cui ſiquidem tria tantum ineſſe aiunt, potentiam ſcilicet, habitum, & actum: ex quibus ſpecies non eſt primum, cum ipſa ſit in actu: nec ſecundum habitus enim ex ſecundo Poſteriorum fit ex frequentatis actibus: nec eſt tertium; nam ſpecies præſefert potentiam ad intellectionem, actuſque educitur ex potentia, quam ipſa ſpecies perficit: Nec eſt ipſius mentis paſſio, eſſe enim deberet vel corruptiua, cuiuſmodi nil in mente admititur: vel perfectiua, qualis eſt ipſa intellectio, non autem ſpecies: Vnde nullo modo Ideas, ſeu ſpecies, Ideis analogia quadam reſpondentes, in mente humana concedunt.

Solutio fundamenti. Ex horum tamen diſputatione, non exploſæ videntur Ideæ, & fundamentum illorum facilem inuenit ſolutionem: ſupræmi enim intelligentis, ſcilicet diuinę mentis ſimplicitati non repugnat multitudo Idearum, cum non ſint in eo vt principia, ſeu rationes intelligendi, vt quo, ac ideo diſtinctæ, ſed ſint obiectum, ac terminus intellectionis, ſeu rationes intellectæ, vt quod; ideoque non diſparatæ, ſed in vnica numero eſſentia conuenientes: Nec eidem repugnat productio varietatis entium, quando nõ per tranſmutationem, ac Phyſica productione; ſed per eminentiorem illius modum cauſentur: & quamuis ad conſtitutionem aliquorum agant & cauſæ ſecundæ; ipſum tamen ſemper vt principium præcipuum, & vniuerſale concurrit; cum nil ex eis, que in vniuerſo cõtingunt quoad ipſum caſualiter, ſeu præter illius intentionem eucnire deceat. Nec etiam nobilitati illius intellectionis ſolum Deum cognoſcentis obſtant Ideę, cum ipſæ quamuis ſecundum formalitatem repræſentationis videãtur aliquid diſtinctum, eſſentia tamen ſint idem cum mente diuina rerum omnium perfectiones eminentiſſime compræhendente: quæ propterea eas intelligendo nihil à Deo diuerſum percipit: Subſtãtijs autem abſtractis non incongruę videntur ſpecies inſitę Ideis proportione reſpondentes; quibus ſiquidem proſunt pro cognitione inferiorum, que quamuis inconueniret, vt ipſæ intelligentiæ cognoſcerent per ſpecies ſenſibiles eductas ex eis; conuenientiſſimum tamen eſt vt nobiliori modo, ſcilicet per ſpecies ingenitas ea intelligant: eoque magis quod earum actione (qualis eſt circunductio Spheræ Cæleſtis) ad illorum productionem, etſi non proxime (in quo caderet inconuenientia) ſaltem remote, ac vt cauſę vniuerſales, concurrere debent. Entia vero ſuperiora quamuis non producant, ob ſuammet tamen perfectionem cognoſcere debent: nec ad hoc ſufficit eis vt ipſorum ſuperiorum entium effectus ſint quodammodo ſpecies pro ipſis cognoſcendis; tales enim ſpecies, ſcilicet effectus euadit ratio cognoſcẽdi ſuam cauſam apud alios, non apud ſemetipſum; ſed requiruntur propriæ ſpecies, quæ illorum entium rationes illis repræſentent. Humanæ vero menti aptiſſime conueniunt illæ imitationes Idearum, quæ ſunt ſpecies ex phantaſmatibus excerptæ; quæ non ſunt potentia, ſed radix potentię, quam habet mens ad intellectionem habitualem: vnde ſunt etiam fundamentum habitus eiuſdem intellectus, actuſque quamuis non intellectionis; ipſius tamen intellectus, quem perficiunt etiamſi non completæ, vt ipſa actualis intellectio, inchoatiue ſaltem, vt inducentes in eo habitum, & habilitatem ad actum intelligendi.

Opinio Philoponi circa Ideas refertur, ac reÿcitur. Cap. X.

Quid Philoponus cẽſuerit. SVccedunt in hac quæſtione obſeruanda iudicia illorum, qui intra mẽtem ac principia Ariſtotelis admitunt Ideas, in quorum agmine vt præcedat Philoponus, putauit ipſe reperiri primo in ſupræmo rerum Opifice Ideas omnium, que ab eo cauſantur, ac cognoſcuntur, cum omnis efficientia, ac cognitio fiat per ſimilitudinem: vnde cum rerum omnium, nedum ſcilicet formarum, compoſitorumq; entium ſingularium, ſed etiam primæ materiæ ſit efficiens, ac cognitor: propterea illorum omnium rationes, ſcilicet

Ideas

Digitized by Google

Ideas ipſum compræhendere; ſed adhuc & in ſublunari orbe tot ſecundum Platonē poſuit ſpecies huiuſmodi, ac formas rerum ſeparatas exiſtere, quot ſunt ſpecies entium ortui, ac interitui obiectorum: quarum quidem Idearum officium conſiſtere ait nedum in ſcientia de ipſis ſenſibilibus, eorumdemq; productione cauſanda; atq; exiſtentia fulcienda; ſed etiam pro ipſarum rerum gubernaculo, ac directione, quia inexiſtens Idea cuique indiuiduo ſuæ ſpeciei, nam ibi eſt vbi operatur, cum ſit in loco per operationem tranſeuntem, operetur q; in omnibus indiuiduis, eis ideo prouidere; ipſaque dirigere cenſebat adeo, vt ex ſua Idea excitari dicatur homo, vt proſequatur vtilia; noxia vitet: cunctaq; ſeu ſalutaria, ſeu triſtia, que homini contingūt illius Ideæ atribuantur.

Sed talis aſſertio rationabili confutatione torquetur: A cauſa enim æterna, & immobili, quæ non ſit omnium prima non videtur poſſe aliquid nouum conſtitui: Ideæq; ſunt cauſæ immobiles; & æternæ, vt ad nullum nouum opus aptæ videantur, adeo vt eis bona; & mala, que particularibus accidunt attribui valeant: Quiaue nulla forma à materia ſoluta nata eſt malum aliquod moliri: Et tales formæ nempe Ideæ, omnino ſunt à materia ſolutæ, ut im̄probe eis malorum cauſalitas aſcribatur: Vnde ſi tales cauſæ prouidentiæ, ac gubernaculo rerum præſiderent, videtur quod efficaciores eſſe deberent in probis, & ingenuis viris ab infortunijs protegendis, ne iniuſtis fortunæ euentibus vexarentur: ac in perditorum hominum proſperitates coercendas. Demum, quia tales formæ curam habentes de indiuiduis mortalibus deberent illa cognoſcere, ac proinde eſſe aut ſenſus, aut intellectus: non poſſunt eſſe ſenſus, qui ſunt facultates organo affixæ, cum ipſæ ab organo corporeo penitus ſint remotæ: ſi eſſent intellectus, tunc ſe haberent vt intelligentiæ ſeparatæ, quibus præter primam non cōpetit notitia ſingulariū: Quare nullo modo valent talia cognoſcere, vt eis prouideāt.

Quorundam Academicorum opinio recenſetur. Cap. X I.

MÆretur in præſenti negotio commemorari ſententia Academicorum, quorumdam, qui triplicem gradum Idearum introducentes, eas entibus triplicis gradus, ſupremo ſcilicet enti, ſubſtantijs abſtractis, ac mentibus humanis applicuerunt, aſſerentes eas primo enti coeſſentiales eſſe ea ratione quod quicquid eſt in Deo, Deus eſt, alioquin cum vnumquodque inexiſtens alicui aliud ab illius eſſentia debeat eſſe cauſatum, vel à principijs eſſentiæ, eo modo quo accidens proprium, vt riſibilitas conſequitur eſſentiam hominis; vel ab aliquo extrinſeco, vt calor aquæ ab igne: ſequeretur ineſſe Deo aliquod cauſatum, quod eſt inconueniens. Ideas ſecundi gradus diſtinguunt à ſuis ſubiectis intelligentijs, quæ cum declinent à perfectione Dei, diſtare etiam debent ab illius perfectione, & vnitate, & ideo ad multitudinem accedere: Quiaue ipſorum inæquales ſunt conditiones, & gradus naturæ: propterea quæ ipſarum, vt ſublimior eſt Deo propinquior, paucioribus Ideis intelligat: quæue inferior, & à diuina vnitate diſtantior ampliori Idearum numero egeat: Et quoniam inter ipſos cenſerunt aliqui, ex numero intelligentiarum, alteram eſſe animam mundi, quam alij adhibuerunt mundo huic tantum ſublunari; cuius ſingulas partes regat, foueat, ac tamquam anima ei vires, vitamque præbeat: Alij autem eam applicuerunt vniuerſo orbi, in quo prius conſtruat molem Cæleſtem, quæ nobilior eſt: deinde ſe ad inferiores partes communicet, eas cum ipſo Cęlo connectens, ac exinde omnes illarum virtutes, actiones, ac perfectiones inducens: talem inquam intelligentiam quoniam cæteris deteriorem exiſtimarunt, largiori Idearum numero egentem reputarunt: paucioribus tamen, quam concenſſerint humanæ menti, cuius Ideæ; ſeu conſimilitudines Idearum, cum ſint ſpecies ab ipſa ex phantaſmatibus ſenſibilium ellicitæ, aliæque ex actibus intellectionis reſultantes, quæ poſſibili intellectui imprimuntur: propterea innumerabiles ei conueniant, in numeroq; admodum ampliori, quam cuilibet alio intelligenti.

Hec autem opinio, cum celebris fuerit, ſæpe in diſputationem educta, multiſque obic-

Reprobatio.

Triplex ordo Idearum, ac entium.

Anima mūdi quid ſit.

Animam mūdi non dari.

obiectionibus petita, quibuſdam ſuccumbere, ſed alijs valide reſiſtere viſa fuit, ægre namque ſubſiſtere valet in illa parte, quod aliqua ex intelligentijs mundum, ſeu vniuerſum, ſeu ſublunarem tantum inanimet, contra determinationem Ariſtotelis in duodecimo Metaphyſicorum contex. 43. tot in natura intelligentias exiſtere, quod Sphæræ Cæleſtes ab eis circumducibiles reperiuntur: Ac quoniam anima eſt actus corporis organici, ac ideo quo nobilior eſt anima informans, eo corpus ellaboratum magis, exquiſitiorique organorum præparatione diſpoſitum requirere ſolet, vt in ſingulis animatis corporibus obſeruare licet: nec organa animæ inſeruientia in ipſa mole vniuerſi apparent. Quoniamue conditio perfecti animalis, qualis eſſe deberet mũdus (ſi haberet animam) eſt vt valeat ſimile generare: ad quod ipſe nõ valet. Ac quia perfecti animalis pars quælibet poteſt aliquando moueri: quod non competit mundo ſaltem reſpectu terræ. Inſuper vanum eſſet reperiri in aliquo corpore animã, quæ nullas facultates animales exerceret; qualis eſſet hec, quæ non exerceret officia vegetalia, nam præterquam quod non generaret: nec etiam aleret, vel augeret, vt euidens eſt; nec officia ſenſitiua, careret enim ſenſibus, quoniam interiores non adſunt niſi vbi ſint & externi obiectum eis ſuggerentes: nec in præcipuis partibus vniuerſi nimirum cæleſtibus orbibus, ac elementis apparet diuerſitas partium, in quibus eſſe poſſint illorum organa: Que quidem organa, vt docet Ariſtoteles in tertio de Anima contex. 62. in ſolis mixtis reperiuntur, quia ſiquidem ex temperamento qualitatum elementorum conficiuntur: vnde in mixtis tantum eſt ſenſus. Ac quoniam anima inhærens corpori non intelligit niſi miniſterio ſenſuum, & phantaſmatum, proinde talis anima eſſet ipſo etiam intelligendi munere deſtituta. Adhuc quoniam intelligentia quælibet exiſtimatur non poſſe, ſeu per ſe, ſeu per accidens moueri: cuius tamẽ oppoſitum eſſet de tali anima, quę vt corpori inhærens deberet ſaltem per accidens ad illius motum moueri. Et ſi quod Ariſtoteles docet, apud ipſos valeret; fieret intelligentiam eſſe mortalem, cum habeatur in duodecimo Metaphyſicæ 30. quod intelligentiæ cæleſtes abeſſe debent à materia, vt immunes ſint ab interitu; ac in tex. 41. quod omnis ſubſtantia in magnitudine eſt corruptibilis. Ac demum quoniam cum materia inſtituta ſit propter formam, non è conuerſo; propterea tali intelligentiæ oporteret vt ex inanimatione mundi aliquod bonum conſurgeret: quod quale nam ſit non apparet; non enim exiſtentia; quam ſi quidem ſubſtantia abſtracta habet ex ſeipſa: nec intellectio, quam ex ſe habet perfectiori modo, quam per phantaſmata, que tamen nequet ei corpus mundi ſubminiſtrare; cum ſenſu phantaſmatum opifice careat: vnde abſque aliquo ſui beneficio intelligentia ſeipſam in officio talis inanimationis inuolueret.

Organa ſunt tantũ in mixtis.

Obiectio 1.

Quo vero ad alias ſuas partes prædicta, ſententia haud grauiter oppugnari videtur: Quod enim primo obijcitur circa Ideas ſupræmi gradus entis, cuius ſummæ ſimplicitati multitudo rationum, ſeu Idearum obſtare videtur. Id nuper explicatum fuit quia ſcilicet Ideæ, quæ non ſunt rationes intelligendi in Deo, ac ideo diſtinctæ: ſed ſunt ipſamet res intellecta, quæ nil ab illius eſſentia diſtinguitur: propterea quam habent multitudinem quoad res repræſentatas, non habent quo ad earum eſſentiam: vt ideo nil diuinæ ſimplicitati repugnent: Ac exinde ſolutum remanet id, quod conſimiliter obijcitur, quod ſcilicet quemadmodum que inexiſtunt principio diverſitatis ſunt diuerſa; ita vnicum eſſe debet quodcunque ineſt principio vnitatis, ac maxime vni, qualis eſt Deus.

Dilutio.

Obiectio 2.

Et cum obijcitur ex duodecimo Metaphyſiorum contex. 51. Deum tantum Deum cognoſcere nihilue extra ſeipſum: cui ſubijcitur ratio, quoniam ſcilicet res intellecta eſt perfectio facultatis intelligentis: vnde cum mens ſuprema ſit ſumme perfecta; non ideo poteſt ſpecies rerum, ſeu Ideas ſe ignobiliores cognoſcere. Reſpondetur Deum non intelligere aliud à ſe intelligendo Ideas: quæ etiamſi obiectiue aliud repræſentent; in fundamento tamen earum entitatis non diſtinguuntur ab eſſentia diuina; cui rerum omnium perfectiones per modum emminentiſſimum inſunt. Recte etiam reſponderi ſolet ipſam ſupræmam mentem intelligere ſeipſam tantum vt obiectum primum;

Dilutio.

Digitized by Google

mum: cætera vero intelligere tanquam obiectum ſecundarium.

Sed inſtatur quoniam adſunt inter entia, quę poſſunt ab Ideis repræſentari, nedũ ipſo Deo imperfectiora, & vilia, ſed ea etiam, quę abſolute ſunt mala: quorum intellectio non videtur diuinæ Menti conuenire. Cui reſponderi primo poteſt, cuique enti adeſſe aliquid boni; quod ſaltem eſt ipſa entitas. Et recte dicunt alij quod talia cognoſcit non primario vt ſeipſum, ſed conſecutiue. *Inſtantia an Mens diuina cognoſcat mala.* *Solutio.*

Et cum rurſus inſtatur, quia cum intellectus ab intelligibili perficiatur; ſequeretur res materiales perficere mentem diuinam. Reſpondetur id neutiquam ſequi, cum intellectionem non recipiat ex rebus ſibi externis, ſed à ſeipſa: Nec tamen talis reſponſio tollit dificultates; nam per illam ſequeretur quod mens humana, quæ ſuam intellectionem ex externis recipit in cognitione rerum vilium, ac malorum imperficeretur: quod tamen non eſt. Vt propterea rectius dicendum putemus, quod quamuis entia ſint mala, & vilia quoad realem entitatem ſuæ naturæ; nõ tamẽ talia ſunt quoad eſſe cognitum, ſecundum quam quidem rationem, ſcilicet per cognitionem, ſemper perficiunt intelligentem; cuius perfectio eſt quod ſingula cognoſcat. *Inſtantia.* *Solutio quædam.* *Solutio alia.*

Et cum deinde ad principale opponitur aſſertio Commentatoris in primo Phyſicorum, quã ipſe ellicere potuit ex textu eiuſdem operis 6. quod ſcilicet multitudo quęlibet præſupponat differentiam rerum vel ſecundum formam, vel ſecundum quantitatem: vnde cum Ideæ non habeant quantitatem, nec formas per quas diſtinguantur, non ſit poſſibilis illarum multitudo. Solutio adeſt ex eo quod intellexit Commentator de his, quæ multiplicantur per diſtinctionem realem: qualem non habent Ideæ nec in mente diuina, nec inter ſe. *Obiectio 3.* *Dilutio.*

Oppugnari etiam ſolet poſitio Idearum in reliquis intelligentijs abſtractis; & pręſertim ex prætacta ratione, quod ipſas intelligentias, quæ eminentiores, ac perfectæ ſunt, cognitio vilium rerum inferiorum imperficeret. Cui iam in ſolutione ſecundæ obiectionis allata eſt reſponſio. *Obiectio 4.*

Arguiturq; adhuc quoniam vnumquodq; eſt in alio per modum illius, in quo eſt: modus mentium abſtractarum eſt vt inferiora compræhendant emminenter; nõ per notiones, & Ideas. Cui reſpondetur vtique modo eminenti contineri in mentibus abſtractis entia inferiora dum inſunt eis per eorum eſſe cognitum intra ſpecies, non ex externis obiectis excerptas, ſed ipſis inſitas, ac congenitas. *Obiectio 5.* *Dilutio.*

Adducitur circa idipſum opinio Simplici. Cap. XII.

SImplicius mature de hac re diſſerens in ſecundo Phyſicorum com. 20. tripartitur ſermonem ſuum, eius primo iudicium de hoc proferendo: mox referendo fundamenta Platonis: ac demum Ariſtotelem cum ipſo cõcilians: Et quoad primum exordiens à definitione inquit, Ideam eſſe rationem, ac exemplar naturalium formarum in Diuina Mente exiſtens; quoniam cum producenda eſt aliqua forma naturalis; ineſt ipſi Diuinę Menti ratio, ac typus, iuxta cuius ſimilitudinem forma in eſſe prodit; eamq; ait dari tantũ de formis, vt de his, per quæ res exiſtunt; qualis non eſt materia: ac proinde nec dari Ideas de compoſitis, quibus præter formam Ideam habentem non aliud ineſt, quam materia. Mox obſeruat Platonem appellaſſe eodem nomine (formæ) Ideam, & id cuius eſt Idea; ea ratione, quia ſe habent vt cauſa, & effectus: quiaue vt forma eſt cauſa per quam res eſt; ita & Idea eſt cauſa per quam eſt ipſa res naturalis: Atque eas communicare etiam in ſpecie, vt ſe habet de eo quod participatur, ac de participante: & res naturales conſtare ex materia, quæ eſt per participationem formæ, ac ex ipſa forma materiali, quæ eſt participatio formæ ſeparatæ: vt forma ipſa ſeparata, nępe Idea, ac id cuius eſt Idea, conueniant in ſpecie: Præuidenſque obiectionem eo quod in orbe ſublunari inter naturalia adſunt multa vilia entia, vt equus, canis, lapis, & huiuſmodi: quorum naturæ non videntur eſſe in Deo; adeo vt talia entia ſint participationes Idearum diuinæ menti inexiſtentium: Reſpondet negan- *Quid Ideæ ſint.* *Idea eiuſdem nominis, ac ſpeciei cũ re, cuius eſt.* *Obiectio.* *Solutio.*

do non ineſſe ei quamcumque naturam: quod colligit ex Ariſtotele in duodecimo Metaphyſicæ 49. determinante rationes omnium rerum in Deo compræhendi, quod tamen eſt modo nobiliori, ac eminentiori, quoniam hic res naturales obnoxiæ ſunt materiæ, & interitui: in Deo vero ſunt à materia, & à mortalitate ſolutæ.

Ratio 1. pro Platone. Adducit tunc fundamenta huiuſmodi poſitionis: quorum alterum eſt: Quæcunque in eſſe producuntur fieri, aut generari ex efficienti habente exemplar, ſeu rationē ipſius rei, quæ producitur; adeo vt recta ratione valeant res ipſæ produci: & tales rationes ſeu exemplaria, non aliud ſunt niſi Ideæ, quæ propterea ineſſe debent Diuinæ Menti rerum omnium opifici.
2. Quod confirmatur exemplo artificis, cui quemadmodum ſemper adeſt typus, ac ſimilitudo rerum conſtruendarum: ſic & in ipſo ſupręmo rerum omnium effectore Ideæ, ſeu imagines rerum omnium eſſe debent.
3. Cuius adhuc confirmatio habetur apud Ariſtotelem in 2. Phyſ. 11. aſſerentem quod vt ſe habet ars ad id quod eſt ex arte, & ad artificiale; ſic & natura ad id quod eſt ſecundum naturam, & ad naturalia: quod cum ſemper procedat ars per quaſdam imagines, & rationes rerum artefactibilium: ſic & natura per præuias imagines ſuas res producere videtur: longeq; magis cauſa illa, quæ arti, ac naturæ eſt ſuperior (qualis eſt Deus) debet habere ſuorum effectuum imagines, quę ſunt Ideæ.
4. Quibus accedit quod cum ab vno inquantum vno non valeant entia varia procedere: ideo ſi in prima rerum cauſa, quæ ex ſe eſt maxime vna, non adeſſent tales Ideæ (etſi non quoad eſſentiam) ſaltem quoad res repræſentatas variæ, & multæ, non poſſet ab ea vniuerſarum rerum varietas, & multitudo cauſari.
5. Arguit adhuc quoniam niſi eſſent Ideæ ſequeretur in rerum generatione proceſſus in infinitum contra Ariſtotelem in 2. Metaphyſic. 6. & conſequentiam deducit eo quod cum vnumquodque generetur à ſimili in ſpecie adeo, vt homo generetur ab alio homine; quæritur de illo alio homine an ſit genitus, & à quo: vnde ne admitatur proceſſus in infinitum, concedendæ videntur tales formæ rerum ingenerabiles, ſupræmæ cauſæ inexiſtentes, à quibus generabilia producantur.
6. Additq; id quod colligitur ex Ariſtotele in 8. Phyſic. quod ſcilicet ea, que inceſſanter, ac perpetuo mouentur, immobilem cauſam exigunt ſuæ motionis: vnde cum quælibet hecentia inferiora continuo, ac pereni, quamuis non cuiuſque ſpeciei, motui obiecta ſint: ſequitur vt habeant cauſam immobilem, quam infert eſſę rationem ipſam Idealem.
7. Ac conſimiliter quia quæcunque natura determinata, & genita cauſam expoſcit immobilem, ac ingenitam; & talis cauſa nequet eſſe in materia: in qua ſiquidē quodcunque ineſt, eſt illius affectio, & participatio: nec eſt in natura, in qua quicquid eſt, etiam eſt in materia, vt colligi videtur ex 5. tex. ſecundi Phyſicorum.

Conſenſio Ariſtot. cum Platone. Cui itaque exinde ſtatutæ ſententiæ affirmat Simplicius, non aduerſari Ariſtotelem, qui frequenter de hoc diſputans, non germanam Platonis ſententiam; ſed erroneas aliorum interpræt ationes, prauaſq; additiones, & extraneos ſenſus impugnat: quod conſiſtit in duobus; carpit enim primo poſitionem Idearum in concauo orbis Lunæ: quodue ipſæ formæ materiales inexiſtant in ipſo ſupræmo vniuerſi aucthore non diſiunctæ à materia; eandemq; in eo, quam & apud nos realem ſubſiſtētiam habentes; vt idem quodammodo ſit cum ipſis ſenſibilibus; quorū non imagines, & exēplaria, ſed Ideę tantum indiſtinctę rationis ſint: quod quidem vt à veritate, ita alieniſſimum fuit, & à mente Platonis; qui tantum vt artifex continet varias rationes rerum conſtruendarum, ſic opificem ipſum ſupręmū varias continere effigies, ſeu ſimulacra vt rationes variarum rerū ab ipſo producendarum, exiſtimauit. Carpitq; adhuc Ariſtoteles admiſſionem Idearum de naturis compoſitis: in quo non aduerſatur Platoni; nam cum adſint formæ trium graduum; primę ſcilicet, quę ſunt meræ formæ, ac quiditates à materia prorſus immunes, iuxta quam rationem dicuntur Ideæ: ſecundæ, quæ compræhenduntur in materia vniuerſali, ſecundum quam rationem ipſa forma dicitur natura: ac tertiæ quæ continentur in materia particulari: formas primi gradus, quæ omnino immateriales, ac ſublimes, ac inde propriè Ideæ ſunt, non excludit Ariſtoteles ex mente diuina: nec repudiat ſeparationem ipſarum

Digitized by Google

rum à materia: vnde in hoc à Platone non diſcedit: formas vero ſecundi, ac tertij gradus, quarum aliæ materiam communem, & aliæ ſingularem comprehendunt, abſolute, ac iure à conditione Idearum repellit, quoniam in Mente illa ſupræma nequet includi materia: & que in materia compræhenduntur nunquam valent ab ea ſeparari; vt ibi locari nata ſint.

Quid de hac re aſſeruerint Theologi. Cap. XLIII.

PRESENTI negatio quamuis phyſico, naturalibuſq; limitibus circumſcripto, ac proinde valde diſtanti à methodis Theologorum; qui ſupernaturali lumine, ac reuelata veritate ſubtilius, ſublimiuſq; res intuentur: non inutile tamen erit (vt ſolet ſuperioris mentis opes inferiori prodeſſe) ſi illorum placita, atque determinationes obſeruentur, & in his inueſtigationibus inſerantur: Qui quidem recte noſcentes, ſupræmam cauſam, vt rerum omnium effectricem debere eas intelligere; earumq; in ſe rationes compræhendere; vt præcipue patet apud Diuum Thomam in 1. parte ſummæ quæſt. 15. in primo ſent. diſtinct. 36. quæſt. 3. ac de Veritate quæſt. 3. ideo attribuerunt ei Ideas: quas definientes dixerunt, eſſe formas, quas productæ res æmulantur iuxta intentionem efficientis finem ſibi præſtatuentis: Pro cuius declaratione eſt animaduertendum quod, cum triplex ſit forma, alia ſcilicet, A qua, quæ nimirū eſt cauſa productionis effectus, quemadmodum à forma vnius hominis producitur alter homo: alia Ex qua, nimirum qua res actualiter formatur, vt anima equi informans equum, formaue lectuli ipſum in eſſe lectuli conſtituens: Et alia Secundum quam, nempe ad cuius ſimilitudinem, & exemplum res conſtituuntur: ſecundum hanc tertiam ſignificationem intelligitur forma quando Idea dicitur eſſe forma, vt præſertim factum eſt à Diuo Auguſtino in libro Quæſtionum 83. Et dicitur quod tales formæ res æmulantur ſecundum intentionem efficientis: vt excludantur imitationes quædam, quæ eueniunt à caſu, vt ſi ſculptor, vel errando in conſtituenda ſtatua Socratis, vel nullam in eo opere ſibi proponendo imitationem, caſualiter effigiem Platonis effinxerit: additurq; talem imitationem fieri ſecundum intentionem efficientis, qui finem ſibi proponit: vt excludantur agentia illa; quibus ſtatutus, determinatuſq; eſt finis, non à ſeipſo, ſed ab alijs, vt ſaggita; cui non propria electio; ſed ſaggitarius ſcopum præſcripſit; quemadmodum, & natura in ſuis effectibus non errans dirigitur ad prudenter, prouideq; agendum, non ex ſeipſa, cum careat cognitione: & propterea non dicitur habere in ſe ſimulacra rerum; quæ ſunt Ideæ: Sed quia Deus eſt libera, abſoluta, ſupræmaq; ac vniuerſalis cauſa finem ſibi ſuarum actionum proponens; propterea iure in eo tantum locantur Ideæ; Quæ cum in eo nil eſſe poſſint diuerſæ eſſentiæ; cum ipſe non ſit aliquid compoſitum; ſed quicquid in eo eſt, ſit Deus; ideo ſunt ei eſſentiales.

Definitio Idearum.

Forma triplex.

Duplex agēs ex intento.

De quibus queri ſolet abſintne tantum de rebus exiſtentibus; vel etiam de non exiſtentibus. Et reſponſum habetur ex D. Thoma vtique eas Deum habere nedum de his, quæ ſunt vel fuerunt; ſed de quibuſcunque ipſe producere poſſet, tametſi ea nunquam ſit effecturus: & ratio eſt quia habet cognitionem virtualiter practicam; cuius obiectum ſunt quæcunque ab ipſo apta produci de quibus tamen eſt ea diſtinctio quod illorum, que ſunt, fuerunt, vel ſunt futura, quia intercedit propoſitum, ſcilicet prædefinitio ipſius diuinæ voluntatis; ad ſunt Ideæ determinatæ: at de his, quę non ſunt, nec fuerunt, nec erunt: Ideæ tantum dantur indeterminatæ. Et cum inſtatur quoniam cum inter Ideam, & id cuius eſt adſit correſpondentia, reſpectus, & conſimilitudo: propterea non poteſt habere Ideam quod non habet aliquod eſſe determinatum. Reſpondent quod quamuis entia, que nunquā ſunt non habeant eſſe determinatum in ſeipſis; id tamen habent in ſcientia Dei. Sed iterū inſtatur quoniam omne habens eſſe determinatū diſtinguitur ab alijs; ſed quecunque ſunt in Deo ſunt ibi vnum, & indiſtinctum: ergo non habent eſſe determinatum. Cui reſpondetur

Quæſitum.

Satisfactio.

Dantur Ideæ etiam rerū, quæ nō ſunt.

Inſtantia.

Solutio.

Inſtantia.

Solutio.

non eſſe diſtincta que ſunt in eſſentia Dei: eſſe tamen diſtincta illa, que ſunt in eius ſcientia, vt ſe habet de peccatis, & malis. Vel dicamus ad totam difficultatem quod Ideis rerum non futurarum, ſed poſſibilium correſpondet ens aliquod determinatum etſi non realiter, & ſubiectiue; ſaltem obiectiue, quod ſcilicet ens quatenus poſſibile produci, eſt in potentia obiectiua.

Solutio alia.

Et itidem eo probatur principale inſtitutum quoniam cum Ideę ſint cauſę rerum: cauſæq; non dependeant ab effectibus, ſed e contra: propterea non habent Ideæ exiſtentiam iuxta exiſtentiam rerum actualem: ſed iuxta poſſibilitatem conſtitutionis illarum.

Rationes pro exiſtētia Idearum.

De vera autem ipſarum Idearum exiſtentia comprobatio habetur ex Diuo Auguſtino, atque ex alijs prętercæteras rationes, ex eo quod cum agens per intellectionem noſcere debeat quid agat; ideo ſupræmum agens ſuorum agibilium rationes, ſcilicet Ideas includere debet. Quiaue cauſa efficiens, finalis, & formalis in vnum coincidunt ex ſecundo Phyſicorum contex. 76. vnde cum prima rerum cauſa efficiens ſit ac finalis, debet etiam eſſe formalis: at non ex illis formis, quæ ſunt pars compoſiti: quare eſt forma exemplaris, atque Idealis. Ac quoniam nil producit aliquid, niſi ſit illius cauſa quodammodo propria, vnde cum cauſa illa, non ſit alicui talis per ſe; cum ſit ex ſe vniuerſalis: propterea debet effectibus appropriari per rationes eorum proprias, quæ ſunt Ideæ. Inſuper quia Deus res ſcit; ſecus enim aſſerendo, illius perfectio, & tota ſcientia Theologica euerteretur: nec poteſt eas ſcire per eſsentiam; quia ſcilicet formalis illorum eſsentia in eo compræhendatur; vnde relinquitur, vt illas cognoſcat per ſimilitudinem nimirum per Ideas in ipſo compræhenſas.

Quæſitum. Satisfactio. Pluralitas Idearum datur.

Ad quæſitum vero numquid pluralitas Idearum in Deo reperiatur: Reſpondent affirmatiue Diui Pauli ductu, qui in Epiſtola ad Hebreos cap. 11. ait: Fide intelligimus aptata eſse ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent: vbi cum pluraliter nominet inuiſibilia, indicat Ideas exinde ſignificatas eſse plures: Quod expreſſit, & Diuus Auguſtinus in Epiſtola quadam ad Nebridium, inquiens quod vt irrationabiliter diceretur, eandem eſse rationem anguli, & quadrati, pariter & inconueniens eſset dicere, quod in Deo eadem ſit ratio hominis, & huius hominis: quod pariter affirmauit in libro 83. quæſt. 46. inquiens entia quelibet ratione quadam à Deo producta eſse, vt non eadem ratione conditus fuerit homo, & Leo: ſed ſingula proprijs rationibus, Ideis ſcilicet, ſint in eſse conſtituta. Huicq; aſsertioni rationem ſubijciunt quoniam, quodcunque per intellectionem producit ordinem alicuius totius, diſtinctim habere debet omnium illius partium rationes: eo modo quo ſculptor ſtatuam Socratis: capitis, dorſſi, pectoris, aliarumq; omnium partium imaginem habet: Sed ipſe ſupræmus opifex perfecte intelligit ordinem vniuerſi ab eo conditi: Quare compræhendere debet rationes, quæ ſunt Ideæ ſingularum eius partium.

Quomodo Ideæ plurificentur.

Explicantes autem modum pluralitatis Idearum, docent multitudinem non conſiſtere in cognitione diuina; cuius ſcientia, ſeu ars, vnica ſemper eſt: ſed in ipſis Ideis, vt habentibus proportionem ad varietatem rerum producendarum: quoniam quemadmodum in mente humana duplex eſt actus intellectus: alius enim eſt actus intellectionis, qui non eſt ratio intelligendi; ſed ipſamet intellectio, & alius eſt ſpecies intelligibilis, ex quo habitus intellectus, ac ipſa intellectio dependent: ſic in Deo, cuius ſubſtantia eſt Idea omnium rerum, quas. ſ. ad ſui ſimilitudinem producit: quoniam res illæ iuxta variam, & inequalem ſui conditionem vario modo illius ſimilitudinem, & imitationem habent: propterea diuerſæ inſunt Ideę iuxta diuerſam proportionem rerum ad illum: ſcientia vero, quam habet de his rebus, non eſt multiplex; cum ſit ipſamet eſsentia diuina omnimoda vnitate fruens, adeo vt quod à Deo intelligitur primo, & per ſe, ſit abſolute vnum: quāuis in his, que ab eo intelliguntur ſecundario cadere valeat pluralitas reſpectu variæ proportionis ad cognita diſtincta: vnde dicūt pluralitatē in cognitione diuina cadere, nō ſuper id (quo) ſcilicet ſuper ſcientiā: ſed

Digitized by Google

ſed tantum ſuper id (quod) nimirum ſuper entia intellecta, que in ſeipſis habent varietatem, & diuerſam proportionem ad ſuam cauſam ſupræmam; in qua quidem quamuis ſit perfecta vnitas, quippe cum nobiliſſimo enti debeant omnia ineſſe modo perfectiori, qualis eſt vnitas, in qua vigentior eſt omnis virtus: quiaue multiplicitas præſefert inæqualitatem ob varias conditiones rerum multiplicium, quæ quidem inæqualitas à diuina eſſentia longiſſime diſtat: tali tamen vnitati non officit pluralitas Idearum, quæ non inſunt ei tanquam principia, & rationes intelligendi; vt inde diſtinguantur eſſentia à ſe inuicem, & ab eo cui inſunt; ſed ſunt tantum obiectum, & terminus intellectionis habens diſtinctionem ſolum modo per reſpectum diſtinctorum entium repræſentatorum.

Aperitur intentio Ariſtotelis circa Ideas, & ipſius doctrina cum Platone conciliatur. Cap. XIV.

HIS hactenus in vberiorem tractationem decurſis, iam tempus admonet, vt ad propria redeundo, Ariſtotelis ſententia diligenter examinetur, vt in quo ſit illius conſenſus, vel diſcrimen cum poſitione Platonis appareat: quod quidem Ariſtotelis iudicium de Ideis plane colligi poteſt obſeruando auerſionem illis à prauis his aſſertionibus philoſophorum, ex quibus Ideæ deſtruuntur; abhorruit enim ab opinione Empedoclis, omnia ex neceſſitate naturæ producta reputantis; ac exinde occaſionem Idearum auferentis; cum enim primum motorem agens omnium nobiliſſimum exiſtimauerit, nunquam ipſum ex neceſſitate operantem credidiſſet: abhorruit pariter ab Epicureorum, Democriti, Leucippi, & aliorum excogitatione, quod omnia temere, ac cæco caſu in vniuerſo eueniant; ac inde non adeſſe cauſam, quæ Ideis vtatur: vnde ſi nec neceſſitate, nec caſu Deum agere cenſuit; debuit idcirco in eo producendorum cognitionem admittere: Quoniamue quo ad ea, que ab ipſo producuntur alienus fuit à ſententia illa, quæ tenuit Auicennam putantem, ipſum ſupremum mundi authorem, quamuis non neceſſitate, ſed per intellectionem agentem; vnius tantum, ſcilicet primæ intelligentiæ productioni per ſui ipſius intellectionem natum eſſe: quæ prima intelligentia habens eſſentiam differentem ab eſſe, ac ideo compoſitionem ex actu, & potentia intelligendo illam cauſam ſupręmam, producat intelligentiam ſibi proximam: intelligendo vero ſeipſam quatenus habentem potentiã, producat ſuum orbem cæleſtem: ac per intellectionem ſui ipſius, vt habentis actum, producat animam illius orbis; conſimiliterq; ſubſequentes intelligentias in rerum conſtitutione progredientes, ordinem, & pluralitatem rerum in vniuerſo ſeruare: vnde vnica tantum Idea, intelligentiæ ſcilicet primo productæ ſecundum talem opinionem Deo conceditur: Contra quam poſitionem vrget ratio illa, quod ex ea ſequeretur, in reſpectu primæ cauſæ reliqua omnia entia præter primam intelligentiam caſualia, & per accidens eſſe: Ad illud enim, cuius intentio ad vnicum ens terminatur, quodcunque ex illo vno ſequatur eſt ei caſuale, & per accidens: vt ſi quis intendat ſolam productionem plantæ, præter illius intentionem eſſet florum, ac fructuum generatio: vnde ſi intentio primæ cauſæ terminaretur tantum ad aliquam intelligentiam; planè ſequeretur, productioné aliarum rerum eſſe ei per accidens: ac eſſe per ſe in reſpectu tantum aliarum cauſarum; cum tamen ſecus res ſe habeat; nam caſus, fortuna, & per accidens, cõtingunt in reſpectu ſecundarum cauſarum: nõ primæ: Reſpuit itaque Ariſtoteles huiuſmodi poſitionem exprimens ſe potiſſimum in primo de Cœlo dum inquit: primam rerum cauſam vniuerſis entibus eſſe clarius, obſcuriuſue largitam fuiſſe: ſimul innuẽs exinde, quod ipſa prima cauſa cuncta per cognitionem producens, debeat cunctorum producibilium rationes, & ſpecies, quæ aliud non ſunt quam Ideæ, ſua mente compręhendere.

A tribus Antiquorum opinionib. de productione rerũ diſtat Ariſtoteles.

Empedocles.

Epycurei.

Auicennas.

Ideas conſonas eſſe Ariſtoteli. Fundament.

Quod autem ipſam primam cauſam rerum effectricem Ariſtoteles cognouerit confirmant frequentes eius atteſtationes, pręſertim in primo de Cœlo contex. 32. vbi inquit: Deum pariter vt naturam nil fruſtra facere: certam exinde efficientiam ei

Deũ rerũ efficientẽ cognouit Ariſt.

 attri-

Digitized by Google

attribuens: pariter & in duodecimo Metaphyſic. 38. dum ait, quod ex Deo dependent Cælum, ac vniuerſa natura: Quinetiam in nono eiuſdem operis contex. 17. vbi habetur quod, in vniuerſo niſi eſſet Deus nil cæterorum reperiretur: Sed exactius in ſecundo de Generatione & Inter. tex. 59. vbi legitur quod cum hec inferiora nequeant eſſe numero æterna: propterea bono vniuerſi conſulens reliquo modo compleuit continuam faciens generationem: Clariſſime hinc denotans eius de rebus, nedum efficientiam, ſed & perfectam cognitionem, neceſſariam prouidétiæ comitem, cui rerum notiones, & Ideæ propriiſſime competunt. Confirmat hoc 52. textus duodecimi Metaphyſicorum declarans ipſum Deum cauſam ordinis vniuerſi. Quod idem exprimi ſolet etiam ex textu 15. Octaui Phyſicorum in illis verbis: nil eſſe inordinatum in his que à natura, & ſecundum naturam ſunt; quoniam natura eſt cauſa ordinis: querunt enim aliqui an ibi Philoſophus nomine naturæ, intellexerit de natura, quæ eſt materia, vel de forma; inferrentes quod cum id non poſſit eſſe de materia, quæ indeterminata, inordinata, ac ad ordinem cauſandum inepta penitus eſt: intellexerit de forma, ac ex formis non quidem de illa, quæ eſt pars compoſiti, quæ vt eſt pars, ita eſt eius quodam imperfectum: ſed de forma, quæ eſt exemplar, qualis eſt ipſe Deus nobiliſſima, ac eminentiſſima forma, quæ rerum cunctorum eſt Idea, in ſe vnica, at in reſpectu ipſarum multiplex. Quamuis tamen idem tutius ex ea ratione elliciendum videatur dicendo quod per (naturam, quæ eſt cauſa ordinis) non intellexit ibi Philoſophus naturas ſingulares, qualis eſt materia, & forma: ſed naturam communem: quam quidem naturam communem nequit eam cenſere, quæ cognitione caret, & ab alia cauſa dependet: ſed ipſum Deum, qui recte dici ſolet natura naturans; qui vt independens, potens, ac ſciens, entia omnia, vniuerſum, ac ipſammet priori modo acceptam naturam dirigit, vt modo ex 38. contextu duodecimi Metaphyſicorum colligebatur. In cuius operis 52. textu rurſus inſtitutum noſtrum confirmat inquiens quod: vt bonum exercitus, quod eſt ordo eſt in duce, qui non eſt propter ordinem, ſed ordo eſt propter ipſum: ſic & in vniuerſo natantium, volatilium, plantarum, cunctorumq; entium bonū eſſe in principio vniuerſi, quod eſt natura: ſignificādo proculdubio principium illud, quod naturam regit. Idipſum delineare viſus eſt in textu eiuſdem operis 14. vbi poſt diuiſionem ſubſtantiæ in materiam formam & compoſitum, ait adeſſe formas aliquas, quæ reperiri nequent extra ſua compoſita materiata; vt ſe habet de forma domus, quæ immaterialiter non eſt niſi in arte, ideſt intra artificis animam: ſubdēs quod ſi aliquæ ſunt extra ſubſtantias compoſitas; tales ſunt in naturalibus: & ſtatim Platonem commendat: Ex quibus verbis opportune colligitur tum admiſſio formarum rerum naturalium extra ſua compoſita: tum etiam inexiſtentia formę in artifice: ex quo efficaciſſime licet inferre, hoc idem eſſe debere in artifice omnium ſupræmo. Præterea quoniam Philoſophus in ſecundo Phyſicorum 28. de forma loquens inquit: eam eſſe formam, & exemplum, quod eſt ratio ipſius quodquid erat eſſe: colligitur exinde duplicem eſſe formam; aliam ſcilicet inhærrentem, & tanquam pars rem in eſſe conſtituentem: aliam vero exemplarem, quales ſunt ſpecies, quæ Ideæ dicuntur, rerum rationes repræſentantes: Idcirco cum idem Ariſtoteles deinde in Octauo lib. determinata primi motoris æternitate, ac immaterialitate, docet ipſum non eſſe tantum primum motorem: ſed etiam tanquam formam, & finem. Quod repetit Auerroes tum in eodem opere, tum etiam in decimo Metaphyſicorum comm. 7. inquiens ipſum primum motorem eſſe non tantum agens; ſed etiam formam: exponitur tunc non loqui Ariſtotelem de forma inherrente, quæ eſt ignobilis pars compoſiti materialis: ſed de exemplari, quæ eſt Idea rerum. Solent etiam exponi verba Ariſtotelis in primo Metaphyſic. cap. 2. aſſerentis quod maxime vniuerſalia principia rerum ſint dificilimæ cognitionis: quod non intellexerit de vniuerſali in prædicando, ſed de vniuerſali in cauſando; quod duplex eſt: alterum ſcilicet cauſans efficienter, vt omnes intelligentiæ, & alterum cauſans formaliter, qualis eſt eſſentia diuina, cui coeſſentiales ſunt illæ formæ Ideales: Siue dicatur vna cum Alexandro in ſeptimo Metaphyſices, cum Diuo Thoma in tractatu de Angelis, Ammonio & alijs; quod aliud vniuerſale eſt poſt

multa;

Digitized by Google

multa; quod ſcilicet prædicatur: de quo in 8. contextu primi de Anima habetur quod eſt poſterius ſingularibus, & aliud eſt ante multa, nimirum Idea: Nec aſpernanda ratio conficitur ex eo quod danda eſt neceſſario de rebus ſcientia, ni valde decipiatur Ariſtoteles, qui in primo Poſteriorum de ſcientia tam late diſſerit: ipſa vero ſcientia dificulter ac imperfecte videtur haberi ab hominibus; etenim vt omittatur pro nunc Platonis dictum in libro de Pulcro quod ſolus Deus ſapiens ſit; ex ipſomet Ariſtotele in præcitato primo Poſteriorum, tria ad perfectam ſcientiam requiruntur, nimirum cognoſcere cauſam, propter quam res eſt: quod ſit talis cauſa: & quod non contingat aliter ſe habere: cauſa vero eſt multiplex; & inter alias eſt ipſa ſupræma, quæ nequit ab hominibus quiditatiue cognoſci: vnde in hominibus non videtur ſcientia abſolute perfecta reperiri: ac propterea admittenda eſt ante omnes in Deo: qui vt primus in genere ſcientium ſit cauſa & metrum ſcientiæ cæterorum; ad ſaluandum id, quod habetur in decimo Metaphyſices 7. adeo vt ad abſolutiſſimam illius ſcientiam adſint etiam in eo rerum productarum Ideæ: Quas approbare viſus eſt Auerroes in tertio de Anima comment. 5. inquiens: Vnde Plato dicit quod vniuerſalia ſunt neque generabilia, nec corruptibilia, quæ ſunt exiſtentia extra mentem: & eſt ſermo verus ex hoc modo: Que quidem vniuerſalia extra mentem exiſtentia non aliud eſſe videntur quam Ideæ Platonis.

In quem quidem Platonem non inuectus eſt Ariſtoteles cum ſæpe aduerſus Ideas diſputauit, reprobauit namque prauas aliorum interpretationes, & alterationes illius ſententiæ, vt in ſecundo capite ex Simplicio monefecimus. Circa quod eſt animaduertendum Ideas habere duplex eſſe: alterum ſcilicet formale, per quod inexiſtunt ipſi diuinæ menti, cui coeſſentiales ſunt: & alterum participatum ſecundum quod inexiſtunt intelligentijs, ac menti humanæ, quæ ſunt ſpecies, in illis inſitæ; in hac acquiſitæ, quæ quamuis aliqualiter participent rationem Idearum formalium, ſunt tamen eis valde imperfectiores: eo modo quo calor, qui in ligno eſt tantum participatiue, imperfectior erit calore ignis, qui ei formaliter ineſt: ſic etiam ſecundum Platonē ſemina, quæ ſunt in natura, ac rationes primæ materiæ, quas vocabat vmbras Idearum, ſunt quædam ipſarum Idearum participatio. *Duplex eſſe Idearum.*

Quarum quidem Idearum, preſertim formalium, duplex eſt vſus: inſeruiunt namque ſcientiæ, ac productioni rerum: ſcientiæ quidem quoniam cum in Deo idem ſit intelligens, intellectum, ac intellectio, vt ex tertio de Anima contex. 15. ac ex duodecimo Metaphyſicorum 51. colligitur: ideo omnia perfecte cognoſcens habet in ſe ſimulacrum repræſentatiuum omnium rerum conſiſtens in Ideis: vnde extat in diuina Mente mundus ille Idealis, quem Plato in Thimeo vocabat mundum intelligibilem ad differentiam mundi ſenſibilis, quem ipſa mens per mundum intelligibilem ei exēplatem cognoſcit: Inſeruiūt operationi; quoniam cum Deus ſemper operetur: & hoc nobiliſſimo modo, qui eſt per intellectionem, qua producit res ad extra dum intelligit ſe imitabilem ab ipſis rebus: ideo vtiliter habet Ideas, quę vt inde apparet, ſuggerunt ei tum ſcientiam ſpeculatiuam, tum practicam; habetur enim in tertio de Anima contex. 40. quod intellectus practicus à ſpeculatiuo diſcrimen habent ex fine: quod explicat 3. textus ſecundi Metaphyſicorum docens finem ſpeculatiui eſſe veritatem, practici vero operationem: Quæ quidem ſcientia, ſeu cognitio practica duplex eſt: alia ſcilicet in actu; quando nimirum actualiter ad actum operationis ſe adhibet: alia vero virtualiter, & in habitu; dum ſcilicet ſciens habet vtique cognitionem ordinabilem ad operationem; ſed eam non actualiter operi adhibet: Tales omnes cognitiones vſu Idearum videntur competere Deo: & iuxta illarum diuerſitatem variæ extiterunt aſſertiones Platonis de ipſis Ideis: vnde Ariſtoteles aliqualiter cōturbatus eſt; etenim illas modo attribuit menti diuinæ; dum ſcilicet eas conſiderauit vt inſeruientes illius cognitioni ſpeculatiuæ: modo repoſuit illas in concauo Lunæ; quatenus ſcilicet conſiderabat eas inſeruientes cognitioni practicæ actuali: modo dixit eas eſſe in cerebro Dei; quia tunc eas ſpectabat in reſpectu miniſterij ad cognitionem practicam habitualem: quandoque eas poſuit in intelligentijs Cœleſtibus, reſpiciendo non

Duplex vſus Idearum.

Duplex mundus.

Conciliatio.

ipſarum Idearum eſſe formale, ſed participatum ex ſpeciebus inſitis, quę competunt intelligentijs nonnunquam etiam humanę menti per remotiorem illarurum participationem, quam habent ſpecies ab humano intellectu ex ſenſibilibus acquiſitę: ac in natura per adhuc remotiorem participationem, qua de ipſis Ideis ſemina potiuntur: quinnimo & ipſi materię per remotiſſimam illam participationem, quam vocat vmbram Idearum, aſcribit: vnde aſsertiones Platonis ſic intellectę nil à principijs Ariſtotelis diſſident: Cui tandem non debuit ſcandalum afferre mos Platonis ſi in ardua explicatione rerum dificilium & abditarum myſticę perſępe locutus, vſus fuerit Rethoricis, Poeticiſque figuris; id enim & ipſe Ariſtoteles ſolet nedum in alijs approbare, quemadmodum in tertio de Anima tex. 4. commendat Anaxagoram eo quod mentem diuinam (vt aptam dominari) exemerat à Chaos: ac ibidem in textu 6. laudat Platonem ponentem intellectum locum ſpecierum: ſed imitatur etiam, ſicut ad exemplum Platonis in Philebo dicentis humanam animam ſimilem eſſe libro; ipſe in tertio de Anima 14. inquit intellectum eſſe veluti tabulam, in qua nihil eſt ſcriptum: ſicuti etiam, vt alię obſeruationes pretermittãtur, in primo Phyſicorum textibus 80. ac 81. primam materiam modo matri, ac modo feminę marem appetenti comparauit.

Afferuntur argumenta, quę dubium reddunt conſenſum Ariſtotelis cum Platone circa Ideas. Cap. X-V.

NOn ſatis eſt ad preſentis determinationis ſtabilitatem Ariſtotelis mentem ſcrutatos eſſe, ipſumque Platoni non aduerſum rationibus oſtendiſſe, & varietatis aſſignata occaſione ac ſenſu, conciliationis fundamẽtum innuiſſe; niſi oppoſitę rationes, quę tum ab ipſo Ariſtotele, tum ab alijs formatę ſunt, explicito ſermone recenſeantur, & diſſoluantur: ex quibus altera eſt, quam ad talem conciliationem euertendam adduxit Zimara in tabula verbo Idea, eductam ex verbis Ariſtotelis in ſecũdo Poſteriorum cap 35. vbi aduerſus Platonem inter eſſentialia & accidentalia predicata diſcrimen aſſignans inquit: valeant Platonicæ Ideę, quę monſtra ſunt, ſi ſunt.

Argument. 1

Argument. 2. Deinde vrgere videtur littera 19. contextus ſecundi Phyſicorum, in quo loquens Philoſophus de abſtractione Phyſica, & Mathematica inquit: Decipiuntur autem qui hoc faciunt, & Ideas ponunt; abſtrahunt enim naturalia, quæ minus quam Mathematica ſunt apta ſeparari.

Argument. 3 Pariter & in ſecundo de Generatione & inter. contex. 52. pertractans Ariſtoteles de cauſis efficiente, formali, & materiali inuehitur in Platonem ponentem in Phedone pro efficiente Ideam inquiens: cum Idea ſit ęterna, & materia æterna, fiatq; ſecundum eos generatio ſecundum ſuſceptionem, vt corruptio ſecundum abiectionem participatę rationis Idealis: vnde ſemper adeſt cauſa productiua, & ſuſceptiua: vt quid non ſemper eſt generatio, quę tamen quandoque eſſe videtur, & quandoque eſt corruptio.

Argument. 4 Conformiterq; egiſſe videtur in primo de Anima tex 8. determinans non dari animal vniuerſale: quod commemorans Auerroes in tertio de Anima comm. 18. rationem adducit inquiens quod ſi vniuerſalia haberent aliquod eſſe extra animam, ſequeretur intellectum agentem non eſſe neceſſarium; vnde quia Ideę eſſent vniuerſalia extra animam exiſtentia, videtur quod ſecundum Ariſtotelem dari non poſſint.

Argument. 5 Deſumitur etiam obijciendi occaſio ex Ariſtotele in tertio de Anima contex. 30. aſſerente: ſenſibilia intelligi non poſſe ſine phantaſia: pariter & ex 4. contextu ſecundi Metaphyſicorum, vbi habetur res ita ſe habere ad cognoſci, vt ſe habent ad eſſe: vnde cum Deus non intelligat per phantaſiam, ac conſequenter non intelligat res cũ materia: videtur ideo quod talia entia non cognoſcat: ac propterea quod de illis non habeat Ideas: Quod confirmatum habetur ab Auerroe in duodecimo Metaphyſic. comm. 51. aſſeuerante quod, vilia entia Deus non cognoſcit; quoniam cum perficia-

tur intelligens ab intellecto, fieret vt ipſe Deus ex vilibus entibus perficeretur.

Quinetiam deſumitur materia argumẽtationis ex primo Metaphyſic. contex. 24. vbi carpitur Plato, quod poſuerit numeros, qui ex ſe ſunt tantum intelligibiles, principia rerum ſenſibilium: vnde pariter & Ideę intelligibiles tantum videntur non poſſe ex mente Ariſtotelis, ſeu quo ad eſſe, ſeu quoad cognoſci eſſe ſenſibilium principia. *Argument. 6*

In 26. etiam textu illi proximo ratiocinãdo Ariſtoteles inualida trationem Platonis, quod ſcilicet cum non detur ſcientia de rebus tranſmutabilibus admitendæ ſint Ideæ æternę, de quibus valeat haberi ſcientia: inquiẽs ex aduerſo Philoſophus quod: ſi efficax eſſet huiuſmodi argumentatio, dandæ etiam eſſent Ideę de negationibus; quas Plato non admiſit. *Argument. 7*

Statimque in ſubſequenti contex. 28. nouo argumento inquit, quod poſitis Ideis de cunctis ſcibilibus, adeſſe deberent etiam de his, que ſunt ad aliquid, quod Plato non concedit. *Argument. 8*

Mox in ſequenti contex. 29. inconcludentem probat rationem illam Platonis, quę ſic procedebat: Quorum eſt notio, ac ſcientia vna, eorum eſſe debent Ideæ: vnica eſt notio, ac ſcientia de omnibus ſubſtantijs, ergo de ijſdem debent eſſe Ideę: aduerſus quam inquit Philoſophus, quod eodem modo argumentando liceret inferre quod cum vna etiam ſit notio, ac ſcientia de omnibus accidentibus: pariter & omnium accidentium eſſe deberent Ideę. *Argument. 9*

Inſuper quia ibidem probatur Ideas non eſſe numeros, quoniam ex multis numeris fit numerus vnus: vnde ſi Ideę eſſent numeri, ſequeretur fieri vnam Ideam ex multis Ideis; quod eſt abſurdum. *Argumẽt. 10*

Impugnatur ibidem Platonis aſſertio quod Ideę ſint numeri, eo argumento: quoniam Ideata ſuis Ideis eſſe deberent ſimilia ſi ad illarum ſimilitudinem conſtituerentur: ſed res ipſæ Ideatę non habent ſimilitudinem cum numeris; ſunt etenim potius proportiones numerorum: & proportio non eſt numerus, ſed conſonantia quędam ex concurſu numerorum reſultans. *Argumẽt. 11*

Inſuper in 32. textu prędicti primi Metaphyſic. expreſſe fatetur Ariſtoteles quod, dicere Ideas eſſe exemplaria, & à cæteris participari, eſt vaniloquium, metaphora, ac ſermo poeticus: q̃bus determinare videtur nulli operi eas cõferre: vnde & Auerroes ſuper litteram illam dicebat: ſi Idea eſſet exemplar, rueret generatio, quoniam aſinus non poſſet exemplar inſpicere vt alium ſimilem generaret: quiaue ſequeretur quod ſortes genitus haberet alium ſortem immortalem. *Argumẽt. 12*

Deinde alio ratio habetur ab eodem Ariſtotele in ſubſequenti textu 34. quia vt ſe habet de rebus artefactis in reſpectu ſuarum cauſarum artificialium, ita ſe debet habere de rebus Phyſicis reſpectu ſuarum cauſarum naturalium: ſed multa ſunt artificialia, vt domus, annulus, ac huiuſmodi alia, quorum non eſt Idea: vt pariter multorum etiam entium naturalium non neceſſariæ videantur Ideæ. *Argumẽt. 13*

Ex eodem primo libro Metaphyſic. alia adhuc ratio talis extat: ſi dantur Ideæ rerum naturalium ſenſibilium: tunc quoniam homo (exempli gratia) Idealis, & homo naturalis ſunt eiuſdem generis: ideo ipſarum etiam Idearum dandæ erunt Ideæ, & aliæ de illis, vnde erit progreſſus in infinitum. *Argumẽt. 14*

Præterea ſumitur argumentnm ex ſeptimo Metaphyſic. vbi in initio, ac in tex. 10. ad quæſitum ſitne quiditas idem cum habente ipſam: reſpondet affirmatiue quoad entia per ſe: negatiue vero quo ad aggregata per accidens; adeout in homine ea ſint idem: in homine autem ſedente, non: quæ quidem doctrina euerteretur, quando hominis, vel Leonis, qui ſunt entia per ſe eſſet quiditas, ſeu Idea ſeparata; nam tunc etiam in entibus per ſe diſtincta eſſet quiditas ab habente eam. *Argumẽt. 15*

In ſubſequenti vero tex. format ipſemet Ariſtoteles argumentum inquiens: ſi quod quid eſt rei eſſet ſeparatum ab ipſa re, vt quiditas hominis ab homine, quiditas boni à bono, & ſic de cęteris, ſequeretur non dari ſcientiam de homine, de bono, nec de reliquis entibus: ac vlterius ſequeretur quod talia non haberent eſſe: & conſequentia deducitur quoniam vnumquodque ſcitur, habetque eſſe per ſuam quiditatem: vnde *Argumẽt. 16*

ſi illa

Digitized by Google

ſi illa eſſet ſeparata à rebus, ſequeretur intentum: vt falſo dictum videatur à Platone, quòd conferant Ideæ ad productionem, & ad ſcientiam rerum.

Argumēt. 17 Aliud argumentum habetur ab ipſo in eodem opere, quoniam Ideæ ſi adeſſent, prodeſſent rebus aut ad illarum eſſe, aut ad ſcientiam: quod neutro modo contingere videtur; etenim quoad eſſe non proſunt, niſi que exiſtunt in rebus, quod non eſt de Ideis: habeturq; ſcientia de rebus propter quiditatem ipſis rebus inexiſtentem, qualis Idea non eſt, cum ſit à ſua re ſeparata: quare nec ad rerum eſſe, nec ad ſcibilitatem conferre poſſe videntur.

Argumēt. 18 Aliud argumentum ellicitur ex eodem opere tex. 22. 28. 30. & alibi ex dicto Ariſtotelis quod fit vnumquodq; à ſuo ſimili, ab vniuocoue generatur: vnde cum Ideæ, quæ ſunt immortales, diſſimiles, ac minime vniuocæ ſint ſuis Ideatis naturalibus; ſequitur vt nullo modo poſſint eſſe illorum productrices.

Argumēt. 19 Præterea ſæpe Ariſtoteles in eodem libro, vt in tex. 37. fatetur: vt ſphæra ſe habet ad æs ſic cuncta entia naturalia ſe habere ad materiam: vnde quemadmodum nequet eſſe Sphæra ſine ære: pariter nec res naturales ſine materia: & ideo ſubdit in tex 39. qd̄ dictū illud de animali, quo iunior Socrates vti ſolebat, nō bene ſe habet; quia abducit à vero, & opinari facit hominē eſſe ſine partibus, quemadmodū eſt circulus ſine ære.

Argumēt. 20 Arguit etiam in 48. contex. eiuſdem ſeptimi lib. inferrens ex poſitione Idearum neceſſitatem dandi tertium hominem inter hominem ſenſibilem, & Idealem: & conſequentia deducitur quoniam, ex eo quod à quibuslibet in nomine, & ratione communicantibus abſtrahibilis eſt tertius conceptus eis communis: vnde cum homo ſenſibilis, & Idealis in nomine, & ratione communicent: propterea ſi ambo realiter eſſent: communis ab ipſis conceptus abſtrahibilis eſſet.

Argumēt. 21 Amplius quia in duodecimo Metaphyſic. contex. 51. & aliunde colligitur ab Ariſtotele ſupræmam mentem ſeipſam, cæteraq; entia eodem modo cognoſcere: inde arguitur quoniam quemadmodum illa non intelligit ſe per Ideas: pariter & alia abſque Ideis cognoſcere videtur.

Argumēt. 22 Arguit quinetiam Ariſtoteles ad eandem Idearum impugnationē in primo Ethicorum cap. 6. probans aduerſus Platonem non dari Ideam boni, quoniam etiam iuxta doctrinam Platonis vbi adeſt prius, & poſterius, ibi non datur communis Idea: vt proinde Plato Ideas de numeris non admiſerit: ſed in omnibus prædicamentis eſt prius & poſterius: igitur nec boni, nec ſubſtantiæ, nec entium aliorum generum dantur Ideæ.

Argumēt. 23 In cuius confirmationem arguitur quoniam, nullum vniuerſale commune, ſeu communis Idea eſt de his, quorum diuerſa ſunt prædicamenta; Entium namque decem prædicamentorum non eſt aliquod genus commune, quale ſi eſſet potiſſimum eſſet ens: & hoc non eſt; quoniam ex Ariſtotele in tertio Metaphyſicorum genus deſcendere debet in ſpecies ſubalternas per differentias formales: quod non facit ens deſcendens ad prædicamenta per differentias modales; vt etiam ſe habet de bono, quod tot modis dicitur, quot dicitur ens: vnde cum bonum ſit in diuerſis prędicamentis; quando conuertatur cum ente: proinde communis eius Idea dari non poteſt.

Argumēt. 24 Adduntque nonnulli non eſſe vnam Ideam niſi illorum, quorum eſt vna ſcientia, quandoquidem Ideæ ſint propter ſcientiam: ſed omnium bonorum non eſt vna ſcientia, diuerſa namque ſunt bona, quibus incumbunt ſcientiæ diuerſæ: quare non omnium bonorum eſt vna Idea.

Argumēt. 25 Obijcitur inſuper fundamento cuidam Platonis quod erat: ponendas eſſe Ideas de quibuſcunque dicitur aliquod commune: vnde cum de ſuppoſitis naturalibus, vt hominibus, canibus, & equis aliquod commune dicatur, de talibus propterea dandas eſſe Ideas: Cui obijcitur quod pariter argui poſſet dicendo: de dualitate indefinita, quæ materiæ competit, prædicatur alia dualitas ipſa materia prior: ex quo ſequeretur principium rerum non eſſe materiam, ſed illam dualitatem, quæ de dualitate primæ materiæ prædicatur.

Argumēt. 26 Arguitur inſuper quoniam ex poſitione Idearum ſequeretur Relatiuum eſſe prius abſo-

abſoluto, contra regulam, quam Ariſtoteles in recenſendis Prædicamentis inſtituit: & conſequentia deducitur, quoniam Ideæ attribuuntur entibus abſolutis, que reſpe-ctu ipſarum Idearum euadunt relata; cum ad ipſas relationem habeant: vnde ſequi videtur, quod relatiua ſint priora abſolutis.

Probatur etiam inconueniens eſſe ponere Ideas ſaltem de accidentibus: quęcunq; *Argumēt.* 27
enim habent Ideas debent illas participare: ſed accidentia participare nequent aliquod exiſtens in Deo; cui ſiquidem nullum ineſt accidens: quia ue ſenſibilia, & mortalia, qualia ſunt accidentia participare nequent immortalia, quorum generis ſunt Ideæ Diuinæ Menti inexiſtentes.

Præterea vel Idea, & id cuius Idea eſt, communicant in nomine, & in definitione, *Argumēt.* 28
vel in nomine tantum: ſi primo modo, ſequitur hominem ſenſibilem eſſe hominem intelligibilem. Idea etenim hominis eſt homo intelligibilis: ſi ſecundo modo, tunc nō aderit ratio cur ipſe ſupræmus opifex per Ideam hominis producat magis hominem, quam bouem, aut aliud animal: curue magis hominem naturalem, quam hominem pictum; quando realis, ac pictus communi hominis nomine potiantur.

Queri inſuper ſolet, requiranturne Ideæ ob res æternas, vel ob mortales, ſubijciendo non videri quod requirantur ob æternas, quia potiſſime id eſſet propter motum Cælorum: quod non eſt; nam cum Ideæ ſint rationes æternę, conuenit eis cauſare potius quietem, quam motum: nec propter mortales, cum in ipſis nō ſint: nec etiam propter ſcientiam; quoniam illa deſumitur ex eo, cuius eſt ſcientia: non ex re externa: vt Ideæ videantur inutiles. *Argumēt.* 29

Adhuc quia Ideæ in natura exiſtentes à rebus, quarum eſſent participari deberēt: *Argumēt.* 30
quæritur participenturne tanquam miſcibilia à mixto, quod dicendum non eſt: quoniam miſcibilia fiunt partes actualiter, & formaliter componentes mixtum, in quod intrant alterata, & refracta, ad ipſiuſque interitum, & ipſa corrumpuntur, que non poſſunt euenire de Ideis, quæ ſcilicet nec valent eſſe actuales partes formales rerum ſenſibilium; nec corruptibiles, alterabiles, ſeu frangibiles ſunt: vel eo modo quo participatur vnum miſcibile ab altero, vt vinum ab aqua; quod etiam non poteſt eſſe; namque ex talibus imbibitur vnum in alio, quod non eſt dicendum de Ideis: vel vt participatur ſubſtantia ab accidentibus; quod pariter eſſe non poteſt; quia ſequeretur Ideas eſſe ſuorum ſuppoſitorum materiam, non formas: Quare nullo modo participabiles, nec proinde conceſſibiles videntur.

Additur ſequi ex poſitione Idearum id inconueniens, quod vnius rei multę eſſent: vt Petri eſſet Idea hominis; qui prædicatur de Petro; adhuc eiuſdem eſſet Idea animalis, diſciplinabilis, bipedis, riſibilis, & aliorum huiuſmodi pręd icatorum: quod inconueniens videtur; nam cum vnius rei ſit vnica forma: Et Ideæ ſunt rerum formæ: impoſſibile eſt vt plures rei vni conueniant. *Argumēt.* 31

Accedit quod ipſa Idea cum re, cuius eſt vel communicat in natura, vel non: non *Argumēt.* 32
eſt dicendum quod ſic; nam inde ſequeretur quod quemadmodum homo exempli gratia naturalis, & ſenſibilis eſt mortalis: idem eſſet de homine illo Ideali: nec eſt dicendum quod differant, nam cum dixerit Plato quod conueniunt in vna & eadem ratione, ideo communicare debent in natura: Quare non concedendæ videntur Ideę.

Et demum quoniam ſecundum Platonem dantur Ideæ etiam dę accidentibus, ac *Argumēt.* 33
de ſingularibus, quod nequet ſaluari intra doctrinam Ariſtotelis, qui negat dari infinitum: & ſingularia ſunt infinita. Et hec ſunt, que ſtatutum à nobis conſenſum Ariſtotelis cum Platone dubium reddere videntur.

Proximi capitis argumenta diluuntur. *Cap.* *X V I.*

PRæhabitę obiectiones, ſi recte perpendantur, Ariſtotelisque & Platonis verborum adumbrata ſuperficie poſthabita, ad intimum intentionis ennucleandum deueniatur: liquide illorum conſenſus, & omnis *Solutio* 1. *argument.*
ennodata dificultas apparebit: quod enim ſpectat ad primum argumentum, affert id redargutionem Ariſtotelis non in Platonem, ſed in impe-

Digitized by Google

imperitos quoſdam Platonicos, qui præter formas Ideales non alias rerum formas adeſſe putarunt: ſed ipſas Ideas, quamuis abſtractas à rebus vtroque officio fungi: quod non eſt ſecũdum doctrinam Platonis, qui præter formas illas exemplares, quales ſunt Ideæ, alias formas rebus inhærrentes admiſit.

Solutio 2. Subſequenti pari reſponſione occurrit Simplicius ſuper eundem 18. cõtextum ſecundi Phyſicorum, inquiens, non ibi Philoſophum carpere germanam ſententiam Platonis: ſed prauos ſenſus adductos ab eis, qui aſſeruerunt Ideas in mente diuina eiuſdem rationis eſſe cum formis horum inferiorum, à quibus valde diſtarunt dogmata Platonis, que diſtinctas rerum ſpecies in mente diuina, in intelligentijs, in anima humana, in natura, ac in prima materia conſtituunt.

Solutio 3. Sic & tertium argumentum vrget illos, qui erronee putarunt præter ipſas Ideas, quæ ſunt cauſæ rerum vniuerſales, & remotæ, non alias dari cauſas rerum; ad quod vtique ſequeretur inceſſabilitas generationis; quandoquidem illa eſſet cauſa totalis, & præſto ſemper haberet ſubiectum: at Plato vt patet in eius Dialogo 6. de legibus admitit præter cauſas remotas, & vniuerſales, etiã proximas, & particulares, ex quarum mutabili conditione, atque diſpoſitione fit vt quamuis ſemper adſit aptitudo cauſæ vniuerſalis, & exiſtentia ſubiecti, non ſemper generationis effectus intercedat.

Solutio 4. Quartum argumentum adducit Ariſtotelem damnantem, non quidem Ideas vt rerum exemplaria diuinæ Menti inexiſtentia: ſed rerum rationes vniuerſales in ſe habentes exiſtẽtiam: quod non eſt contra Platonem, qui huiuſmodi vniuerſalium exiſtentiã nec excogitauit: nec diſentijt ab obſeruatione Alexãdri, Euſtratij, ac D. Thomę, dari nempe tale vniuerſale in rebus, vniuerſale ſcilicet in potentia: & poſt res, qui eſt conceptus vniuerſalis opere intellectus extructus: non autem ante res; qualis eſſet illa ratio vniuerſalis per ſe exiſtens.

Solutio 5. Neceſſitas phantaſiæ inſtituta fuit à natura, & pronunciata ab Ariſtotele propter mentem humanam corpori inhærentem; non autem propter diuinam, quæ etiã non minus quam humana nata eſt cognoſcere materialia modo eius immateriali: eoque magis quod res illas, non quidem per ſpecies ab ipſiſmet ellicitas, & à ſe depuratas, more intellectus noſtri, cognoſcit: ſed per propriam eſſentiam, ſeu per ſpecies ſibi coeſſentiales: Ex quo expulſa remanet aſſertio Auerrois, quod vilia intelligendo perficeretur à vilibus; quod non ſequitur, dum non ex eis, ſed ex ſeipſo illorum cognitionem excipit: Præterquam, quod quamuis dentur res viles, & malæ quoad eſſe reale; non tamen tales ſunt quoad eſſe cognitum: & ſemper decus eſt cognoſcentis quecunq; cognoſcere: Quibus accedit recta obſeruatio quod talia entia a nobiliſſimo cognoſcente intelliguntur non primario, ſed ſecundario, ſeu per Ideas bonorum, & perfectorum entium, à quorum conditione, & gradu declinant: quemadmodum & priuationes ex Ideis habituum innoteſcunt.

Solutio 6. Sextum argumentum reprobat opinantes, res non aliter ſciri, quam per Ideas; longe à ſententia Platonis; qui etiamſi putarit non dari perfectam ſcientiam, niſi per Ideas; certi tamen generis ſcientiam etiam ſine Ideis admiſit.

Solutio 7. Subſequens etiam vrget eos, qui exiſtimarunt, etiam negationes cognoſci per ſe: quibus non conſonat Plato non attribuens Ideas negatiuis, ac priuatiuis entibus, que cognoſci putauit per accidens, ſcilicet non per ſe primo, ſed per Ideas poſitiuorum: Nec etiam abſolute negauit Plato de tranſmutabilibus ſcientiam ſine Ideis; ſed tantum perfectam: concedendo tamen, quod ex illorum quiditate ſcientia aliqua in genere emergat, iuxta id Auerrois in primo Metaphyſicorum comm. 17 quod de ſenſibilibus duplex ſit modus compræhenſionis; datur enim de illis ſcientia perfecta, ac ſcientia in genere.

Solutio 8. Octauum pariter argumentum valet aduerſus rudes aliquos Platonis ſectatores, qui abſolute negarunt dari Ideas de Relatiuis; in quo non fuit aucthor eis Plato: cuius doctrinæ conſonat duplex Idea: altera ſcilicet non ſolius cognitionis, ſed etiam imitationis: & altera cognitionis tantum: quarum primo modo ſumpta competit indiuiduis de genere ſubſtantiæ, que non tantum à ſupræmo illorum aucthore cogno-

ſcun-

Digitized by Google

ſcuntur; ſed ipſum vlterius inſequuntur, & imitantur; vt ideo eis reſpondere dicatur in Mente diuina Idea cognitionis, & imitationis; ac proinde factionis, actus, & exiſtentiæ: eiuſdemq; generis Idea correſpondet accidentibus rerum proprijs, quę ſiquidem vnà cum proprio eorum ſubiecto à prima cauſa producuntur: Accidentia vero ſeparabilia habent Ideam ſecundo modo ſumptam; cognoſcuntur etenim, ſed non ſemper imitantur ſupræmam ſuam cauſam, quia Petrus genitus non ſtatim eſt dimicator, aut muſicus; ſed id in progreſſu acquirit: vel ſi habent Ideam imitationis, dicuntur propterea eam habere opere tantum, & effectione, per quam ſcilicet eam aſſequuntur: Sic & entia mala, quę à prima cauſa cognoſcuntur quidem, non tamen eam imitantur, ſed declinant ab ipſa: propterea dicuntur habere Ideam cognitionis tantum: nullo modo autem, imitationis: Qui vero Platonem inſequentes, & non agnoſcentes hanc diſtinctionem, negarunt Ideas relatiuorum abſolute; ij ſe obijecerunt illi Ariſtotelis confutationi, quæ non petit Platonem, qui ſiquidem admiſit de relatiuis Ideas, etſi non imitationis, ſaltem cognitionis: Opportune etiam ſuper hoc adnotatur quod, cum dupliciter relatiuum ſumatur, vel ſcilicet quoad illius eſſe reſpectiuum, vel quoad illius eſſe fundamentale: primo modo eſt ens valde imperfectum: vnde Commentator in duodecimo Metaphiſic. comm. 19. dixerit Relationem eſſe ens quodam debiliſſimum, taliter, vt aliqui exiſtimarint ipſam eſſe de ſecundis intellectis: vt propterea ei in tali ratione perfecta Idea, etiam ſcilicet ſecundum imitationem, non competat: ſecundo vero modo ſumptum quemadmodum ſemper eſt de prædicamento ſui fundamenti, adeo vt ſimilitudo in eſſentia, quæ facit idem, ſit de genere ſubſtantiæ, conuenientia in quantitate faciens æqualitatem ſit de ratione quantitatis; ac conuenientia in qualitate faciens ſimile collocetur in prædicamento Qualitatis, pariter eſt cenſendum quod eamdem habeat Ideam cum eius fundamento.

Et exinde patet etiam ſolutio ſequentis: qui enim perperam expoſuerunt Platonem, hi negarunt ad illius mentem Ideas accidentium, quas ſecundum veram doctrinam Platonis, quamuis non habeant ſecundum exiſtentiam; eas tamen habent ſecundum cognitionem: quin etiam ſecundum imitationem quamuis imperfectius in accidentibus per accidens; quibus competit talis imitatio per opus, & effectionem. *Solutio 9.*

Aliud argumentum falſo prius aſſumit quod fiat numerus ex numeris; cum fiat ex vnitatibus: & cum Plato vocauit Ideas numeros, intellexit de numeris tranſcendentibus, quia tunc Metaphiſice loquebatur: ſeu dicamus quod cenſuit eos numeros non quidem formales, ſcilicet numerantes, ſed numeratos; quia ex realibus illorum ſuppoſitis non diſtinguuntur eſſentialiter: nec determinauit Ideas eſſe formaliter numeros, dum illas gratia exempli per conſimilem quandam rationem numerorum declarauit: quod fecit præſertim, vt obſequeretur Pythagorę, terminiſq; vteretur illius doctrinæ, quæ tunc in magno vſu, atque notitia erat: Quo quidem exemplo vſus etiam eſt ipſemet Ariſtoteles in ſecundo de Anima explicans conditionem ſenſus communis: inquit enim quod quemadmodum punctus in ſe eſt vnus, & multa in comparatione ad lineas, ita & ſenſus ille eſt vnus in ſe, & multiplex per reſpectum ad ſenſus externos: vnde eſt quod quamuis vnus ſit, moueri tamen poteſt varijs motibus: & Commentator inquit: eam facultatem eſſe vnam ſuppoſitiue, ſed virtute multiplicem: Ideo cum etiam intra diuinam mentem eſſentia Idealis ſit vnica; multiplex tamen reſpectu rerum repræſentatarum; propterea non improprie per illius ſimilitudinem cum numeris declaratur. *Solutio 10.*

Et inde patet etiam ſolutio ſequentis, cui addimus quod cum res Ideatæ ſint quodammodo proportiones numerorum, quatenus ſcilicet cauſæ tam propinquæ, quam remotæ ſecundum aliquam proportionem in illorum conſtitutione concurrunt: ideo recte dici potes quod erga numeros retineant illam ſimilitudinem, & correſpondentiam, quæ ſemper eſt inter ens aliquod, & proportionem ad illud. *Solutio 11.*

Digitized by Google

Solutio 12. Verba Ariſtotelis, & Auerrois commemorata in argumento duodecimo improbant ponentes Ideas exemplaria ſeipſis extra res, ac extra mentem diuinam exiſtentia: quę vere eſſent ſuperfluę, atque inutiles; quando abſque exemplaribus per ſe exiſtentibus optime fiat rerum generatio.

Solutio 13. Altero ſolutionem affert ipſemet Ariſtoteles in ſeptimo Metaphyſicorum tex. 30. aſſerente domum fieri ex domo exiſtente in mente artificis: ſanitatemq; induci ęgroto per ſanitatem, quæ ineſt intellectui medentis; quoniam ars eſt forma quædam.

Solutio 14. Subſequens efficax eſt aduerſus Eudoxium diſcipulum aberrantem à Platone in ponendis Ideis eiuſdem rationis cum ſuis rebus ſenſibilibus: quod vnquam excogitauit Plato; qui conceſſit identificam illarum rationem in repræſentando: minime vero in eſſendo; etenim quemadmodum ex Ariſtotele in decimo Metaphyſicorum 26. habetur: corruptibile, & incorruptibile differre pluſquam genere: ſic ante ex Platone in Thimeo pronunciatum habetur: Ideam ab eo, cuius eſt, tamquam æternum, à mortali differre: vnde non eſt occaſio cur Idearum aliæ dentur Ideæ.

Solutio 15. In littera adducta ab argumento decimoquinto intellexit Philoſophus de quiditate intrinſeca, & congenita rei: non autem de extrinſeca quiditate Ideali; quę quamuis cum eius Ideato ſit idem in repræſentando; eſt tamen diuerſa in eſſendo.

Solutio 16. Quoad aliud reſpondetur quod cum de rebus naturalibus ſit ſcientia diuina, & humana: diuinæ inſeruiunt Ideæ, cum ſint exemplaria talium entium rationes diuinę menti repręſentantia: conferrunt etiam humanæ; nam quamuis humanus intellectus ex phantaſmatibus procedentibus à formis intrinſecis rerum naturalium materiæ cõiunctis hauriat ſcientiam in genere: ad perfectam tamen ſcientiam aſſequendam expoſcitur reſolutio principiorum naturalium in vniuerſaliora, donec acceſſus fiat ad Ideas in diuina mente exiſtentes: ex quibus, vt ex præcipuis cauſis recte cognitis perfecta, & abſolutiſſima ſcientia de rebus habetur: Concurrunt Ideæ quinetiam ad eſſe rerum tamquam cauſę formales; non intrinſecæ, ſed exemplares: quarum non eſt inexiſtere rei; ſed menti tantum producentis: vnde (vt nuper referebatur, in ſeptimo Metaphyſic. contex. 30. inquit Philoſophus quod, fiunt cuncta quodammodo ex vniuoco, ſeu dum fiunt naturalia, ſeu dum fit domus, que conſtruitur ex alia domo in intellectu opificis exiſtente: quæ quidem forma externa etiam ipſa tamquam cauſa remota, vnà cum proxima in rerum generatione concurrit: vnde eſt quod in ſecundo Phyſicorum 26. habetur ſolem, & hominem generare hominem: Quapropter vim habet argumentum in illos tantum, qui pręter Ideas, non aliam formam admittebant, quę daret eſſe rebus: à quibus diſtans fuit intentio Platonis, ſecundum quã ab Ideis in ſupræma mente exiſtentibus ſecundum eſſe virtuale fluunt Ideæ formales; à quibus aliæ adhuc in intelligentijs, in anima humana, in natura, in materia communi, ac in materia particulari, quæ ſunt veluti actus quidam abſtractam illam quiditatem participantes.

Solutio 17. Et exinde ſoluitur ſubſequens, cui reſpondetur prodeſſe Ideas tum ad eſſe rerum tamquam cauſas remotas, & vniuerſales, tum etiam ad illarum ſcientiam, quæ ſine ipſis perfecta & omnino abſoluta non habetur: argumentum autem eos carpit, qui præter Ideas, quæ ſunt vniuerſalia ante res exiſtentia, non aliud vniuerſale concedebant: à quibus alienus fuit Plato, qui conceſſit etiam vniuerſale in rebus, ſcilicet potentiale; ac vniuerſale poſt res, ex quo proxime ellicitur ſcientia humana.

Solutio 18. Etiam decimumoctauum argumentum obiurgat eos tantum, qui præter Ideas, quæ ſunt cauſæ vniuerſales, & remotæ, non poſuerunt cauſas proximas, & proprias, quæ maxime ſunt vniuocæ rei productæ: Plato autem non negauit præter remotas cauſas etiam illas propinquas, & vniuocas, de quibus obſeruat Auerroes in duodecimo Metaphyſicorum comm. 24. triplicem eis conditionem requiri; quod ſcilicet ſint principales, proximæ, ac eſſentiales.

Solutio 19. Sic & ſubſequens argumentum eos impugnat, qui totalem rationem eſſentialem rerum reponentes in Ideis, putarunt etiam cuiuſque rei vnicam tantum dari definitionem; ſecus ac Plato, qui admiſit definitionem hominis Phyſicam in reſpectum

ad

ad materiam, & motum: eiuſdemq; definitionem Metaphyſicam, quatenus ſcilicet eſt quædam ſubſtantia: Et Socrates ille iunior de quo mentionem ibi fecit Ariſtoteles, non eſt Plato; nec Socrates Platonis præceptor: ſed alius quidam Socrates Generenſis valde ipſi Platoni poſterior.

Vigeſimum argumentum petit eos, qui rationem Idealem nil differre putant à ratione formali rerum ſenſibilium extra mentem diuinam exiſtentium in natura: cuius oppoſitum profeſſus fuit Plato in Thimeo, aſſignas inter ea differentiam illam quod Idea animo, & intellectu percipitur, Ideata vero ſenſu, & opinione: quemadmodum & conformatur Ariſtoteli in 26. contextu decimi Metaphyſicorum docenti; ea tamquam perpetua ac corruptibilia differre genere: vnde ex Platonis doctrina non licet inferre quod ex homine ſenſibili, & ex illius Idea, adhuc tertius homo ſit ellicibilis. *Solutio 20.*

Reſpondetur ad aliud: ſecundum mentem Ariſtotelis, primum Ens cognoſcere quidem ſeipſum, & alia eodem modo ex parte ſui: at nō ex parte rerum cognitarum: quæ cum ſint diſtinctæ rationis ab eſſentia diuina; propterea non cognoſcibilia ſunt à Deo per abſolutam illius eſſentiam, ſed per coeſſentiales ei Ideas talium rerum repræſentatiuas. *Solutio 21.*

Quo ad ſubſequens dicimus, dari vtique Ideam boni, tum ſecundum Platonem, qui dedit Ideas omnium exemplatorum à Deo: quale proculdubio eſt bonum: tum etiam ex Ariſtotele, qui in duodecimo Metaphyſicorum contex. 52. obſeruat duplex eſſe bonum: alterum ſcilicet ducis, & alterum exercitus, ordo nempe ipſius exercitus, qui exemplatur à bono ducis ſe habentis ad ipſum bonum exemplatum tanquā Idea: vnde eo modo, quo bona ſunt exemplata, & producta ab ipſo Deo, ſiue ſcilicet ęqualiter, ſiue inæqualiter, ſed ſecundum prius, & poſterius; proportionaliter de ipſis in eo reperiuntur Ideæ: ad argumentum vero dicimus quod de his, quę ſe habent ſecundū prius & poſterius non datur Idea communis ſimpliciter vniuoca: ſed datur vna analogice: vel quamuis non vnica, dantur de eis plures Ideæ, quæ varios gradus illorum entitatis, ac perfectionis repræſentant. *Solutio 22.*

Quod ſequitur argumentum concludit quod boni tranſcendentalis: ſupereminentis ſcilicet omnibus Prædicamentis non detur Idea inexiſtentiæ: ex quo tamen non tollitur quod habeat Ideam cognitionis, imitationis, ac productionis. *Solutio 23.*

Pariter & ſequenti dicimus quod boni tranſcendentalis quatenus non eſt vna ſciētia, ita nec eſt vnica Idea, niſi adæquata tali illius rationi tranſcendentali; & quæ non eſt Idea exiſtentiæ: dantur vero quocunque modo Ideæ de ſingulis generibus, & rationibus bonorum, diſtinctos illorum ordines, & gradus repræſentantes. *Solutio 24.*

Tollitur vigeſimum quintum conſiderando triplicem eſſe numerum: vnum ſcilicet numerantem, qui dicitur eſſe anima ſeipſa mouens: alterum quo res numerantur, vt duo, tria, & ſimilia: ac numerum numeratum, qui in ipſiſmet rebus numeratis conſiſtit: de quo quidem tertio genere numeri intellexit Plato, dum attribueret indefinitam illam dualitatem materiæ; qua quidem vt numero numerato quamuis detur aliquod prius in prædicando; non tamen datur quidquam prius in ratione eſſendi. Et ſi obijciatur videri ſaltem quod ſi datur Idea materiæ, tunc illa Idea, & non materia ſit principium rerum. Reſpondetur quod ipſa materia prima eſt primum principium rerum in genere cauſæ materialis; cui tamen nil officit quod Idea ſit principium ea prius in alio genere cauſæ nimirum formalis, & exemplaris. *Solutio 25.* *Inſtantia.* *Solutio.*

Reſpondemus ad vigeſimumſextum quod ſi Idea conſideretur per comparationē ad Ideatum, ſic vtique ſe habet ad ipſum relatiue, eo modo, quo ſe habet omne ens cui contingat eſſe cauſa, & principium alicuius, quod tamen eſt relatiuum ſecundum dici, & non mera relatio: ſi vero conſideretur Idea ſecundum ſe, & per propriam entitatem abſque reſpectu ad Ideata; ſic eſt ens abſolutum, & reducibile ad prædicamentum ſubſtantiæ. *Solutio 26.*

Ad aliud reſpondetur quod: vt omnia entia, ſic & ipſa accidentia ſecundum *Solutio 27.*

Digitized by Google

gradum ſuæ rationis participant Ideas Deo inexiſtentes; quæ quidem participatio, & imitatio nil aliud eſt, niſi dependere in eſſe ab eis, à quibus entia cuncta dependent, iuxta illud primi de Cælo 100. quod à primo Ente reliquis omnibus, exactius, obſcuriuſue procedit eſſe: & diuerſitas Idearum in Mente diuina non aliud eſt niſi ipſa diuina eſſentia varijs modis imitabilis, & participabilis ex diuerſis entibus.

Solutio 28. Ad vigeſimumoctauum reſpondetur quod ſi Idea, & id cuius eſt conſiderentur in ratione eſſendi ſic penitus ſunt diſtinctæ rationis, cum vnum ſit eſſentia diuina, & alterum res mortalis: vnde iuxta Platonem in Thimeo, & Ariſtotelem in 26. decimi Metaphyſicorum pluſquam genere differunt: ſi vero conſiderentur in ratione repræſentandi, ſic vtique conueniunt nomine, & ratione: vnde conſpicua eſt ratio cur ſupræmus ille rerum effector per Ideam hominis, hominem, & non bouem, vel hominem pictum, efformet.

Solutio 29. Ad aliud dicendum eſt conferre Ideas ad eſſe rerum vtriuſque generis, conuenientiſſimeq; ad æternum motum; nam ex octauo Phyſicorum 49. æterni motus adæquatiſſima cauſa eſt motor immobilis, de quo Poeta canit quod: Immobilis manens dat cuncta moueri. Conferunt ad eſſe mortalium: nec obeſt quod non ſint in eis: niſi apud illos, qui præter Ideas non alias rerum quiditates admittunt, quæ ſuas res informent, eiſq; dent eſſe intrinſece, dum Ideæ ad illarum eſſe concurrant vt cauſæ dumtaxat exemplares: Conferruntque ad earumdem rerum ſcientiam: tum apud Deum, cui proprie ad hoc inſeruiunt: tum apud homines, qui vltra ſcientiam de rebus naturalibus in genere, nunquam ad perfectam deuenire poſſunt, niſi naturalia principia phantaſmatum lumine innoteſcentia in vniuerſaliora principia reſoluentes, ad ipſarum Idearum cognitionem peruenerint.

Solutio 30. Quod ſequitur torquet eos, qui à Platone aberrantes cenſerunt Ideas eſſe quiditates rerum informantes: quæ quidem apud eos, qui Platonis doctrinam recte perceperint, liquidum eſt quomodo à rebus participentur, non enim aliquo ex his modis in argumẽto aſſignatis; ſed eo modo quo participat effectus rationem ſuæ cauſæ eum per intellectiuam emanationem producentis, ſicuti procedunt entia omnia in genere cauſæ efficientis, finalis, & exemplaris à Deo, cui ipſæ Ideæ coeſſentiales ſunt.

Solutio 31. Subſequenti reſpondetur, nullum eſſe inconueniens, cum vnius rei variæ ſint rationes, quod plures etiam ſint Ideæ illam varietatem repræſentantes: quæ quidem varietas quamuis conſiſtere nequeat in pluralitate formarum vltimarum, & ſpecificarum, determinantium ſcilicet rationem rei; quandoquidem vnica tantum ex huiuſmodi formis cuique indiuiduo competat: conſiſtit tamen in multitudine actuum, & prædicatorum; ſeu etiam formarum ſibi inuicem ſubordinatarum, quæ realiter in eodem ſingulari compræhenduntur.

Solutio 32. Pro altero valet ſuperius allata reſponſio, quod Idea cum eo, cuius eſt conuenit eſſentialiter ſecundum rationem repræſentationis: minime vero ſecundum rationem eſſendi; cum hoc ſit ſenſibile, materiale, & caducum, illa vero intelligibilis tantum, ſpiritualis, & immortalis; adeo vt definitio huius, puta corporis Phyſici eſt quod ſit ſubſtantia habens in ſe principium motus: & ſi quis definiret Ideam talis corporis, diceret eam eſſe ſimulacrum ſubſtantiæ habentis principium motus.

Solutio 33. Quo ad poſtremum confert pro ſolutione conſideratio Auicennæ in ſua Metaphyſica, quod ſcilicet non ſit alienum ab Ariſtotele relationes rationis multiplicari in infinitum: vnde cum multiplicatio Idearum ſequatur diuerſitatem reſpectuum ad res eis externas: propterea non eſt inconueniens vt iuxta infinitam multiplicitatem entium pluralitas Idearum in infinitum multiplicetur.

DE POTENTIIS ANIMAE.

Proemium in quo quid, quotue ſint potentiæ animæ oſtenditur. Caput I.

BRVTA tantum; nec quidem omnia ſuas vires ignorant: at hominem, qui maxime ex cunctis animalibus per cognitionẽ agit, ne cælo caſu viuere, & operari videatu., ſui ipſius aĩæ facultates ſcire decet, noſcendo de ipſis præſertim quot, & quid ſint, quomodoue ab anima, & à ſe inuicem diſtinguãtur; vnde diſtinctionem ſortiantur; & à quo procedant: Potentiam dicimus facultatem, ac virtutem, quę ad operandum, ſeu actiue; ſeu paſſiue, proximum eſt, ac immediatum principium: cuius ſi conſideratio habeatur quoad illius modum operandi, triplex eſt genus: Potentia ſcilicet Vegetalis, quæ agit per quatuor primas qualitates actiuas, & paſſiuas: Senſitiua, quæ quamuis pro ſui exercitatione non egeat qualitatibus actiuis, & paſſiuis; corporeum tamen organum exigit: ac Intellectiua, quæ nec qualitatibus, nec organo vtitur in ſuo actu intellectionis elliciendo: At ſi reſpiciantur ſimpliciter ſecundum reſpectum actionum, quibus ordinatæ ſunt: ſic quinquè ſunt generis; cuius diuiſionis ratio prima eſt quoniam triplex eſt conditio potentiæ: alterius ſcilicet materialis, cuius eſſe recipitur in viuente materialiter, vt in Plantis: vnde emergunt actiones animæ vegetalis: alterius minus materialis, per quam recipit animal ſine materia, non autem ſine conditionibus materiæ, vel ſine organo materiali; vnde extant actiones ſenſitiuæ: Et alterius immaterialis, per quam animal recipit, nedum ſine materia; ſed etiam ſine materię conditionibus, vel organo materiali, ex qua conſurgunt operationes intellectiuæ. Quoniam vero quodcunque eſſe procedit ex aliqua forma, & quamcunq; formam ſequitur propenſio aliqua, ex propenſioneq; prouenit operatio: propterea cum eſſe ſenſititiuum & eſſe intellectiuum procedant ex formis, ſenſitiua ſcilicet, & intellectiua: Ex his formis dependet propenſio, quæ eſt Appetitus; & ex propenſione operatio, quæ eſt mouere localiter. Quod idem comprobat ratio deſumpta ex obiecto, circa quod viuentium operationes verſantur; quod vel eſt corporeum quodam animæ coniunctum, in quod agit potentia vegetalis. cuius eſt nutrimentum concoquere, & in augmentatione, ac generatione exerceri. Nec aliquis inſtet quoniam ſub potentia vegetali compræhenditur generatiua facultas, quæ ſpectat obiectum, ſcilicet genitum, ſeparatum, vt falſo videatur vegetatiuæ potentiæ obiectum eſſe animæ coniunctum. Reſpondebitur enim ipſius etiam generatiuæ coniunctum eſſe obiectum, quod vel eſt ſemen, quod ipſa anima ex redundanti alimento conſtruit: vel ipſum genitum cui coniungitur anima per formatricem virtutem ſemini inſeruientem. Vel obiectum eſt aliquod ſeparatum ab anima, à qua vel recipitur, ſeu concipitur illius ſpecies: & hoc aut per organum corporeum, quod eſt potentiæ ſenſitiuæ: aut abſque

Potentia animæ triplex.

Potentia animæ quintuplex.

Ratio 1.

Ratio 2.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio. organo quod eſt Intellectiuæ: Vel quia in ipſum obiectum extrinſecum anima tamquam in finem ab ea primo intentum aſpiret; vnde eſt potentia appetitiua. Nec obijciatur quoniam vt diſtinguuntur ſenſitiuum & intellectiuum, ita appetibile à ſenſu, & appetibile ab intellectu debent eſſe diſtincta; ac proinde duplex potentiarum genus conſtituere. *Solutio.* Reſpondebitur namque, quod, quamuis diuerſa ſint illa appetibilia ſecundum proprias illarum naturas ſpecificas, ac quoad varium modum operandi ſuarum potentiarum, ex quibus ſenſitiua appetit naturaliter, & neceſſario; voluntas vero libere; ſecundum tamen genericam rationem obiecti appetibilis, & quatenus tale, id eſt vt finis in intentione animæ primus: vnicum eſt, ac vnicam potentiam apte conſtituens. Vel quia dirigatur ad ipſum vt ad terminum ſuæ operationis, in quo cōſiſtit potentia loco Motiua.

Obiectio. Et ſi opponat aliquis quod habetur in tertio de Anima contex. 48. principiū mouens in animalibus eſſe ſenſum, aut intellectum, aut appetitum; vnde potentia loco motiua non videatur diſtincti generis ab alijs. *Solutio.* Reſponſio erit: potentiam loco motiuam à ſenſitiua intellectiua, & appetitiua diſtingui formaliter, non autem realiter, & fundamentaliter: Seu cum alijs dicatur: duplex eſſe principium motus: aliud principale, qualis eſt intellectus, & ſimilia: & aliud exequens, ac proxime efficiens motum, qualis eſt potentia motiua, de qua hic loquimur dum illam ponimus alteram ex facultatibus animæ, quas quinque generum conſtituimus.

Dubitatio. Contra que licet adhuc obſtare ſic arguendo: numerus potentiarum adæquari debet numero animarum quoniam ad numerum ſubiectorum multiplicatur paſſiones; ſed animę ſunt tres: ergo & illarum potentiæ debent eſſe tres tantum. *Solutio.* Cui reſpondendum eſt negando adæquationem numeri in animabus, & potentijs, quæ (vt dicetur inferius) dependent ex animabus, non ſolis, ſed cōiunctis cum partibus corporis: Nec eadem eſt ratio multitudinis animarum & potentiarum; animę namque diſtinguuntur per diuerſa eſſe: & potentiæ diſtinguuntur ex diuerſitate operationum; quæ quidem plures, ſibi inuicem tamen ſubordinatæ, poſſunt ab eadem anima procedere, vt à vegetali generatiua, augmentatiua, ac nutritiua: & ex hac apprehenſiua, retentiua, digeſtiua, & cætera: Vnde dicere etiam licet adæquari numero animarum numerū potentiarum, quæ ſint principale principium agendi illius generis; vt ſunt potentia intellectiua, ſenſitiua, ac vegetatiua: at quod ex illis potētijs principalibus aliæ potētiæ procedant, quæ per varietatem operationum diuerſa genera conſtituant, non eſt inconueniens.

Dubitatio. *Solutio.* Et ſi rurſus inſtetur quoniam cuiuſque potentiæ eſt ſuum obiectum appetere: vnde potentia appetendi non videatur eſſe ab alijs potentijs diſtincta. Reſpondebitur potentiam quamlibet, etiam ſcilicet vegetalem, appetere ſuum bonum appetitu naturali, quo etiam materia formam, vt eius finem appetit: at appetitu animali per cognitionem procedente non appetit niſi quod prædictum eſt potentia illa, quę ex anima ſenſitiua, ac ex intellectiua dependet.

Quaeritur an potentiæ animæ realiter diſtinguantur ab eſſentia animæ, adduciturq; opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I I.

QVOD potiorem dificultatem ingerit in hac tractatione eſt determinatio de Potentijs animæ an diſtinguantur realiter ab ipſarum animarum eſſentia: intelligendo de diſtinctione non quidem ſubiectiua; quā euidens eſt abeſſe ab anima, & illius potentijs, quæ eidem ſemper indiuiduo animali coexiſtunt: ſed de diſtinctione rationis & eſſentiæ formalis: de quo negatiuam partem grauiſſimi quam plures viri ſuſtinentes; aſſeruerunt potentias animæ eſſe ipſammet ſubſtantiam animæ, quæ tamen per varias actiones nomina varia ſortiatur. Hi fuerunt Scotus in ſecundo ſent. diſt. 16. ac ibidem Gregorius Ariminenſis in quæſtione 3. Durandus in primo Sent. diſt. 3. quæſt. 2. Ocham in 2. ſent. diſt. 16. quæſt. 24. & 26. Marſilius in primo ſent. quæſt. 7. artic. 3. & alij innumeres,

Negatiua opinio. *Scoti.* *Ariminen.* *Durandi.* *Et aliorum.*

Digitized by Google

meres, quorum præcipua fundamenta fuere: Primo quoniam ad producendam ſubſtantiam non valet niſi ſubſtantia, & nullo modo accidens; cum nequeat producens eſſe ignobilius producto: Sed potentia vegetatiua eſt principium generandi ſubſtantiam: igitur non eſt accidens: ſed debet eſſe eiuſdem eſſentiæ cum anima. Et quia reſpondetur principium primum, & per ſe generationis, eſſe animam, quæ eſt ſubſtantia: ipſam vero agere per medium potentiarum, & formarum accidentalium tanquã inſtrumentorum. Inſtatur econtra quia principium primum, & per ſe operationis eſt potentia animæ: quod colligi aiunt ex Ariſtotele in ſecundo de Anima contextibus 34. ac 48. dicente potentiam vegetatiuam eſſe principium alendi, nutriendi, & generandi; potentiamque viſiuam eſſe principium videndi; non autem quod ſit inſtrumẽtum, vel accidens: ſed anima eſt primo, & per ſe principium operationis: Quare potentiæ illæ non aliud ſunt, quam eſſentia animæ. Et cum reſpõdetur quod iuxta litteram illorum textuum potentiæ ſunt quidem principia ſuarum operationum per ſe, ſed nõ primo: qualis eſt anima, quæ per ſe primo; ſed per intermedias potentias agit. Inſtatur inſuper quoniam cum, intelligere, ſentire, ac huiuſcemodi operationes ſint pati: propterea debent tales operationes, ſeu actus illarum in ſuis potentijs recipi: at quando operatio aliqua, vel illius actus recipitur in aliquo per intermedium alterius ab eo realiter diſtincti; tunc operatio, ſeu actus ille, non niſi per accidens, recipitur in eo, in quo alio mediante recipitur: vnde ſi præhabitæ operationes recipiũtur in anima per intermedias potentias realiter diſtinctas ab anima: inde fit vt anima intelligat, velit; ſentiat, ac generet per accidens, cum grauiſſimo inconuenienti, quod ens nobiliſſimũ qualis eſt anima operatione per ſe careat. Ac vlterius quoniam omne per accidens reducendum eſt ad aliquod per ſe: vnde inueniendum eſſet aliquod per ſe intelligẽs, ſentiens, vel alias huiuſmodi operationes exercens; quod aliud non videtur poſſe eſſe quam anima: quæ propterea videtur idem cum ſuis potentijs. Et quia reſpondent aliqui animam ipſam tales edere operationes; quoniam cum ipſa det eſſe, quod eſt actus primus, habet etiam actum ſecundum, ſcilicet operationem per ſe. Inſtatur è contra quoniam definitio animæ, quod ſit: Actus corporis Phyſici organici potentia vitam habentis: in his verbis (potentia vitam habentis) exponitur pro habere potentiam operandi: vnde videtur quod ex mente Ariſtotelis ipſamet anima habeat potentiam operandi, & officia vitæ exercendi. *Argument. 1* *Reſponſio.* *Replica.* *Reſponſio.* *Replica.* *Reſponſio.* *Replica.*

Confirmatur hoc idem quoniam quo immediatius attingit ſuum finem id quod ad finem eſt ordinatum, eo nobilius eſt: exinde inferendo, quod, cum anima ſit nobiliſſima forma, debeat propterea ſeipſa immediate; & non per intermediam potẽtiam ſuum finem attingere. *Confirmatio.*

Arguitur itidem ad principale quoniam illud eſt definitum, cui competit definitio: ſed competit animæ definitio potentiæ actiuæ traditæ in nono Metaphyſicorũ text. 12. per hoc quod eſt principium tranſmutandi aliud quatenus eſt aliud: Quare ipſa eſſentia animæ videtur eſſe potentia. *Argument. 2*

Inſuper potentia eſt primum principium operandi: Huiuſmodi vero eſt etiam anima, vt colligitur ex alia eius definitione tradita in 24. textu ſecundi de Anima: quare eſt idem cum potentia, ne ſequatur quod operetur per aliud, & non per ſe. *Argument. 3*

Præterea ita ſe habet potentia actiua ad formam, vt potentia paſſiua ad materiam: ſed potentia paſſiua eſt realiter idem cum materia; alioquin eſſet accidens, quod ante aduentum formæ in materia reperiretur: quod inconueniens reputatur. *Argument. 4*

Et confirmatur adhuc quoniam: quod poteſt forma inferior, & ignobilior, ac minus ſimplex, idipſum videtur poſſe forma nobilior: at forma accidentalis, quæ ignobilior eſt quam anima, quæ eſt ſubſtantia, eſtque minus ſimplex quam ipſa anima, quæ non apta eſt intendi, vel remitti, per ſe abſque aliqua intermedia potentia operatur; vt patet de calore, ac cæteris qualitatibus: ergo multo magis abſque intermedio agere videtur anima. *Argument. 5*

Et conſimiliter vt ſe habet forma mere naturalis ad ſuas operationes; ita ſe debet habere ad ſuas operationes anima, quæ eſt illis formis perfectior; Forma vero mere *Argument. 6*

natu-

Digitized by Google

naturalis abſque potentijs medijs ſuarum operationum eſt principium immediatum; eſt enim natura, quæ eſt principium motus, & quietis primo, ideſt immediate: quare id multo magis competere debet animæ.

Argument. 7 Præterea ſi nequeunt agentia ſuas edere operationes immediate; ſed tantum per adminiculum intermediæ potentiæ, ita nec ipſa potentia apta erit ſuam edere operationem immediate: ſed aliam intermediam potentiam & ipſa requiret; illaq; aliam in infinitum.

Argument. 8 Ac inſuper talem potentiam à ſe diſtinctam requirit anima, vel ob ſui imperfectionem, vel ob perfectionem: non primum quoniam magis requireretur à formis accidentalibus; & tamen calor, grauitas, & leuitas non dicuntur pro agendo potentijs egere: non ſecundum quoniam Intelligentiæ abſtractæ, vt omnium perfectiſſimæ, magis eas potentias requirerent; quod tamen non eſt.

Argument. 9 Vlterius nil ſuperuacaneum, & fruſtra à natura inſtituitur: ſed tales viderentur eſſe potentiæ animæ ab illius eſſentia diſtinctæ, quoniam ipſa ſubſtantia animæ per ſe abſque auxilio alicuius à ſe diſtincti valet omnes eius actiones obire: igitur tales potentiæ non ſunt admittendæ.

Argumēt. 10 Amplius non niſi ſubſtantia valet contraria recipere: Hoc faciunt potentiæ animæ, quæ eædem manentes contrarios actus, contrarioſq; habitus recipere valent: quare non aliud ſunt quam ipſa ſubſtantia animæ, ſeu ſubiecti compoſiti.

Argumēt. 11 Eadem inſuper ſunt principia eſſendi, & operandi, adeo vt eadem forma, quæ dat eſſe det etiam operari: ſed anima eſt principium eſſendi: ergo eſt etiam principium operandi: nō eſt autem principium operandi, niſi ratione potentiarum: ergo eſt idem realiter cum potentijs. Et cum reſpondent Gaietanus, & Iauellus in ſecundo de Anima Quæſtione 12. animam eſſe principium operandi non immediatum, ſed mediatum: Inſtant e contra dicentes quod aſſerendo animam eſſe principium operandi mediatum, conceditur eam eſſe idem cum potentijs, quoniam non dicitur principium operandi ſecundum eſſentiam, ſecundum quam ſiquidem eſt actus primus: ſed quatenus eſt potentia ad actum ſecundum, quoniam potentijs ab Ariſtotele attribuuntur operationes: vnde anima operans videtur, & ipſa potentia operans: ac conſequenter anima, & potentiæ videntur eſſe idem.

Reſponſio.

Replica.

Argumēt. 12 Præterea ſi potentiæ ſunt aliud ab eſsentia animæ, & ab illa procedant, hoc eſse debet in aliquo genere cauſæ: quod non eſt genus cauſæ materialis, vel finalis, aut formalis: quare in genere efficientis: vnde ſequetur quod anima valeat aliquid immediate producere; non enim dicere licet quod illas potentias producat per medium aliarum potentiarum; quia ſic daretur proceſsus in infinitum.

Argumēt. 13 Arguitur etiam quia eiuſdem generis ſunt actus, & potentia: Sed actus potentiæ vegetatiuæ ſunt ſubſtantiæ; terminantur enim tales facultates in nutritum, vel alitum; quę ſunt ſubſtantiæ: Quare & potentiæ illis actibus correſpondentes debent eſſe ſubſtantiæ, ac identificari cum anima.

Argumēt. 14 Demum adſunt variæ Ariſtotelis aſsertiones, quæ huic opinioni fauere videntur: præſertim in ſecundo de Anima tex. 9. vbi habetur quod: ſi oculus eſset animal, potentia viſiua eſset illius forma: vnde videtur quod potentia ſit anima: ac in textu 10. habetur quod anima eſt vt viſus, ac vt potentia inſtrumenti: ac frequenter in his libris vtitur nomine potentiarum ad ipſas animas ſignificandas: docetq; gradus, & rationes animalium ex his potentijs effingi.

Oppe-

Oppoſita ſententia D. Thomæ, & Aegidij adducitur, & comprobatur. Cap. III.

EX oppoſito autem quod potentiæ non ſint idem cum anima, ſed acci-
dentia de ſecunda ſpecie qualitatis; ac proinde realiter ab ipſa diſtin-
ctæ ſuſtinent Diuus Thomas in prima parte ſummæ quæſt. 77. art. 1.
Ægidius Quolibeto 3. quæſt. 10. Philoponus in ſecundo de Anima
tex. 52. Gaietanus in prima parte ſummæ quæſt. 77. artic. 1. Capreolus
in primo ſentent. diſt. 3. quæſt. 3. art. 2. Magnus Albertus in ſecundo de Anima tract.
1. cap. 11. Iandunus ibidem quęſt. 9. pręter alios: ex quorum fundamentis primum eſt
quod D. Thomas in citato loco ita formauit: Actus & potentia animæ eiuſdem gene- *Ratio 1.*
ris ſunt; cum enim ex nono Metaphyſic. tex. 1. ac duodecimo eiuſdem tex. 26. actus
& potentia diuidant ens, & quęcunque genera entis: propterea ambo ſpectant ad idē
genus: ſed actus animæ alij ab actu primo ſunt ipſius animæ accidentia: Quare etiam
potentiæ animæ ſunt accidentia; ac proinde diſtinctæ rationis ab anima, quæ eſt ſub-
ſtantia. Occurit huic rationi Scotus in ſecundo ſentent. diſt. 16. quæſt. 1. obijciens ar- *Euaſio Scoti.*
gumento æquiuocationem, eo quod duplex eſt potentia: alia ſcilicet, quæ contradi-
ſtinguitur ab actu; de qua maior propoſitio eſt vera, & alia, quæ eſt principium ope-
randi, ſeu tranſmutandi, quæ ex ſecundo, & ſeptimo Metaphyſicorum diuiditur in
actiuam, & paſſiuam, de qua non verificatur aſſertio; ex Ariſtotele namque in ſepti-
mo Metaphyſic. tex. 32. & 60. quamuis ſubſtantia nequeat produci niſi à ſubſtantia;
accidens tamen produci valet à ſubſtantia, & abſque accidentibus ſui generis, vt quā-
tum ſine quanto, & quale ſine præcedenti qualitate producitur: vnde non eſſe neceſ-
ſarium quod potentia animæ ſit eiuſdem generis cum eius actu accidentali. Replicat
Gaietanus multa, quę videri poſſunt apud eum in prima parte ſummæ quæſt. 77. art.
1. Et Iauellus etiam in ſecundo de Anima quæſt. 12. defendit Diuum Thomam in- *Impugnatio*
quiens ſignificationem illius propoſitionis ſecundum intentionem D. Thomæ non *Iauelli.*
eſſe quod identificetur in genere cum ſuo actuũ quæcumque potentia, ſed illa tantum,
quæ ex ſui natura, principaliter, & ex prima intentione primi auctoris inſtituta eſt,
vt ſit principium productiuum, ſeu receptiuum alicuius actus primo, & per ſe; non
autem ſecundario, aut per accidens: quo quidem modo ordinata eſt potentia animæ
ad ſuum actum, vt viſus ad videndum, & auditus ad audiendum: non taliter vero ſe
habęt anima, quæ non eſt primo ordinata ad productionem potentiarum, quæ ſunt
accidentia; ſed ad informandum corpus, præbendumq; ei eſſe ſubſtantiale conſti-
tuendo animatum: ſecundario autem ad producendas potentias: aç ideo potentiæ,
quæ ex prima intentione aucthoris ordinatæ ſunt ad productionem ſuorum actuum
per ſe, & non per accidens, vel ſecundario, eiuſdem generis eſſe debent cum ipſis
actibus. Obſtrepunt recentiores Scotiſtæ varijs aſſertionibus: & primo ſuſtinentes *Recentiorum*
quod idem ſit animam dare actum primum, ac eam producere potentias, quod eo *obiectio.*
probant quia animam dare eſſe ſubſtantiale, eſt ipſam conſtituere viuens, & animal:
ſed viuens conſtituit per potentiam vegetalem, & animal per ſenſitiuam: quare idem
eſt quod anima det actum primum, ac quod potentias producat. Quod eo confir-
mant quia alioquin ſequi videretur quod anima dare poſſet eſſe ſubſtātiale, & actum
primum abſque hoc quod daret eſſe viuens, vel eſſe animal: Adduntq; quod etiamſi
potentiæ eſſent accidentia, falſum tamen eſſet animam non eſſe primo, & per ſe ad il-
larum productionem ordinatam; quoniam poteſt ſubſtantia immediate, & per ſe
producerę accidens; alioquin primum accidens productum à ſubſtantia non haberet
cauſam per ſe; quam habere debet ens quodlibet: vnde ſequeretur non poſſe demon-
ſtrari proprium accidens de ſubiecto; cum demonſtratio cauſam per ſe requirat. Ex
quibus ad primum negando aſſumptum dicimus ad probationem quod viuens non *Solutio.*
conſtituitur formaliter per vegetalem potentiam; ſeu animal per potentiam ſenſiti-
uam; ſed vtrumque per vegetalem, ſeu ſenſitiuam animam, cuius eſt primo, per ſe, &

imme-

immediate per corporis informationem animal conſtituere;ac ſecundario,& vnà cũ corpore producere potentias,quæ ex vtroque, ſcilicet ex compoſito procedunt: Vnde ad confirmationem dicimus non eſſe inconueniens quod anima dans eſſe ſubſtantiale,& actum primum,non daret eſſe viuens, vel eſſe animal (ſcilicet quoad potentiam ad talem animam ſpectantem) vt accidit in defectu organi materialis,ex quo tãquam ex altero principio potentia dependet: at remoto defectu in parte corporea, ſemper anima in corpore,cui hærret ſuas potentias producit. Poſterior etiam illorum inſtantia parum vrget; non enim negatur à Iauello quod potentiæ producantur ab anima per ſe: ſed quod producantur per ſe, & primo.

Alia Ratio. Secunda ratio à D. Thoma ibidem adducta non magnifacienda videtur, qua ſcilicet dicitur quod ſi potentiæ animæ eſſent idem cum anima, ſequeretur habens animam ſemper operari:quoniam quemadmodum quia anima eſt actus primus, habẽs animam ſemper viuit,pariter ſi eſſet potentia(quę eſt immediatum principium actus ſecundi)habens animam haberet ſemper operari;quod conſequens falſum eſt:Quare.

Reprobatio. Valet enim reſponſio Scoti præcitato loco aſſerentis non eandem eſſe rationem de anima vt dantem eſſe,ac de eadem vt dante operationem;quoniam dat eſſe in genere cauſæ formalis; cuius eſt ſemper ſuum effectum, ſcilicet informationem producere: operationem vero dat in genere cauſæ efficientis, cuius non eſt ſemper agere; cum pendeat à materia,veluti anima ab obiecto;vnde expoſita eſt impedimentis ad operandum:quare illarum cauſarum diſpar eſt ratio;& ideo calor ſubiectum eius ſemper facit calidum,formaliter ſcilicet agendo:at non ſemper ipſum reddit calefaciens: ad quod ſcilicet efficienter concurrit. Nec vim habere videtur replicatio Gaietani; &

Inſtantia. Iauel.i; quod ſcilicet duo principia, quorum vnum non eſt expectatiuum ſui actus,& aliud eſt ſui actus expectatiuum,debent eſſe diſtincta:vnde cum eſſentia animæ non ſit expectatiua ſui actus;nunquam enim ceſſat dare eſſe: & potentia ſit ſui actus expectatiua;igitur ſunt diſtinctæ: Tollitur enim eadem diſtinctione, quod ſcilicet valeret

Solutio. argumentum ſi anima cõcurreret ad eundem effectum in eodem genere cauſæ,quod non eſt;cum ipſum eſſe det vt cauſa formalis,operationem vero cauſet in genere efficientis: Nec etiam valet alia replicatio Gaietani,quod ſcilicet ab actu quatenus actu,

Inſtantia. nequeat prouenire poteſtas; quod eueniret ſi anima, quæ eſt actus primum tantum actum,& non operationem præberet:quare ſi anima eſt immediata cauſa operationis vt eſt potentia, ab illa ſtatim pendere debet operatio: Soluitur enim dicendo quod

Solutio. ab actu quatenus actu,non vtique prouehit potentia in eodem genere; adeo ſcilicet, vt ab anima,quæ eſt actus formalis,procedat potentia in genere cauſæ formalis: poteſt tamen ab actu procedere potentia in alio genere, vt ab anima, quæ eſt actus in genere formalis, procedit potentia in genere efficientis.

Alia Ratio. Claudicat pariter argumentum Aegidij: quia ſcilicet accidens variabile non poteſt ineſſe ſubſtantiæ inuariabili niſi per aliquod medium inuariabile:ſed intelligere, velle,& huiuſmodi operationes animæ ſunt variabiles: quare ineſſe nequeunt animæ

Reprobatio. inuariabili, niſi mediante aliquo accidente permanenti, qualis eſt potentia: Cui iure negatur maior propoſitio;& reflectitur,quoniam vel talis potentia eſt variabilis, vel non: ſi primum non adimpletur intentio Aegidij, vt ſcilicet tanquam medium permanens connecteret operationem cum anima: ſi vero eſt inuariabilis tunc aliud medium expoſtulabitur, per quod ei accidens variabile iungatur: ac ſi ipſi potentiæ inuariabili exiſtenti iungi valet accidens, idipſum pariter eſſentiæ inuariabili animæ ineſſe poterit.

Alia Ratio. Solubile etiam eſt id argumentum quod, vt ſe habent inter ſe eſſe, & operari, ita ſeinuicem habere debeãt illorum principia: vnde cum eſſe. & operari diſtinguantur;

Reprobatio. pariter & anima, quæ eſt principium eſſendi,ac potentia,quæ eſt principium operandi,debent eſſe diſtinctæ. Cui tuta extat reſponſio: valere id de principijs actuum non ſubordinatorum:at de eſſe & operari,qui ſunt actus ſubordinati,vt de eſſe luminoſum & illuſtrare, ſeu de eſſe calidum, & calefacere, non ita rem ſe habere.

Ratio 2. Validum autem ad hanc probationem videtur argumentum Heruei, quia ſcilicet

ens

ens vnum ſimplex non poteſt eſſe immediatum, & totale principium diſtinctarum operationum, ſicuti eadem materia non eſt per ſe principium receptiuum diſtinctarum formarum: ſed tantum ratione diſtinctarum diſpoſitionum, per quas ad varias formas determinatur; quia non quodlibet fit ex quolibet ex primo Phyſicorum 42, ſed diſtinctę operationes ſunt nutrire, generare, ſentire, velle, intelligere, & huiuſmodi, quæ procedunt ex anima: Quare neceſſaria videtur intra ipſam animam realis diſtinctio potentiarum, per quas anima ad varias edendas operationes inſtruatur. Nec præualet obiectio, quam pro ſolutione affert Scotus inquiens quod per eandem rationem nec poſſet anima recipere immediate diuerſas potentias, quod ſi non eſt inconueniens pariter nec inconuenit vt diſtinctæ operationes ab ipſa procedant. Leuis namque apparet ex diſpari conditione cauſalitatis animæ circa ſuas potentias, ac circa operationes: potentiarum namque eſt cauſa ſubiectiua; cuiuſmodi non repugnat vt plura in ea ſubiectentur: at operationum eſt cauſa efficiens, qualis non valet diſtinctas edere operationes, niſi per medias facultates diſtinctas: vnde eſt quod, quia ignis calefacit, ac exſiccat infertur ineſſe ei calorem, & ſiccitatem, nec dicitur quod ſit ibi calor tantum, qui ſimul calefaciat, & exſiccet: Quapropter eadem ratione, qua in igne & in quocunque conſimili ponuntur plures cauſæ pro diſtinctis actionibus: etiam in anima pro varijs operationibus multiplicitas facultatum neceſſaria videtur. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Et confirmatur quoniam ſubſtantia non eſt immediatum principium operationis; vt patet de elementis alijſq; conſimilibus agentibus, que ſemper per intermedia inſtrumenta accidentalia operari videntur: vnde anima, quæ eſt ſubſtantia, non apta videtur ad operandum aliter quam per intermedias potentias, quæ ſunt accidentia. *Confirmatio.*

Præterea accidens non poteſt identificari formaliter cum ſubſtantia: ſed potentiæ animæ ſunt accidentia, quoniam naturalis potentia, ſeu aptitudo ad operandum ſecundum Ariſtotelem pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis: non ergo poſſunt eſſe idem cum anima, quæ eſt ſubſtantia: Reſpondent aduerſarij potentias animæ non eſſe aptitudines illas ad operandum, quæ ſpectant ad ſecundam ſpeciem qualitatis; & ſunt potentiæ ad bene operandum: ſed eſſe prima quedam principia à quibus tales aptitudines emanant. Inualidum quidem effugium; nam ſi pro tali principio ſignificare velint ipſam eſſentiam animæ, ex qua manant potentiæ: vtique verum eſt eam non eſſe aptitudinem ad operandum: at ſi intelligant de ea, quæ proprie eſt potentia; illa non diſtinguitur à potentia ſeu aptitudine ad bene operandum, niſi ſecundum magis, & minus, quod non tollit identitatem in ſpecie; ac longe minus in genere. Cuius confirmatio habetur in nono Metaphyſic. tex. 2. vbi Philoſophus habita diuiſione potentiæ in potentiam abſolute, & in potentiam bene, ſeu facile agendi, mox potentiam poſteriori modo ſumptam definit per totam rationem potentiæ primi modi: denotans non eſſe diſtinctas tales potentias, quæ in ratione, ſeu in definitione communicant. Præterquam quod ita ſe debet habere potentia ad potentiam vt actus ad actum: ſed actus operandi & actus bene operandi non diſtinguuntur genere: Quare & potentia abſoluta ad operandum: ac potentia bene operandi non videntur genere diſtingui. *Ratio 3.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

Eficax etiam eſt alia ratio D. Thomę, nimirum quod ſi potentiæ eſſent idem cum anima, idem etiam eſſent inter ſe, iuxta regulam illam quod: Quecunque alicui tertio ſunt idem, ſunt etiam idem inter ſe: Falſum autem eſt quod potentia motiua, auditiua, & viſiua ſint idem: Quare. Reſpondent aduerſarij quod ſi potentiæ conſiderentur ſecundum illarum eſſe reale, ſeu (vt alij dicunt) ſecundum rationem internam; ita nec ab anima, nec à ſe inuicem differunt: ſi vero conſiderentur ſecundum illarum formalitatem, ſeu ſecũdum rationem externam, ſic inter ſe, & ab anima diſtinguuntur: Quam aſſertionem iure carpit Zabarella in libro de Facultatibus Animę cap. 3. quoniam illæ rationes formales, per quas inquiunt potentias differre, non ſunt nihil; ex nihilo ſiquidem nulla differentia procedit: ergo ſunt aliquid; ac proinde aut ſubſtantia, aut accidens; non primum quoniam tales potentias formaliter ſumptas nec ipſi aduerſarij putant eſſe formas ſubſtantiales: Quare ſunt accidentia de Prædicamento, *Ratio 4.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

non

Digitized by Google

Euaſio. non quidem Relationis; quia non ſunt ſimul cum ſuis correlatiuis actibus: nec quantitatis, aut alterius prædicamenti alij à Qualitate. Nec tute ſe recipiunt Scotiſtæ recentiores reſpondentes, rationes illas formales eſſe ſubſtantias; nec inde tamen ſequi quod ſint diuerſæ formæ, quemadmodum & verum, bonum, ac vnum in Ente non ſunt formæ diſtinctæ; ſed tantum diuerſæ formalitates: Decipiuntur quidem; quoniam verum, bonum, & vnum in Ente ſunt tantum conditiones quædam rationales, quæ non ſunt principia proxima diſtinctarum operationum realium, vt ſe habet de potentijs animæ, quæ vt effectiuæ cauſæ diſtinctarum operationum realium, inter ſe diſtinctæ cenſentur. Vnde vrget alia confirmatio Zabarellæ procedens ex reduplicatione, quæ eſt efficacior conditio argumentationis: quod ſcilicet potentia viſiua quatenus viſiua idem eſſet cum auditiua, & guſtatiua.

Confirmatio. 15 Et valide confirmatur ex eo quod non ſunt realiter idem ea quorum vnum ſeparari poteſt ab altero: vnde cum auditus (exempli gratia) ſeparabilis ſit ab olfactu, ac è conuerſo, & ſic de alijs: inde videtur quod tales potentiæ inter ſe, ac conſequenter ab anima diſtinguantur. Et cõfirmatur adhuc quoniam nobilior ſemper eſt actus quam potentia ad ipſum tendens: vnde ſi anima eſſet potentia ſequeretur vt nobilior quam anima eſſet ipſius operatio, quæ eſt actus ſecundus, ad quem potentia animæ tendit.

Occurritur oppoſitis rationibus in 2. Capite adductis. Cap. IV.

Solutio 1. argument. VT attinet ad argumenta contraria iam primum aptiſſimam inuenit ſolutionem; quod enim per ſe primo, & principaliter cauſat generationẽ eſt anima: at non proxime; ſed quatenus mouet inſtrumentum, quod eſt potentia ad generationem proxime cauſandam; quemadmodum & natura dicitur principiũ motus; non quia moueat immediate: ſed quia dirigit grauitatem & leuitatem illius inſtrumenta ad corpora ſurſum, vel deorſum ferenda: Nec obijciatur quod nil agere valet vltra ſuam ſpeciem: Id enim eſt verum vt à cauſa principali vt propterea non valeat vt cauſa principalis producere ſubſtãtiam aliud quam ſubſtantia: poſſunt tamen accidentia non per ſe, ſed in virtute ſubſtantiæ vltra ſuam ſpeciem agere ſubſtantiales formas producendo.

Replica ſolutio. Pariter & cum inſtatur per litteram illorum contextuum ſecundi de Anima optime reſponſum videtur, colligi exinde quod potentiæ ſint ſuarum operationum principia per ſe, ſed non primo; vt ipſi tantum animæ competit.

Replica alterius ſolutio. Ad aliam inſtantiam reſpondemus quod per accidens vtique reciperentur in anima operationes, ſi reciperentur in potentia, quæ per ſe, primo, & principaliter ipſas reciperet: at quod primo per ſe, & principaliter operationibus ſubijcitur eſt anima, cui potentia tamquam inſtrumentum inſeruit. Quare non recipit illas accidentaliter: quemadmodum & ſubſtantiæ compoſitę recipiunt accidentia ſenſibilia per medium ſuarum ſuperficierum; nec propterea dicuntur illa accidentia à ſubſtantijs recipi accidentaliter, quoniam ſuperficies à ſubſtantijs pariter vt potentia ab anima, diſtinguuntur quidem formaliter, & realiter: non tamen ſuppoſitiue, & fundamentaliter, ſcilicet numero.

Replica alterius ſolutio. Subſequens autem inſtantia deducta ex definitione animæ nil vrget nos, qui concedimus animam habere poteſtatem ad ſuas operationes: ex quo non ſequitur quod anima ſit eadem potentia realiter: quinnimo oppoſitum cum diſtincta eſſe ſoleant habens potentiam, ſeu quamcunq; aliam rem, cum eo, quod habetur.

Confirmationis ſolutio. 16 Ad confirmationem vero dicimus de conditione nobilitatis rei eſſe quidem vt ſuũ finem attingat cito, ideſt abſque intermedio multarum actionum, iuxta id quod habetur in ſecundo de Cælo text. 60. & 62. non autem adeo immediate, vt excludat potentias medias.

Solutio 2. argument. Solutio ſecundi argumenti principalis conſiſtit in recta intellectione illius definitionis traditæ in nono Metaphyſicorum, in qua ſub nomine potẽtiæ actiuæ communiter ſignificatur tum id quod per ſe, & principaliter eſt principium agendi, qualis

eſt

eſt anima,tum etiam id quod ipſi principio eſt ratio agendi,qualis eſt potentia : ideo dicunt alij non ibi definiri meram potentiam,nec ſolam formam, ſed coniunctum ex eis, ſcilicet formam potentem.

Et ex præcedenti reſponſione iam patet ſolutio tertij argumenti:tam enim anima, quam potentia eſt principium operandi; ſed per diſtinctas rationes, quia ſcilicet potentia eſt ratio agendi; & anima eſt principium agendi primo, per ſe, & principaliter: & taliter dicitur non quidem quia agat immediate;abſque ſcilicet intermedio potentiæ,quæ eſt illius inſtrumentum: ſed quia non habet aliquod prius, per cuius virtutem agat; quæ conditio nullatenus potentiæ adaptatur. *Solutio 3.*

Ad quartum Thomiſtæ qui concedunt identitatem potentiæ cum materia,reſpondent diſparem eſſe conditionem potentiæ materialis, & potentiæ animæ; quoniam cum potentia materiæ ſit ordinata immediate ad ſubſtantiam; propterea identificatur cum ſubſtantia quæ eſt materia: at quoniam potentia animæ eſt ad operandum quo quidem modo non ſe habet ſubſtantia: propterea eſt accidens diſtinctum ab eſſentia animæ. At nos qui talem doctrinam in Phyſicis iam propria diſputatione oppugnauimus,aliter reſpondendo dicimus: potentiam materiæ eſſe accidens, ac neutiquam identificari cum ſubſtantia materiæ:in qua quidem materia non poteſt antecedere formis accidens determinatum, qualis eſſet potentia ad certam formam particularem, ſeu ſpecificam: at de accidente indeterminato,qualis eſt potentia communiſſime ſumpta, id non eſt inconueniens. *Solutio 4.*

Subſequenti reſpondetur non eſſe nobilius id, quod operatur proximius, & immediate,ſed quod operatur per ſe,& primo:accidentia vero operantur immediatius, at non per ſe,ſed mutuata vi exformis ſubſtantialibus, quarum ſunt inſtrumenta: ex quo non officitur ſimplicitati ipſarum formarum, quæ non habent potentiam vt ſui componentem,quamuis per illam operentur:ſed cum immediate dẽt per ſe eſſe ſubſtantiale,ideo non ſunt per ſe ordinatę ad agendum niſi per adminiculum potentiæ: quæ quidem potentia cum non det eſſe per ſe; ſed duntaxat accidentale: propterea ordinatur ad agendum. *Solutio 5.*

Ad aliud negata minori propoſitione,dicimus ad probationem quod,in definitione naturæ dictio illa(primo)ſignificat non ſecundario, & per dependentiam ab alio; non autem per immedietatem tam abſolutam, vt excludat etiam intermedium potentiæ; ſufficit enim vt formæ quibus competit definitio naturæ, ſic ſuas edant operationes immediate, vt in agendo nullius opem requirant à ſe ſubiectiue diſtincti, cuiuſmodi non eſt potentia, vel organum corporeum, cuius miniſterio ipſa anima agere ſolet. *Solutio 6.*

Alterius neganda eſt conſequentia ob diſparem conditionem potentię,& animę; potentia enim cum non ſit inſtituta vt principalis cauſa operationis;ſed vt ratio agendi immediate executiua in operatione;propterea non alia eget potentia inter ſe, & actionem intermedia: Ac inſuper non valet illa conſequentia;quoniam anima non vt quid à ſe diſtinctum illam potentiam ad agendum exigit: vt inde illa etiam potentia aliud à ſe diſtinctum adminiculum debeat ad agendum quærere. *Solutio 7.*

Subſequenti reſpondemus animam egere potẽtijs ob illius imperfectionem; cum enim declinet à nobilitate,ac perfectione ſubſtantiarum abſtractarum, in quibus potentia ad operandum,ipſamet actio,ac illarum eſſentia idem ſunt; ideo tamquam forma naturalis, & materialis nequens agere per eſſentiam requirit intermediæ potentiæ fulcimentum vt valeat operari: Quod vero formæ illæ accidentales,vt calor,grauitas,& aliæ ſimiles non agant per intermedias potentias, ad nihil refert; non enim illæ ſunt præcipua ſuarum operationum principia:ſed tantum vt rationes,ac virtutes formarum ſubſtantialium,ex quibus pendent; quibus ue ſe habent tamquam potentiæ: vnde ſimilitudo non currit. *Solutio 8.*

Nonũ argumẽtũ falſũ ſumit fundamentũ;quod enim aĩa nequeat ſeipſa abſq;quocunq;ĩtermedio agere cõperit ſenſus ob organa corporea apprime ei ad agẽdũ neceſſaria, vt ideo& illorũ aſſertio de ſuꝑfluitate potẽtiarũ facile ex nr̃a negatione corruat. *Solutio 9.*

E Vlte-

Solutio 10. Vlteriori argumento reſpondetur potentiam non recipere contraria tamquã principale ſubiectum,& vt quod;ſed tantum vt ratio intermedia ipſius recipientis ſubſtãtialis,ac(vt quo)quemadmodum & ſuperficies immediate quidem ; at non per ſe, & primo recipit colores, & alia accidentia ; nec propterea dicitur eſſe ſubſtantia.

Solutio 11. Ad aliud dicimus vtique eſſe principium eſſendi, & operandi ; non tamen eodem modo;dat enim eſſe per ſe proxime,& abſque alicuius intermediæ facultatis concurſſu:operari vero non niſi mediantibus ſuis viribus,& potentijs:Nec aliqualiter vrgere videtur inſtantia Fabri in 74 Thæorem. Philoſophico cap. 1.ſubinde relata ; cuius claudicat conſequentia;nam quo magis anima dicitur operari mediante potentia, eo magis ſignificatur potentiam eſſe ab ipſa anima diſtinctam:Et cum id probatur ex eo quod anima non operans per eſſentiam dicitur eſſe in potentia ad actum ſecundum ; vnde infertur illius identitas cum potentia : tunc extat equiuocatio circa nomen potentiæ;alia enim eſt,quæ conſideratur in ordine ad actum,priuationi coniuncta,quæ tamen non eſt idem cũ ſubiecto ei tamquã accidenti, ſubexiſtente : & alia eſt potẽtia huic propoſito inſeruiens quę eſt vis,ſeu facultas agendi:quãuis tamẽ vtriq;taliũ potentiarũ vt alicui accidenti à ſe diſtincto aĩal ſubijciatur:nec alicui ex illis idẽtificetur.

Solutio 12. Ad duodecimum reſpondemus tales potentias producere ſecundum genus cauſæ efficientis:at non per tranſmutationem,quo quidem modo nil producere valet agens naturale,& materiatum abſq; intermedio potentiæ:ſed per emanationem, per quem modum non inconuenit effectui immediate à ſua cauſa naturali procedere.

Solutio 13. Subſequens argumentum incidit in eandem, quæ nuper arguebatur, æquiuocationem circa illam vocem potentiæ, & actus: regula enim illa de communicatione in genere actus, & potentiæ, intelligenda eſt de potentia, & actu illo, qui tali potentiæ correſpondet:de quibus optime verificatur ; potentia enim adnexa priuationi, quæ reſpicit actum formalem ſatis ei conformatur in genere;nam ſi eſt potentia ad actum ſubſtantialem;dicitur potentia eſſentialis,& ſi ad actum accidentalem,dicitur potentia accidentalis:ſic & potentia alterius rationis,ſcilicet vis,& facultas agendi, quæ eſt in ordine ad actum ſecundum conuenit cum eo in genere ; eſt enim accidens pariter ac operatio ei correſpondens, quæ eſt ipſa productio : nec eſt neceſſarium quod talis potentia ſit eiuſdem generis cum actu producto,puta potentia animæ vegetalis cum animali genito, cum quo ſiquidem ſufficit, vt ſit idem in genere ipſum generans, à quo (tanquam accidens) illa potentia generatiua procedit.

Solutio 14. Ad poſtremum quod nititur aſſertionibus Ariſtotelis, dicimus ideo ibi Philoſophum ita loqui: quia deſumit animam poteſtatiue, ſcilicet quatenus principium illarum facultatum;quod facit loquendo populariter,& ad aures aliorum,quibus notiores ſunt facultates animæ,quam ipſa anima,quemadmodum pari intentione cum parum notæ ſint formæ ſubſtantiales elementorum,ad ipſas repręſentandas in libris de Cælo vtitur grauitate,& leuitate,quæ ſunt talium formarum accidentia:ac paſſim in primo,& ſecundo de Generatione & Interr.in libris de Anima, ac de Partibus, & de Generatione Animal.exprimit eaſdem ſub nomine qualitatum alteratiuatum ; in citato autem textu non abſolute inquit Philoſophus quod potentia viſiua ſit anima, ſed ait quod id eſſet quando oculus eſſet animal,cum enim oculus nõ diſtinguatur ab alijs mẽbris per animã,quæ ſingulis membris eſt communis, ſed per facultatẽ viſiuã, nec oculo ſeorsũ exiſtenti poſſit cõpetere anima,quę ſoli ĩtegro corpori aĩato adęquatur,propterea recte ĩquit quod poſito:oculũ eſſe aĩal,viſiua facultas eſſet illus forma.

Queritur de Potentijs animæ an diſtinguantur inter ſe. Cap. V.

Opinio Scoti & aliorum. PRehabita dũ explicit cõtrouerſia de diſtinctione potẽtiarũ ab aĩa, altera nõ deeſt circa earũdẽ diſtinctionẽ inter ſe,quã negarũt quã plures, ac præſertim Scotiſtæ eorũ ſequentes ducem,qui in 2. Sentent. diſt. 16. quæſt. vnica, formaliter tantum eas ab anima,& inter ſeipſas ſecernens, omnimodã illarũ in diſtinctionẽ realẽ tuetur, in quo conuenerunt Marſil. in 1. ſent. diſt. 7. art. 7.

Argument. 1 & pter alios Arimin. in 2. ſent. diſt. 16. q. 3. quorũ ſentẽtię hec argumẽta fauẽt: Primo quia nõ maior diſtinctio admitẽda videtur in potẽtijs quã in obiectis, quandoquidẽ

ex

Digitized by Google

ex illis diſtinctio potentiarum dependeat: obiectum autem intellectus, & voluntatis, que ſunt verum, & bonum, in re non diſtinguuntur: Quare neque potentiæ, quę in illis verſantur, debent eſſe diſtinctæ.

Argumēt. 2. Secundo quoniam quo magis res aliqua nobilior, & eminentior eſt, eo magis eſt vis eius intenſior: cui quidem intenſioni virtutis obſtat multitudo, conferiq; vnitas, quæ ipſam redere ſolet fortiorem, & vſque ad infinitatem augere: vnde cum anima ſit inter ſublunaria nobilior, requirit propterea virtutem vnam, quæ proportionatam ei poteſtatem prebeat.

Argument. 3 Et conſimiliter arguitur quoniam quo præſtantior eſt aliqua facultas, eo magis vna exiſtens ſe extendit ad plura: ſed facultas animæ præſtantior eſt quam virtus naturæ, quæ vnica manens dat corpori naturali eſſe, Quantitatem, conſeruationem, & alia: Quare magis ipſa virtus animæ debet eſſe vna.

Argument. 4 Inſuper potentiæ animæ cum non ſint eius eſſentia, ſed proprietates: vel omnes ex illa fluunt; vel præter vnam reliquæ ex ſe inuicem oriuntur: Non primum quoniam ab vno non magis quam vnum immediate fluit: Non ſecundum, quia cum ipſæ ſint ſimul, debent propterea omnes ab eodem procedere: ac inſuper quoniam accidens procedit ex ſubiecto; nec poteſt vnum accidens eſſe ſubiectum alterius: Quare potentiæ non ſunt magis quam vna.

Argument. 5 Deinde impugnatur diſtinctio poteſtatis appetentis, eo quod appetibile quodlibet eſt ſenſibile, aut intelligibile, quorum hoc mentis, & illud ſenſus eſt perfectio: quod cum ſuam perfectionē vnumquodque naturaliter appetat: propterea ipſimet ſenſus & intellectus ſuum appetibile obiectum per ſe appetunt; nec alia potētia ad appetendum inſtituenda videtur.

Argument. 6 Ac pariter quia non aliud eſt appetitus quam voluntas concupiſcibilis, & iraſcibilis: Vt autem habetur in tertio de Anima, voluntas eſt per ſe in intellectu, concupiſcibiliſq; ac iraſcibilis in ſenſu: quare præter ſenſitiuam, & intellectiuam non eſt addenda potentia appetitiua.

Argumēt. 7. Oppugnant deinceps multiplicitatem potētiarum animæ vegetatiuæ ſubnixi verbis Ariſtotelis qui in 42. textu ſecundi de Anima inquit: eandem potentiam animæ eſſe generatiuam, & augmentatiuam.

Argumēt. 8. Deinde quoniam diſtinguuntur potentiæ ex multiplicatione obiectorum: ſed vnicuique ex tribus vegetatiuis facultatibus, altrici ſcilicet, augmentatiuæ, atque generatiuæ, idem eſt obiectum, nimirum alimentum, vt colligitur ex eodem 42. textu ſecundi de Anima: Quare tres illæ potentiæ non magis quam vna realiter eſſe videntur.

Argumēt. 9. Præterea idem ſunt illæ potentiæ, quarum idem eſt actus; cum proxima ratio illarum diſtinctionis ſit actuum diſtinctio: Altricis autem, atque generatiuę actus eſt idē; altricis enim actus eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti; ac proinde tranſmutatio quædam ad eſſe ſubſtantiale: omnis autem tranſmutatio ſubſtantialis eſt generatio: quare nutritio non diſtinguitur à generatione; ac conſequenter generatiua, & alimentatiua facultas ſunt idem.

Argumēt. 10 Inſuper non videtur quod varietas obiecti ſecundum magis & minus valeat variare potentias: Altrix autem, ac generatiua facultas habent obiecta differentia inter ſe tantum ſecundum magis, & minus; altrix enim conuertit nutrimentum ſimpliciter; & augmentatiua conuertit idipſum in maiori quantitate, quam fuerit portio deperdita ab illo viuente: Quare ex tali differentia mere ſecundum magis, & minus non valet multiplicitas potentiarum inſtitui.

Argumēt. 11 Adhuc virtus augmentatiua ad ſuum opus auctionis non eſt neceſſaria: quare non eſt apponenda diſtinctim ab alijs potentijs vegetatiuis: antecedens probatur, quia potentia nutritiua dum alimentum conuertit in ſubſtantiam viuentis producit inſimul quantitatem illius ſubſtantiæ conuerſæ, ſicut & generatiua inſimul cum animali, quod generat, eius etiam molem conſtituit; vt ideo augmentatiua ab alijs diſtincta haud neceſſaria videatur.

Argumēt. 12 Addunt nutritiuam potentiam eſſe aliquem motum: nec poſſe eſſe lationem, augmentationem, vel alterationem; cum illi omnes motus primo, & per ſe tendant ad terminos accidentales, & nutritio ad ſubſtantiam: quare eſſe generationem: ac proinde facultatem nutritiuam idem eſſe cum generatiua.

Argumēt. 13 Arguitur etiam quia identitas officij, & operationis denotat indiſtinctionem facultatum: Sed tam nutritiuæ quam generatiuæ officium eſt animare alimentum: vt ideo nutritiua, & generatiua non videantur diuerſæ.

Argumēt. 14 Poſtremo nobiliorem agendi modum exigit viuens quam non viuens: nobiliorq; eſt modus agendi per vnicam, quam per multas potentias: Aliquod autem non viuens, vt ignis per vnicam facultatem, eadem ſcilicet ſua caliditate valet ad ſe nutriendum, augendum, & conſimile generandum: Quare longe magis viuenti conuenit per vnicam facultatem illa omnia munera obire.

Oppoſita ſententia ſtatuitur, & Quæſtionis veritas in ſuis partibus explicatur. Cap. VI.

Recta ſentēt. D. Thomæ. M. Alberti. Aegidij. P. Veneti. Fundam. 1.

IN propoſita diſceptatione cum nos ex oppoſito adhæreamus doctrinæ D. Thomæ in præcitata 1. parte eiꝰ ſummæ quæſt. 77. art. 1. 5. & 8. Magno Alberto tract. 2. cap. 6. & 9. Ægidio Quolib. 3. quæſt. 10. Paulo Veneto in ſumma cap. 4. Capreolo in ſecūdo de Anima tex. 50. & Iandulo in eiuſdem operis quæſt. 13. & ſuſtineamus prædictas omnes potentias inter ſe realiter eſſe diſtinctas, valido fundamento fulcimur; quo plerique ex præcitatis auſthoribus, alijq; innumeres cum illis in hac ſententia conuenientes voluntarie deſtituuntur: quia ſcilicet negant diſtinctionem realem animæ vegetalis, ſenſitiuæ, & rationalis in eodem viuente; quę quidem diſtinctio nobis eam ſuſtinentibus optime confert ad inferēdam diſtinctionem potentiarum, quæ a diſtinctis animabus procedentes nunquam poſſunt vnica tantum eſſe. Diſtinctio autem animarum, quam in particulari tractatu noſtro de Multitudine formarum in eodem indiuiduo exacta diſputatione probare tentauimus, efficaciter nobis ſuadetur primo (prout ſpectat ad diſtinctionē rationalis à cæteris animabus) tum quia eſt à cæteris aliud genus animæ, vt docet Ariſtoteles in ſecūdo de Anima 21. ac vt ibidem ex eo apparet, quod reliquis animabus innoteſcentibus, nihil de illa tunc manifeſtum habetur: Quiaue ex eadem littera eſt ab alijs ſeparabilis tanquam perpetuum à corruptibili: tum etiam quia cum reliquæ omnes animæ ſint actus ſui corporis, ipſa ex vndecimo tex. eiuſdē operis nullius partis corporis eſt actus: tum inſuper quia cum aliæ omnes animæ ſint naturæ, ac phyſicæ contēplationi ſpectantes, ipſe intellectus ex primo de Partibus Animal. cap. 1. non eſt natura, nec conſequenter phyſicæ cōſiderationis; cum nec ſit principiū motus, nec finis generationis: tum quia cum reliquæ per corpus & corporea organa ſint extenſæ, anima rationalis ex tertio de Anima textibus 4. & 6. à corpore, & organo eſt prorſus immixta: tum etiā quia cum ſit quid diuinum ex 4. de Partibus Animal. cap. 10. ac 2. de Gener. Animal cap. 3. non poteſt eſſe coeſſentialis formis naturalibus, & mortalibus: tandem quia cum cæteræ omnes, vt vegetatiua, ſenſitiua, ac ſpecifica cuiuſlibet bruti animalis, puta canina, Leonina, ac huiuſmodi quælibet (omnibus ferè concedentibus) eductæ ſint ex potentia materiæ, id non eſt de rationali, quæ ex 2. de Gener. Animal. cap. 3. deforis venit. Nec tutum habent effugium aſſerentes in homine adeſſe tantum intellectum, in cuius acceſſu reliquæ animæ euaneſcunt. Repugnat enim conſilio naturæ, quæ præcipuo connatu in conſtitutione rerum ennititur, deſtruere animas illas, vegetalem, ac ſenſitiuam, quæ rationali, quam inducere intendit, nedum non repugnant; quinnimo conferunt, ac inſeruiunt.

In eodem viuente sūt plures animæ. Ratio 1.

Confirmatio. Vnde maxime viget ratio, quā ſuggerit littera 3. cap. ſecundi de Gener. Animaliū dum tradit quod fætus hominis in vtero prius habet animam vegetatiuam, mox ſenſitiuam, ac demum intellectiuam. Nec locum habet euaſio interpretans, ibi intelligi de prioritate non temporis, ſed naturæ. Id enim reprobant proxima verba exprimentia,

Digitized by Google

tia, non ſimul fieri animal, & hominem, nec animal & equum. Nec tute dicunt alij Philoſophum ibi loqui de prioritate temporis non in eſſe, ſed in operari. Repugnant enim verba illa, quod *non ſimul animal & equus ſit* ſignificantia illorum productionem, non in actu ſecundo; ſed in actu primo, & quoad eſſe.

Comprobatur nobis eadem veritas ex eo quod vnica, ac ſimplex eſſentia formalis non eſt apta dare magis quam vnum eſſe, vnde quæcunque anima cum ſit vna tantum eſſentia ſimplex, non eſt apta dare eſſe naturæ plantæ, animalis, atque ſpecificæ, puta Leonis: Nec ſufficiunt adhoc cauſandum diſtinctæ eiuſdem animæ facultates: Quamuis enim diſtinctio potentiarum valeat ad diſtinctas operationes eiuſdem generis; eſſentiales tamen naturas diuerſorum generum præbere non valent: Ac pariter quia vt impoſſibile eſt plures naturas eſſentiales prodire ex vnica forma, ſic inconueniens videtur quod eadem natura puta ſenſitiua, ſeu vegetalis conſtituatur à diuerſis formis, vt ab anima hominis, equi, canis, ac cuiuslibet ſpeciei. *Ratio 2.* *Confirmatio.*

Ac conſimiliter quoniam operationes diſtincti generis, nimirũ vegetandi, ſentiendi, atque ratiocinãdi diſtinctam principiorum (ſcilicet ipſarum animarum) rationem patefaciunt. Augeturq; vis rationis ex eo quod nedum diuerſæ, ſed etiam oppoſitæ, ac inuicem pugnantes operationes ex eodem humano indiuiduo procedere ſolent; quibus circa idem obiectum intellectus, ac ſenſus elligendo, reſpuendoq; colluctentur, & aduerſentur; nec quidem ſucceſſiue, vt credi poſſit quod eadem anima variata ſententia idipſum modo velit, ac modo nolit; id enim ſimul, eodemq; tempore in ſeipſo contingere: quiſquis paſſim experitur. *Ratio 3.*

Nec officere nobis putamus rationes, quæ adduci ſolent in oppoſitum: quibus in proprio loco difuſe reſpondimus: Vt itaque ſolidiſſimo hoc diſtinctarum animarum fundamento ſubnixam habeamus ſententiam noſtram de reali diſtinctione potentiarum ex ipſis manantium.

Sed prçterea ad eandem probationem validæ rátiones cum D. Thoma, & alijs nobis communes non deſunt. Quæ enim virtutum multiplicitas pro operando requiritur in elementis, quę ſunt corpora maxime actiua, adeo vt in aqua frigus & humiditas, ac in igne calor & ſiccitas realiter diuerſæ reperiantur; eadem & ab anima pro ſuis tot generum obeundis actionibus expoſtulari videtur. *Fundam. 2. Pro diſtinctione potentiarum.*

Illa præterea ſunt inuicem realiter diſtincta, quorum vnum poteſt ab altero ſeparari, & ſeruari: Et hoc contingit de varijs potentijs; auditus enim ſine olfactu, ac e conuerſo, ac vterque ſine viſu ſeruari poteſt: ex quo realis huiuſmodi potentiarum diſtinctio efficaciter ſuadetur. *Fundam. 3.*

Præterea ex diuerſis operationibus animalibus, ac potiſſime diuerſorum generum, quemadmodum nuper fortiſſimo argumento inferebatur, ipſarum animarum diuerſitas, eo fundamento quod ab vno ſimplici non magis quam vnum prodire poteſt; pariter ex eadem operationum multiplicitate, ac varietate, etiã in genere, ipſarum etiã potentiarum realis diſtinctio ſuadetur. Quod eo magis quiſque approbare tenetur, quia varietatem operationum ex anima procedentium omnes ſaluare elligunt eo medio, ac cautione, quod quamuis anima eſt vna, per plures tamen potentias agendo, ad plura valeat: quæ communiſſima defenſio euerteretur reali diſtinctione potentiarum non admiſſa. *Fundam. 4.*

Cui veritati paſſim aſpirat ſuis atteſtationibus Ariſtotelis, vt in primo de Anima cap. poſtremo, vbi conſiderans ex vnitate animæ pluralitatem operationum prodire, mentionem facit de potentiarum multiplicitate. Deinde in ſecundo eiuſdem operis cap. 13. dum quærit an tales potentiæ inſint ijſdem, vel diſtinctis ſubiectis, quod tamen non reſoluit; clarum dat ſignum, ſe ipſarum diſtinctionem cognoſcere. Quinetiã in eiuſdem operis cap. 2. ſummæ 3. ac preſertim in tex. 47. cum diſſerit de alimento diuiſim quatenus potentiæ generatiuæ, nutritiuæ, & augmentatiuæ deſeruit. Ac dum in Ethicis varios habitus diſtinctis potentijs aſſignat. *Ariſtotelis authoritates.*

Sed quoniam maior huiuſmodi negotij dificultas conſiſtere videtur circa potentias animæ vegetatiuæ, quatenus ſcilicet amplior expoſitorum numerus *Digreſſio de potentijs vegetatiuis.*

Digitized by Google

illarum diſtinctionem oppugnat: propterea ſpecialiter eſt de ipſis digrediendum: Adnotando primum quod cum potentiæ animæ refulgeant potiſſimum ex actionibus, quæ (vt ad vegetationem ſpectat) tres in quocunq; animali conſpiciuntur, conuertitur enim alimentum in ſubſtantiam nutriti, quod inde conſeruatur in eſſe: augetur inſuper illius moles, quam dum naſceretur non niſi exiguam, diminutam, & imperfectam ob anguſtiam loci, ac paucitatem materiæ obtinuerat: & adhuc per ſemen ab eo deciſum ſibi ſimile in ſpecie producit; idcirco quemadmodum natura nouit, atque decreuit neceſſitatem harum trium variarum operationum, ita tres potentias, vt principia, à quibus dependeât, nimirum nutritiuam, auctiuam, ac generatiuam vniuerſi Philoſophantes cognouerunt. Harum autem trium potentiarum ſi obiectum materialiter tantum reſpiciatur, idem vtique eſt; ſcilicet alimentum, vt obſeruat Philoſophus in ſecundo de Anima tex. 47. at tale obiectum ſecundum varias rationes eis competit; nam quatenus eſt ſubſtantia in potentia ad naturam rei nutritæ, eſt obiectũ potentiæ nutritiuæ; vt eſt quantum, obiectum eſt augmentatiuæ; quatenus vero poteſtate ſe habet ad naturam ſeminis, natumq; eſt formatricem facultatem aſſequi, ſic correſpondet generatiuę: Nec enim eſt inconueniens varias facultates eidem obiecto varijs tamen rationibus reſpondere; quemadmodum circa idem obiectum ignis incumbit viſus ratione illius coloris, ſcilicet luminis; tactus ratione caloris, & auditus per fragorem ex flamma procedentem: Suntq; tales facultates ſubordinatæ, & ſibi inſeruientes, nutritiua ſcilicet augmentatiuæ quæ ſine ipſa nunquam poſſet exerceri: ac vtraque ex illis generatiuæ, quæ nullatenus ſine illarum præludio agere valeret: vnde cuiq; ex eis inſeruiunt virtutes, quæ attribuuntur nutritiuæ, videlicet attractiua, retentiua, digeſtiua, & expulſiua.

Obiectũ triũ potentiarum tum vnum, tum multipl.

Etſi quis trium potentiarum rationem per illarum definitiones explicatam optet: ſuccurrit Auicennas in 6. Naturalium definiens primo Nutritiuam quod ſit virtus animæ vegetalis conuertens corpus ex corporeitate in qua præexiſtebat, in ſimilitudinem corporis, cui ineſt vniens ei alimentum pro reſtauratione illius, quod ſolutum eſt ab eo: pro cuius intelligentia eſt animaduertendum quod cum corporeitas in duplici ſenſu ſumi poſſit; tum ſcilicet vt continet trinam dimenſionem, & eſt de genere quantitatis: tum etiam vt ſignificat ſubſtantiam naturalem materia præditam, quæ ipſi trinæ dimenſioni eſt ſubiectum: in hac definitione nomen corporeitatis accipitur in ſecunda ſignificatione. Augmentatiuam vero potentiam definit ibidem per virtutem augentem corpus, in quo eſt, ex corpore, quod ſimile reddit augmentato in cunctis dimenſionibus proportionabili, vt ipſum ad perfectionem redigat: circa quod eſt animaduertendum quod quamuis tam augmentatiua quam nutritiua animato corpori alimentum aſſimilet, hoc tamen fit diuerſa ratione; id enim facit nutritiua, vt ea ſit ſubſtantia ſubſtentans eſſe animalis; & augmentatiua hoc facit, vt illud fit quãrum animal ad ingentiorem molem redigens. Generatiuam vero definit per virtutem animæ vegetalis, cuius eſt accipere de corpore cui ineſt partem ei in potentia ſimilem, & in ea agendo per attractionem aliorum corporum ei ſimilium illam conuertere in ſimilitudinem eius, quod producit: Et talis Generatiua poteſtas vt recte adnotauit D. Thomas in tract. de Potentia animæ Opuſc. 43. ac Magnus Albertus in hoc tract. cap. 7. duas habet virtutes; alteram, quæ appellatur ſeminatiua, cuius eſt ex ſuperfluo alimenti ſemen producere, quæ quidem ſubiectiue ineſt toti corpori viuenti; & alteram formatiuam, quæ ſcilicet membra alterius formando, illud reddit animal ſimile in ſpecie generanti; & ſubiectiue reperitur in ſemine.

Definitio potentiæ Nutritiuæ.

Definitio Augmentatiuæ.

Definitio Generatiuæ.

Generatiuæ duplex virt⁹.

Sed hec definitio potentiæ generatiuæ inquiens eam eſſe virtutem generandi ſimile in ſpecie, excitat valde agitatam controuerſiam de concurſu fœminę in generatione; quia fauere videtur Medicis preſertim Hippocrati in lib. de Formatione Fœtus, & Galeno in lib. de Spermate aſſerentibus fœminam actiue concurrere: primum fundamentum ſumentes ex Anatome, qua perceperunt in muliere teſtes, quos ei natura intrinſecus adhibuit pro emittendo ſemine ad vaſa genitalia, quos fruſtra ei natura tradidiſſet (vt aſſerunt) niſi per illos in generatione prolis actiue concurreret. Qui-

An femina in generatione concurrat actiue.

Opinio Hippocrat. Galeni. Argument. 1

Scotus. *Argument. 2*

Quibus fauens Scotus in tertio ſentent. diſt. 4. ſubijcit eam confirmationem, quod formas eiuſdem ſpeciei, eiuſdem ſpeciei potentiæ naturales ſequuntur: vnde cum maſculus & fæmina ſint eiuſdem ſpeciei, ac proinde formas eaſdem in ſpecie includant; propterea tam vnum quam alterum ex eis actiue generandi potentia cõſequi debet. Additurq; quod alioquin potentia generatiua maris, & fæminæ, vt actiua & paſſiua different, & eſſent penitus rationis diſtinctæ. Probatur idipſum ex conſimilitudine filij, quæ perſepe maior eſt in matre quam in patre: vnde ſuadetur ipſius fæminę virtus actiua, ea ratione quia cum agentis officium, ac intentio ſit effectum ſibi ſimilem reddere; propterea non videtur effectus aſſimilari niſi illi, quod in eo aliquam habet actionem. Inſuper ex dilectione filij, quæ naturaliter eſt maior in matre; quod non eſſet ſi ipſa ſui geniti cauſa diminutior, ac imperfectior eſſet. Preterea ſequeretur alioquin fæminam eſſe tantummodo vt vas, in quo fætus generaretur; & ſic etiam maſculus, vt vir eſſet mater vermium, quando in ipſo vt in loco conuenienti; ac ex aliqua parte illius ſubſtantiæ generentur. Et ſi reſpondetur vermes cum illo animali non eſſe eiuſdem ſpeciei. Inſtant è contra quod neque aſina eſt eiuſdem ſpeciei cum mulo, & tamen eſt eius mater.

Argument. 3 *Argument. 4* *Argument. 5* *Argument. 6*

Ariſtotelis ſententia.

Oppoſita autem eſt ſententia Ariſtotelis, qui in primo Phyſicorum ait mulierem eſſe veluti materiam: vnde cum materia concurrat tantum paſſiue; ſic ſtatuere videtur de fæmina: ſed hoc in primo de Generatione Animal. cap. 19. & 20. exacte determinat: & primum huius doctrinæ fundamentum eſt oportere officium agendi, & patiendi, que in procreanda ſobole concurrunt ſubiecto diſtingui: vnde cum (omnibus concedentibus) in generatione officium maſculi ſit agere, officium tantum paſſiuum fæminæ relinquitur: Nec refert quod idem arbor vtrumq; officium exibeat: Id enim ob illius imperfectionem euenit, quod aliter ſe habere debet in animali perfecto. Et confirmatur efficaciter idipſum ex eo quod fæmina, quæ in generatione certe habet officium paſſiuum; materiam ſiquidem fætui ſubminiſtrat; ſi etiam haberet officium actiuum tunc vtraque pollens facultate, quę ad generationem requiritur, per ſe citra maris concurſum concipere poſſet; quod impoſſibile ex ipſa experientia deprehenditur.

Ratio 1. *Ratio 2.*

Reſſolutio.

Rationabilis tamen, & valde Ariſtoteli conſentanea in hac controuerſia eſt conciliatio D. Thomæ, & Magni Alberti, quod ſcilicet fæmina circa ſuam prolem ſit principium actiuum materiæ: paſſiuum vero generationis: & tunc facile eſt Medicorum argumenta diluere. Ad primum enim negat Ariſtoteles ineſſe fæminę ſemẽ proprie; ſed quandam tantum ſeminis ſimilitudinem admitit in illo ſanguine generationi aliqualiter conferrente, quem ſępe fæmina in actu coitus emitit. Ad ſecundum dicimus quod formis eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſi ſexus inconueniret quidem conſecutio potentiarum, quæ in effectus ſpecie varios exercerentur: at diuerſitas potentiarum generatiuarum maris & fæminæ in ſolo diſcrimine circa idem opus agendi, & patiendi, nedum non eſt inconueniens; quinnimo valde conferrens operi, & conſentanea intentioni naturæ ita diſponentis, vt cum duæ ſint cauſæ eidem operi, in quo & actio & paſſio requiruntur, non vtraq; cauſa cuique ex duobus officijs implicetur; ſed ſingula ſinguli tantum muneri adhibita ſe ad perfectionem effectus expeditiorem, validioremq; & aptiorem conſeruet. Sic ſubſequenti reſpondetur: ſequi vtique exinde quod potentia maſculina & fæminina ad generandum ſint diuerſæ in ratione ſexus: ſtat tamen illarum vnitas ſpecifica vnà cum varietate per ſolam differentiam agendi & patiendi: quemadmodum & potentiæ, ſeu differentiæ intellectus, ſcilicet agens & poſſibilis non reputantur varię in ratione ſpecifica quamuis circa eandem intellectionem vnius ſit officium agendi, & alterius patiendi. Similitudo parentum in prole procedit non tantum ex virtute generatiua per actionem; ſed ex pluribus alijs cauſis: maxime ex materia præcipua origine conſimilitudinis colorum, ſeu in ipſis parentibus, ſeu in progenitoribus, ex quibus talis materia originaliter prodiuit: quæ quidem materia maxime excidit à matre: vnde quamuis ſemper virtus formatiua patris nitatur prolem ad ſui ſimilitudinem delineare, quoniam diſpoſitio menſtrualis materiæ ſępe

Solutio 1. argumenti. *Solutio 2.* *Solutio 3.* *Solutio 4.* *Cur genitum aſſimiletur matri.*

reſi-

reſiſtendo præualet: propterea tunc cogitur virtus formatrix exinde diminuta, ac inflexa ad maternam ſimilitudinem imprimendam coadiuuare. Adde quod omnimode ad talem ſui ſimilitudinem inducendam agit mater virtute actiua, etſi non proxime, remote ſaltem quatenus ſcilicet præcedenti actione ipſa taliter materiam ellaborauit, vt à virtute formatrice patris facile ad ſimilitudinem eius lineamentorum effingeretur. Adde inſuper quod cum ad hoc intentio generantium ſummopere conferrat; intentioq; concipiens effigiem matris in actu generandi ſit in patre, in quo potiſſimum virtus formatrix viget; cum in eo ſit actiua, inde ſequitur vt reſpectu intentionis facilius matris quam patris effigiem genitum præferat.

Solutio 5. *Cur filij magis diligātur à matre.* Mater plus diligit filios tum ob conditionem ſexus paſſionibus pronioris: tum ob maiorem de illorum filiatione certitudine: tum ob maiores, quos pro illis labores ſubijt, vt ſolent dificulter parte eſſa chariora: tum quia ob eius imbecillitatem magis eget vt ſuccedenti tempore opem ab illis recipiat: tum etiam quia ex propria illius materia compaginati ſunt: quam quidem materiam ingentioris ſaltem molis ipſa præbuit.

Solutio 6. Differens autem eſt conditio vaſis, quod ſe tantum in locum exibens non ſubminiſtrat materiam, quam fæmina nedum præbet, ſed etiam parat, format, ac operi congruenter ellaborat, cum in productione rei ſibi in ſpecie ſimili per naturales ſuas vires, ac iuxta naturæ leges incumbit. Vermes etiam qui producuntur præter intentionem ſaltem primariam naturæ: & ſolum ex ſuppoſitione, quod ſcilicet putris ibi materia tunc reperiatur: nec producuntur ab animali per propria inſtrumenta, ſeu virtutem ei ad hoc à natura inſitam: vnde eſt quod nullam perfecti illius animalis, ex quo naſcuntur effigiem, ſeu conſimilitudinem referunt: propterea nullo modo poſſunt talium animalium filij nuncupari.

Dubitatio. Circa vero prædictas potentias vegetatiuas nonnullę emergunt dificultates in dubium reddentes illas eſſe proprias animæ vegetalis: & primo quoad nutritiuam, & augmentatiuam; etenim etiam ignis ex combuſtibili alitur, incremētumq; ſumit.

Solutio. Pro qua tollenda dificultate recolendum eſt id, quod docetur in primo de Generatione & Corr. tres nimirum conditiones ad propriam augmentationē requiri: primo quod ex additione alicuius extrinſecus aduenientis res augeatur: ſecundo quod ipſum auctum idem numero ſeruetur: tertio quod ſecundum omnes ſuas partes augeatur: ex quibus quamuis prima conditio adæquetur igni ex combuſtibile creſcenti duæ tamen poſteriores nequaquam; quoniam ignis, qui eſt quodam aggregatū ex tot ignibus, quot ſunt eius portiones, dum augetur non ſeruatur idem; ſed fit alius, eo modo quo variatur acceruus lignorum in ſuarum partium permutatione: Nec omnes illius particulæ creſcunt: ſed totum tantum, cui noua pars per ſe remanens accedit: Eaſdemq; conditiones exigit & nutritio: vnde dici non poteſt ignem nutriri: ac proinde non tollitur his facultatibus quod propriæ ſint animæ vegetatiuæ.

Dubitatio. Hec eadem dubitatio mouetur & de potentia generatiua, quæ nec conuenire videtur omnibus vegetantibus, neque ſolis: non omnibus; quoniam quamplurima ſunt animalia infæcunda, plures plantæ, quinnimo integræ etiam ſpecies infęcundæ reperiuntur vt ſpecies muli, & animalia ex putri genita, quæ ad ſuæ ſpeciei propagationem non valent: Non ſolis viuentibus; nam & ignis ſuo calore generat alium ignē & multa frigida generant ſibi ſimile frigidum.

Solutio. Cui reſpondetur quod ſi generatiua facultas non exerceatur ab aliquibus animalibus ſingularibus, id non euertit ordinē, ac intentionem naturæ, cui ſatis eſt in naturis ſpecificis adimpleri: Ad id quod additur de ſpeciebus integris; reſpondetur primo de Mulis, quod non ſunt animalia intenta à natura; quæ in illorum productione intendebat ortum equi, ſeu aſini: vnde recte Philoſophus in tertio de Anima 34. dicebat mulum non aliud eſſe quam equum, aut aſinum imperfectum: ſed abſolute ſunt monſtra, & defectus; vnde nil mirum eſt ſi nō valeant ad generationem: & quamuis habeant animam vegetalem, virtuteſq; ac inſtrumenta illam inſequentia: habent tamen impedimentum ad perfecte generandū: vnde refert Ariſtoteles in ſexto lib. de Hiſtor. Animalium cap. 24. Mulam quandam pregnaſſe, at non valuiſſe prolem ad perfectionem, & partum redigere: Quod quamuis

Digitized by Google

uis ipſemet ibidem, ac deinde in cap. 36. tradat adeſſe in Syria Mulos, & Mulas ſuam ſpeciem optime propagantes: admonet tamen illos eſſe diuerſæ ſpeciei, & tantum habere quandam faciei ſimilitudinem cum his, qui apud nos reperiuntur. Genita ex putri ob maximam illorum imperfectionem, & vilitatem parum merentur animalia reputari: nec enim illorum productio intenditur à natura, niſi ſecũdario, ſcilicet ex ſuppoſitione quod reperiatur talis materia putrida, in cuius comparatione ſunt expetibiliora: quæ quidem putris materia non fuit taliter diſpoſita ad finem huiuſmodi generationis; ſed tantum ex deprauatione, ac impotentia materiæ; vt propterea non debuerit natura eis adhibere virtutem prolificatiuam, cum illorum productionem vt nil vniuerſi perfectioni congruentem, non expeteret. Vt vero ſpectat ad ignem, & alia huiuſmodi ſibi ſimile producentia: dicendum eſt illam non propriam eſſe generationem, à qua (vt recte adnotauit D. Thomas in prima parte ſummæ quæſt. 78. artic. 2. ad ſecundum) differt, quia illa fit ab intrinſeco, & talis productio fit ab externo; ignis enim per meram actionem in aliquo à ſe diſtincto delens ſui contrariam qualitatem cauſat ſui ſimilitudinem in illo; cui nil ſui præbet vt eius productio ſequatur: At in generatione propria animal aliquid ſui tranſmitit in fætum tum de ſubſtantia materiali; mas enim dat ſemen, & fæmina menſtruum, ac etiam imperfectum ſuum ſemen; tum de ſpirituali; quoniam mas intra ſemen emitit virtutem generatiuam, ſcilicet formatricem actiue, quæ eſt poteſtatiua quædam portio animę ſuæ vegetalis: vnde in libro de Vita & Morte habetur, generationem eſſe participationem animæ nutritiuæ cum calore naturali: valde itaque differunt tales generationes, vt nullo modo ſint confundendæ.

Quod vero principali præſentis ſermonis inſtituto magis attinet, eſt differentia realis inter tres facultates animæ vegetalis; cui tutiſſima fundamenta non deſunt: & primo quoniam diſtinctæ eſſe debent illæ potentię, quarum diſtinguuntur obiecta; quando potentiæ ex ratione obiectorum diſtinguuntur: ſed trium illarum potentiarum obiecta ſunt diſtincta; alimentum enim ſub diuerſis rationibus eis tãquam obiectum refertur. Et conſimiliter diſtinctæ ſunt potentiæ, quarum diſtinctę ſunt operationes; ſed diſtinctæ ſunt talium potentiarum operationes; nutritiuæ namq; operatio eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam nutriti: auctricis operatio eſt auctum ad maiorem molem extendere: & generatiuæ eſt producere ſimile in ſpecie generantis: quare ſunt diuerſæ. Deinde ſuadetur idipſum ex differentia nutritiuæ, & augmentatiuæ a generatiua; nutritiua enim & augmentatiua alunt, & augent ſuummet indiuiduum cui inſunt: generatiua vero nequaquam ſuum auctorem generat. Inſuper quia generatiua producit totum aliquod ſimile ſecundum ſpeciem generanti, vt generatiua hominis producit hominem, & generatiua equi producit totum equum: non ita autem facit nutritiua quę producit particulam carnis oſſis, & nerui; integrum autem animal nequaquam. Præterea idem colligitur ex multiplici differentia ab augmentatiua; nutritiua enim verſatur circa alimentum quatenus eſt in potentia ad ſubſtantiam membrorum, nullo habito reſpectu ad quantitatem: accreſciua vero reſpicit idem obiectũ quatenus eſt in potentia ad quantitatem, & maiorem extenſionem membrorum: Quiaue nutritiua ſubiectum ſuum alit ſecundum omnes dimenſiones, ac præſertim per latitudinem: augmentatiua vero ipſum magis ſecundum longitudinem auget: Ac quia augmentatiua, quæ in partes duriores, qualia ſunt oſſa, ad augendas exercetur maiori eget calore, quam nutritiua, quæ cibum tantum conuertit in ſubſtantiam nutriti: Quinetiam quia nutritiua nunquam à ſuo munere deſiſtit; augmentatiua vero non ſemper auget: Et adhuc quia facultates iſtæ videntur inuicem ſeparabiles; nã augmentatiua, & generatiua animal alia in virilitate, & alia in decrepitate relinquũt, & ſeparantur à nutritiua, quæ nunquam viuens animal deſerit.

Potentiæ animæ vegetatiuæ, realiter inter ſe differũt

Ratio 1.

2.

3.

4.

5.

Comprobatur idipſum ex diſcrimine generatiuæ ab alijs, quod maxime conſiſtit in duobus, primo ſcilicet quia generatiua conficit ſemen, quod non faciunt aliæ facultates: ſecundo in varietate ſubiecti, quod duabus ex eis eſt vniuerſum corpus: generatiuæ autem eſt pars tantum determinata: Vnde ex 6.

præ-

prædictis valide ipſarum diſtinctio ſuadetur.

Poſt conſiderationem vegetalium ſuccedunt, potentiæ animæ ſenſitiuæ; de quibus vt aliqua habeatur explicatio, prænotandum eſt, perfecto cuique animali triplicem actionem ad ipſum ſenſum attinentem competere: primo ſcilicet res cognoſcere: mox res cognitas appetere: ac ſubinde ad res appetitas moueri: pro quibus recte obeundis ipſum natura plurium potentiarum præſidio muniuit; pro prima enim duplicem ei adhibuit ordinem potentiarum ſiue ſenſuum, externorum ſcilicet, qui ſunt quinq; notiſſimi: qui ab ipſiſmet obiectis immediate attinguntur, & patiuntur: ac internorum, ex quibus primus eſt ſenſus communis ſe habens veluti centrum quinque externorum, quorum lineæ omnium ſenſationum terminant, & coaceruantur in ipſo, qui in eo cum externis conuenit; quod non ſentit niſi præſens obiectum: Secundo eſt Phantaſia, quam alij imaginatiuam appellant, quæ ab initio ſuę ſenſationis neceſſe habet obiectum ab externis ſenſibus mutari: deinde autem valet ipſum etiam abſens intueri poſtquam ipſius ſemel inſpecti imaginem repoſuit in Memoria; cuius eſt, veluti theſaurus Phantaſiæ, ſpecies ei conſeruare: vnde eſt tertius ſenſus internus: quamuis reperiantur qui cum illa non ſit virtus cognoſcens, ſed tantum conſeruatiua; nomen ei ſenſus abnegant. Quapropter tres apparent eſſe ſenſus interni, & ſunt illi, de quibus tantum mentionem facit Ariſtoteles in ſecũdo de Anima: quamuis huic numero non aſſentiat Diuus Thomas, qui in prima parte ſuæ ſummæ quæſt. 78. artic. 4 vnà cum Auerroe addit quartam cuius ſit diſcurrere, quam vult eſſe in brutis exiſtimatiuam, at in homine cogitatiuam, quæ perfectior ſit: & Auicennas in ſuo lib. de Anima, ac etiam in ſexto Naturalium cap. 3. & Magnus Albertus eas redigit ad quinque addendo Reminiſcentiam; mouetur enim D. Thomas ex eo quod ouis in viſione Lupi expaueſcit, & fugiendi ſtimulum recipit: vnde quia tunc non tantum percipit colores, & figuram, que externi ſenſus obijciunt, ſed & nociuam illius animalis conditionem, colligit requiri in ipſo oue aliquis ſenſus internus perfectior, qui aptus ſit diſcurrendo rationes etiam ei ab externis ſenſibus non repræſentatas decernere; quæ in brutis ſit Exiſtimatiua; at in homine, cui validior inſit, dicenda ſit (vt ab Auerroe) Cogitatiua: ſed talis reſpectus ad inſtituendum quartum ſenſum haud cogere videtur; Ouis enim percipit inimicitiam Lupi: araneum vtilitatem tellæ: hirundo congruentiam paleæ pro conſtruendo nido, ac formica beneficium ex coroſa cuſpide frumenti, quod in abdito condit, non quidem per diſcurſſum ex propria facultate, ſed per naturalem inſtinctum illius naturæ, ac formæ impreſſum, à quo trahitur: quæ quidem naturalis propenſio vlteriori potentiæ ſenſus inſidet, nimirum appetitiuæ, de qua proxime dicendum erit.

Senſus communis. *Phantaſia.* *Memoria.* *Senſus interni 3.* *D. Thomæ opinio.* *Reprobatio.*

Auicennas vero ad quintum illum ſenſum (quem reminiſcentiam vocat) inſtituendum mouetur ex eo quod homo, cui tantum hanc potentiam adſcribit, præteritorum tanquam præſentium reminiſcitur; vnde requiri videtur ſenſus aliquis internus tali actioni inſeruiens; de quo certum eſt non eſſe ſenſum communem, phantaſiam, nec cogitatiuam; at nec idem eſſe memoriam, ſuaderi videtur ex varietate operationum, quia memoriæ eſt ſeruare ſpecies rerum ſub ratione præteriti; reminiſcentiæ vero eſt aliquid, quod à memoria exciderit, inquirere ſecundum illius rationem abſolutam: Quinetiam ex diuerſitate obiecti; memoria enim ineſt brutis, & reminiſcentia ex Ariſtotele in libro de Memoria & reminiſcentia cap. 4. non niſi in homine reperitur: Et adhuc quia ſi eſſent idem, tunc qui in vna ex illis potentijs valet, eidem vigeret & alia: reperiuntur nihilominus, vt docet Philoſophus in proemio eiuſdem operis, homines tardi, qui aptiſſimi ſunt memoriæ, ſed habeſcunt in reminiſcentia; ac e contra ſubtiles, & dociles vigent in reminiſcentia, ſed in memoria langueſcunt. Quod etiam Auicennæ motiuum innane videtur, falſumq; quod reminiſcentia ſit facultas à memoria diſtincta; eadem enim videtur eſſe virtus conſeruans aliquid, & quæ de eodem à ſe elapſo inquirit: Fortiuſq; quia eidem facultati ſpectat diſcurſſus, ſeu principium diſcurſſus ad aliquam concluſionem, & ipſa cõcluſio: vnde cum reminiſci ſit diſcurſſus quidam ad memoriam terminans; proinde non requiritur pro ipſo facultas eiuſdem

Auicennę fundamentum. *Reprobatio.*

dem

dem generis ſenſitiui à memoria diuerſa: ſed quod addiungitur memorię, eamq; roborat ad opus reminiſcēdi eſt intellectus, qui quinnimo ſolus eſt, qui deſumpto obiecto ex memoria ſpecies ei ſuggerente, edit actum reminiſcendi per facultatem ratiocinantem, quæ menti tantum ineſt: Vnde nil officiunt illæ probationes; ſi enim reminiſci eſt officium intellectus; non eſt mirum ſi procedat à virtute diſtincta à memoria: Nec mirum pariter eſt ſi reminiſci eſt effectus animæ rationalis; quod habeat cauſam alibi repoſitam, quam in brutis; quibus talis anima non ineſt. Varia autem aptitudo ad memoriam, & ad reminiſcentiam, procedit ex varietate temperamenti, diſimiliq; organorum diſpoſitione: ſed ex eo etiam quod vnus intellectus ſit magis quam alius per exercitationem aſſuetus: ac omnimode diſtinctio Mentis à memoria non adauget numerum facultatum ſenſitiuarum.

Potentia Appetitiua. Proſequendo vero inſtitutum cum ex tribus præallatis operationibus animæ ſenſitiuæ, quibus natura proprias adhibuit facultates, præter primam, ſcilicet cognoſcere, cui externi, ac interni ſenſus correſpondent; altera eſt rem iam cognitam appetere: vt enim docet Philoſophus in tertio de Anima tex. 28. ac proxime ſequētibus, animal circa obiecta ſenſibilia eo ordine procedit, vt primo opere ſenſus externi rem per ſimplicem obiecti rationem apprehendat: ſecundo ex illo obiecto iucunditatem, vel moleſtiam percipiat, quod facit per ſenſus internos, qui in homine lumine intellectus dirigūtur: in brutis vero ex inſito eis inſtincto naturali ducuntur: ac tertio rem illam ſeu iucundam appetit, ſeu moleſtam effugit: & hoc per vlteriorem potentiam, quæ dicitur appetitiua, cui duplex actio, proſequendi ſcilicet, & aufugiendi, competit. Nec rationabiliter dicere videntur quidam, talem appetitiuam potentiam, idem eſſe cum prædicta facultate ſentiendi: Diuerſi enim modi operandi circa idem obiectum indicant diuerſas facultates animæ, quæ quidē diuerſo modo procedit in obiecto iudicando, ac in eodem appetendo, iudicat enim, ac ſentit trahendo obiectum ad ſe: at ſecus in appetendo ipſa anima trahitur ab obiecto quod amplectitur, ac inſequitur.

Potentia Motiua. Tertia operatio animæ eſt ad rem appetitam moueri, ob quam inſtituit natura facultatem motricem, per quam noxia fugiendo, & ſalutaria proſequendo ſui conſeruationem animal parat; quę quidem facultas conſtituit gradum perfecte viuentium; quoniam non niſi perfectis animalibus conuenit.

Digreſſio de potentijs animæ rationalis. De potentijs autem animæ intellectiuæ circa numerum probandum putamus commune iudicium tres ipſas reputans, Intellectum ſcilicet, Voluntatem, atque Memoriam: Intellectus eſt facultas, quę primo verſatur circa obiectum ex ſenſibus allatum; habetq; ſimplicem intuitum contemplationem, ac diſcurſum circa ſpecies, ac res intelligibiles ex eis repræſentatas.

Opinio quædā de Intellectu. Fundamentum. Reperiuntur qui ex eo quod Ariſtoteles in tertio de Anima diſtinctionem facit intellectus ſpeculatiui, & practici, ponunt has duas potentias realiter diſtinctas: inter quos eſt Zabarella in libro de Facultatibus animæ cap. vltimo adducens pro fundamento quod Ariſtoteles tria conſiderauerit de intellectu practico, ſcilicet obiecti apprehenſionem: affirmationem aut negationem boni, vel mali: ac proſecutionem vel fugam: ex quibus cum tertia operatio non conueniat ſpeculatiuo, ſed tantum practico intellectui, ideo illa ſit ratio realiter diſtinctiua talis potentiæ à potentia ſpeculatiua. *Reprobatio.* Sed inefficax videtur ad hoc talis ratio; Tertia enim illa operatio non arguit diſtinctionem in ipſa potentia intellectus; ſed ſuadet aliam potentiam, ſcilicet voluntatem: de qua proxime erit dicendum. Et validius argumentari videtur econtra Diuus Thomas in prima parte ſummæ quæſt. 79. artic. 11. inquiens, non inducere varietatem in potentijs id, quod accidit obiecto ſub ratione obiecti: vnde cum id, in quo cōſiſtit ratio obiecti intellectus practici, ſcilicet quod dirigatur ad opus, vel non dirigatur, eſt quid accidens obiecto mere contemplabili ad intellectum ſpeculatiuum ſpectant: inde nulla infertur in eis diſtinctio; cum non differant in eſſentiali ratione obiecti; ſed tantum in fine; vt habetur in tertio de Anima contex. 49. Nec vim aufert rationi occurſus Zabarellæ inquiens pro ſolutione quod quamuis accidat obiecto ſpeculabili

Digitized by Google

culabili quod dirigatur, vel non dirigatur ad opus, accidatque ei quod habeat rationem bonitatis, quoniam omnimode appræhenditur vt quodam ens, tertia tamen operatio, quæ eſt elictio, denotat immutatam rationem obiecti, non accidentaliter tantum, ſed eſſentialiter; nam aliud à ſimplici ratione intelligibili eſt bonitas, quæ finis eſt omnium humanarum actionum. Non valet inquam, nec aliud concludit, quam neceſſitatem alterius potentiæ diſtinctæ ab intellectiua, quæ eſt voluntas.

Voluntas. Eſt autem Voluntas Mentis altera facultas, cuius eſt rem à potentia intellectiua cognitam appetere, ac proſequi (ſi ſit bona) reſpuere vero, ac vitare, ſi mala: ſe habetque veluti appetitiua in anima ſenſitiua; vnde dicitur eſſe appetitus rationis. Diſtinctioniſq; eius ab intellectiua conſpicua eſt ratio conſiſtens in diſtincto modo operandi ipſarum; intellectiua namq; paſſiuum habet officium, fertur enim ad ipſum obiectum: at voluntas actiue ſe gerens ipſa potius ad obiectum fertur: ac inſuper in diſtincta ratione obiecti, quod intellectus eſt Ens, voluntatis autem eſt bonum.

Memoria. Tertia facultas eſt Memoria, quæ veluti promptuarium Mentis ſeruat ei ſpecies iam intellectas. Irrationabilis circa ipſam videtur opinio negantium quod ſit potentia animæ intellectiuæ: ſi enim fundantur in negatione quod detur memoria intellectiua; potentiſſimæ eis rationes obſtant, quas in noſtro ſermone de Speciebus intelligibilibus ad ipſam memoriam comprobandam attulimus: Et ſi id negant quia putant non eſſe potentiam intellectiuam illam, quæ ſecundum ſe non intelligit; vt eſt de Memoria: Hoc etiam non tutum videtur; nam etiam ſi non intelligat; cum tamen habeat operationem ſpectantem, inſeruientemq; animæ intellectiuæ, quæ quidem operatio ſit ab operationibus aliarum potentiarum diſtincta; negare non licet, quod ſit potentia intellectus.

Argumenta quinti cap. Soluuntur. *Cap. VII.*

Solutio 1. argumenti. STatuta reali diſtinctione potentiarum animæ, earumq; conditionibus explicatis, diluendæ obueniunt rationes huiuſmodi diſtinctioné euertentes: quarum ad primam negatur æqualem diſtinctionem requiri in obiectis, ac in potentijs eis correſpondentibus, quando ſola diſtinctio obiectorum formalis ſufficiat ad realem diſtinctionem tum habituum, tum potentiarum animæ; quorum vtriuſq; generis plures in diſtinctione reali eidem obiecto ſub diuerſas tamen rationes incumbunt: & hoc eo rationabilius, quia obiecta referuntur ad ſuas facultates in ratione cauſæ finalis: minorq; differentia requiritur in cauſa, quam in effectis.

Solutio 2. Quod pertinet ad ſecundum argumentum eget animaduerſione, quod in agentibus ſpiritualibus eminentioribus, que per propriam eſſentiam agunt, quibuſue infinitas virtutis conuenit eorum nobilior conditio minus: quinnimo nihil pro agendo de adminiculo potentiarum requirit: In ſublunaribus vero non agentibus per eſſentiam, ſecus res ſe habet; nam quia res quo elleuatioris naturæ eo pluribus actionibus aptæ ſunt (vt enim formæ mere naturales, & infimæ elementorum valent tantum ſua corpora ſurſum, vel deorſum ducere, ſeu aliqua ex quatuor qualitatibus alterantibus agere; anima autem vegetalis tribus nobilioribus operationibus, alendi ſcilicet augendi, ac ſimile generandi eſt apta: ſenſitiua percipere valet omnia quinq; generum ſenſibilia, illorumq; cognitione perfrui, & vti: rationalis vero potens eſt nedum in cognitione ſenſibilium, ſed & immaterialium, quæ à ſenſibus non attinguntur) propterea præſtantiores naturæ ad multipliciora ſua munera obeunda amplius potentiarũ fulcimentum expoſcunt.

Solutio 3. Ad tertium reſpondetur quod in paritate cæterorum reſpectuum vtiq; natura, & poteſtas ſublimior abſque multiplicitate virtutum ex ſe ſola ad plures effectus extenditur; vt eueniret etiam de anima vegetatiua in comparatione formarum inferiorũ niſi ille reſpectus obſiſteret quod formæ illæ ob rudiorem, ac exinde faciliorem modum ſuæ productionis, ſimulatq; in eſſe prodeunt, habent corpus perfecta ſua mole

potiens,

Digitized by Google

potiens: vt propterea valeant eodem tempore ei eſſe principia eſſendi, ac perfectæ quantitatis: at corpus vegetabile, quod nobiliori modo, ac inde difficiliùs producitur ob exiguitatem materiæ ſeminalis, & menſtrualis, ſeu ex anguſtia loci, matricis nimirum fœminæ, in qua conſtruuntur, non valent ab exordio ſui ortus integram molem aſſequi, & propterea forma illa præter facultatem generatiuam debet habere & augmentatiuam, qua talem quantitatem perficere valeat: quod quia fieri nequet abſque nutritione, quæ materiam accreſſionis ſuggerat, propterea nutritiuam etiam facultatem exquirit.

Subſequenti dicimus fluere omnes potentias eiuſdem generis à propria illarũ anima, ſeu vnà cum corpore, vt potentiæ vegetales, ac ſenſitiuæ, ſeu ſimplici, vt potentię mentis; quæ cum nec mixta ſit corpori, nec habeat cum organo connexionem, propterea per ſe tantum ſuas facultates producit; & plures quidem abſque inconuenienti, dummodo limites ſui generis non egrediatur: Et ſi id quæratur de potentijs ſubordinatis, puta de attractiua, retẽtiua, digeſtiua, & reliquis ad nutritiuã potentiã pertinentibus: dicimus quod dependent quidem ab earum potentia nutritiua, vt à fine in cuius gratiam inſtitutæ ſunt à natura, quæ vt habet ſuos fines principales, vt in vegetatiua alere; ſic habet alios fines ad illum principalem ordinatos: quoniamue anima ad ſuos fines, ſcilicet ad obiecta ordinatur per potentias; propterea iuxta requiſitum nutritionis, ſcilicet conuertibilis alimenti in ſubſtantiam nutriti, alias potentias tali operi inſeruientes producit. Et cum obijcitur non poſſe vnum accidens, qualis eſt potentia, eſſe ſubiectum alterius accidentis: Iam patet ſolutio, quia ſcilicet potentia nutritiua non eſt ſubiectum, ſed finis, ſeu ratio per quam illæ potentiæ ei inſeruientes fuerunt inſtitutæ: quarum principale ſubiectum eſt ipſa anima, ad quam in hac ratione ſubiectiua ſe habet potentia principalis, ſcilicet nutritiua eo modo, quo ſuperficies ad corpus, quod ea mediante ſubijcitur coloribus, ipſum tamen eſt principale ſubiectum colorum. *Solutio 4.*

Ad aliud reſpondemus quod ſecũdum latiſſimam ſignificationem illius vocis appetitus, ſcilicet pro quacunque ſimplici propenſione poteſt dici quod obiectum intelligibile quatenus eſt perfectio intellectus ab illo appetatur, & ſic de ſenſibili à ſenſu eo modo, quo etiam materia dicitur appetere formam: ſecundum quem ſenſum dicitur etiam de intellectu quod ſui ipſius aliquam habeat ſenſationem: at proprius, & perfectus modus appetendi, qui non procedit ex ſimplici inſtinctu, ac propenſione naturali, ſed qui iunctam habet aliquam cognitionem, & ellectionem, non niſi animali ſenſitiuo per potentiam appetitiuam, ac intellectui per voluntatem competit. *Solutio 5.*

Quo ad ſextum iam dictum fuit de voluntate quod ita ſe habet in intellectu, vt appetitus in ſenſu: facultates vero concupiſcibilis, & irraſcibilis, ſunt conditiones, ac vires ipſius potentiæ appetitiuæ; vt ideo ex illarum poſitione appetitiua facultas non excludatur. *Solutio 6.*

Ariſtoteles in littera illa 42. contextus tertij de Anima dixit idem eſſe potentiam nutritiuam cum generatiua, intelligendo de identitate generis, in quo vnico rationis vegetatiuæ conueniunt: Nec obijciatur quod idem etiam dici poſſet de ſenſibus, vt de viſu, & auditu: ac pariter de varijs potentijs intellectiuis: nec tamen de illis, ſed tantum de iſtis Ariſtoteles id aſſeruit: Reſpondebitur enim maiorem eſſe vnitatem inter facultates vegetatiuas ob illarum ſubordinationem; quia ſcilicet nutritiua confert, ac inſeruit generatiuæ: vnde magis ſibi cohærrent, quam potentiæ alterius generis. *Solutio 7.*

Obiectum pariter (prout ſpectat ad octauum argumentum) eſt vtique tam nutritiuæ, & augmentatiuæ, quam generatiuæ idem alimentum ſumptum ſecundum ſui rationem materialem, & quoad illius ſubſtantiam: at correſpondet eis ſecundum varias rationes formales; etenim vt eſt in potentia ad ſubſtantiam nutriti, eſt obiectum potentiæ nutritiuæ; vt in potentia ad molem perfectiorem eſt obiectum augmentatiuæ; quatenus vero in potentia ad virtutem formatiuam quam intra vaſa genitalia ipſum nutrimentum aſſequitur, eſt obie- *Solutio 8.*

F ctum

Digitized by Google

ctum generatiuæ: Nec pariter vt ſuperius inſtare licet quoniam etiam viſus, odoratus, guſtus, & tactus, qui idem pomum percipiunt dici poſſent idem eſſe reſpectu obiecti materialiter ſumpti. Conſimiliter enim eſt econtra reſpectus ſubordinationis potentiarum vegetalium circa idem alimentum operantium: vnde attenditur illarum maior vnitas; quæ quidem ſubordinatio non eſt in illis ſenſibus.

Solutio 9. Subſequenti dicimus actus, ſeu operationes nutritiuæ, & generatiuæ potentiæ ſummopere diſtingui; nutritiua namq; producit effectum ſibi coniunctum: at generatiua illum extra ſe conficit: Inſuper quia nutritiua non producit formam, ſed ipſi præexiſtenti partem materialem apponit, quæ ab illa informetur, generatio vero nouam formam, ſcilicet animam producit, quæ prius actu non exiſtebat; vnde dici poteſt quod cum generatiua generet, nutritiua ſolum aggenerat: ac pariter eſt differentia quia nutritiua partem tantum conficit; generatiua autem totum viuens in eſſe conſtituit.

Solutio 10. Ad decimum negatur quod differentia obiecti nutritiuæ, & augmentatiuæ facultatis conſiſtat in magis & minus; ſcilicet in maiorem vel minorem illius quantitatem; differunt namque ſecundum rationem talis eſſe, & non talis eſſe, nimirum ſecundum quantum, & non quantum; nutritiua namque quacumque quantitatis intentione poſt habita reſpicit tantum ſubſtantiam ſecundum ſimplicem illius rationem conuertibilitatis in naturam rei nutritæ; ſed augmentatiua reſpicit ſubſtantiam quatenus aptam ingentiores terminos molis aſſequi.

Solutio 11. Subſequenti dicimus nutritiuam potentiam nequaquam producere quantitatem per ſe primo, ſed tantum ſecundario, & conſecutiue; quoniam de eius inſtituto non eſt inducere quantitatem, ſed tantum conuertere in nutrito ſubſtantiam, cui accidit vt ſit quanta: Quod etiamſi primaria intentione produceret ſubſtantiam quantam, non inde tamen cauſaret augmentationem; ad quam ſiquidem non ſufficit conuerſio alimenti, & conſtitutio ſubſtantiæ quantæ; ſed requiritur extenſio omnium membrorum ſecundum quaſcunque ſuas partes; quod non niſi per augmentatiuam potentiam euenit.

Solutio 12. Ad alterum non eſt incongrua reſponſio Magni Alberti in libro de Homine dicentis quod nutritio non pertinet ad ſpeciem aliquam motus, quoniam ipſa eſt motus quidam in partibus materiæ, & non in partibus ſecundum ſpeciem: quia dum fit nutritio carnis, tunc nec ipſa caro, nec viuens, quod nutritur, mutat ſpeciem; ſed ambo recipiunt tantummodo nouas partes materiales: Contra quod non rationabilis eſt inſtantia, quod cum in nutritione fiat mutatio alimenti de vna ſpecie in alteram; vt cum de pane fit ſanguis; tunc non videtur mutari tantum ſecundum materiam, ſed etiam ſecundum ſpeciem. Tollitur enim hec dificultas conſiderando quod mobile in nutritione non eſt alimentum, non enim ipſum in nutritione tranſmutatur, ſed tantum ſubijcitur alterationi, quæ nutritioni deſeruit: ſubiectum vero mobile in nutritione eſt ipſum corpus viuens, quod nutritur: Vnde dicendum eſt ad obiectionem, quod reſpectu cibi, qui tranſmutatur fit quidem motus ſecundum ſpeciem; at reſpectu proprij mobilis in motu nutritionis non fit tranſmutatio ſecundum ſpeciem, ſed tantum ſecundum partes materiales: quoniam ſemper conſeruatur in eodem ſuo eſſe per formam eandem in ipſo permanentem, quam partibus materiæ ei de nouo accedentibus communicat. Aliter ad principale argumentum dicendum eſt quod nutritio continetur quidem ſub ratione generationis communiter ſumptæ, quæ ſe extendit ad generationem tam non viuentium, quam viuentium; eo ſcilicet modo, quo ſumitur generatio in primo de Generatione & Inter. vt merus ſcilicet tranſitus de non eſſe ad eſſe; non enim animal tantum, & planta; ſed & aurum, lapis, ignis, ac ſimilia dicuntur generari: at loquendo de generatione animaſtica, quæ ex principio animæ vegetalis medio facultatum formatricis, ac ſeminatiuæ conficitur, nullo modo nutritio poteſt dici generatio.

Solutio 13. Operationes autem illæ animationē cauſandi à facultate generatiua, & à nutritiua pro-

procedentes valde ſunt differentes ; generatiua enim proxime ac proprie id cauſat ; producit enim, & redigit de non eſſe ad eſſe totum corpus organizatum, cui anima, quæ prius non exiſtebat in lucem conſtituitur, ac connectitur: vnde eſt cauſa aduentus animæ, ex qua proprie animatio dependet: Nutritiua vero non generat integrũ corpus, ſed tantum partes aggenerat dum materiam apponit præexiſtenti ibi animæ, quæ tali materiæ communicatur: Differunt inſuper in varietate materiæ, quæ nutritiuæ eſt cibus, generatiuæ vero ſemen. Et adhuc diſtinctio talium operationũ exinde colligitur quod ſunt abinuicem ſeparabiles, vt poſſit vna illarum eſſe ſine altera.

Ad poſtremum dicimus quod rectius, conuenientius, atque præſtantius fit per *Solutio 14.* pauciora media, ac magis per vnicum: opus aliquod æque bene vt per plura effici poſſit: at tertia illa operatio vegetalis, ſcilicet conuertere cibum in ſubſtantiam viuentis: redigere illius molem ad maiorem, ac perfectam quantitatem, & ſimile generare cum ellaboratiorem modum in animali requirat, non valet vt in inanimatis, æque bene fieri per vnam facultatem, vt per plures: vt propterea de reali multiplicitate potentiarum in anima non ſit dubitandum.

Quæritur an potentiæ animæ diſtinguantur per actus, & actus per obiecta, & negatiuę partis argumenta adducuntur.

Cap. V I I I.

STatuta iam, explicata, & ab obiectionibus redempta diſtinctione potentiarum animæ; non debet hec contemplatio prætermittere talis diſtinctionis rationem: circa quam commune iudicium obſeruans litteram ſecundi de Anima in tex. 22. ac potiſſimum in 33. vbi habetur: actus, & operationes ſecundum rationem, ſeu definitionem eſſe priores potentijs: ac conſimiliter priora his actibus eſſe obiecta: optime decernit tritam illam doctrinam quod ex obiectis actus, ac per ipſos actus potentiæ diſtinguantur; quæ cum duplicem habeat dificultatem; alteram circa ſenſum propoſitionis; & alteram quoad abſolutam ipſius veritatem; ab hac poſteriori exordiendo adducentur *Argument. 1* obiectiones: quarum prima eſt quod Si potentiæ diſtinguerentur per actus ſequeretur ipſos actus eſſe principia eſſendi per ſe potentiarum; nam quod eſt principium dans eſſe diſtinctum eſt etiam principium dans eſſe per ſe: ac ſi hoc eſſet, ablatis ipſis actibus ruerent potentiæ, cum ex ſecundo Phyſicorum 37. cauſis per ſe remotis remoueantur cauſata: quod tamen non euenit, frequenter namque actibus, puta videndi, vel audiendi, non exiſtentibus, (vt contingit in dormiente) non ceſſant eſſe potentiæ: Quæ propterea non videntur diſtingui per actus.

Et conſimiliter arguitur quoniam ſi id eſſet, vt actus eſſent principia di- *Argument. 2* ſtinctiua potentiarum, ſequeretur, vt in eodem dormiente, a quo abſunt actus, viſiua, auditiua, ac olfactiua facultas non eſſent diſtinctæ: quod tamen eſt falſum.

Deinde ſi diſtinctio potentiarum ex actibus procederet, ſequeretur eiuſdem po- *Argument. 3* tentiæ in ſpecie non eſſe actus ſpecie diſtinctos: ſecus tamen eadem potentia viſiua vna ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam habet actus ſpecie diſtinctos, vt inſpectionem albedinis, & nigredinis: Quare &c.

Et conſimiliter arguitur quoniam ſi potentiæ diſtinguerentur per actus; maxime *Argument. 4* id fieret per actus oppoſitos, quod tamen non eſt, cum eadem potentia viſiua inſpiciat album, & nigrum, ac eadem voluntas aſſentiat, & diſentiat.

Quinetiam quoniam ſi ex varietate obiectorum penderet diſtinctio potentiarum, *Argument. 5* pariter ex vnitate obiecti deberet vnitas potentiæ dependere: quod tamen non eſt; etenim circa idem obiectum intellectus & voluntas, quæ ſunt diuerſæ facultates, illa cognoſcendo, hec appetendo, verſantur.

Nec videtur aſſignabilis ratio cur aliqua genera rerum, vt colorum, odorum, *Argument. 6*

ſaporum, & huiuſmodi alia proprias habeant potentias; & alia rerum genera, vt figura, quantitas, tempus, & motus eas non habeant: ac pariter cum generi entis correſpondeat propria potentia, ſcilicet intellectus, & generi corporeorum imaginatiua; vt quid intermedijs generibus, ſcilicet ſubſtantię, animali, & alijs huiuſmodi propriæ potentiæ non reſpondent?

Argument. 7 Additur magis inuicem diſcrepare rationem hominis & lapidis, quam rationem coloris, & ſoni: illos nihilominus non inducere diſtinctionem potentiarum; Quare nec talia obiecta ad hoc inducendum valere.

Argument. 8 Præterea duæ potentiæ, vt puta viſus, & olfactus ita ſe inuicem habent vt calor, & frigus: Hec autem non per ordinem ad aliud, ſed per ſe, & abſolute diſtinguuntur: quare hoc idem debet eſſe de potentijs.

Argument. 9 Inſuper nequet poſterius eſſe cauſa definitiua, vel diſtinctiua ſui prioris: actus vero, ac operationes ſunt poſteriores potentijs animæ; cum ſint illarum effectus, quorum eſt ſuas cauſas præſupponere: Quare non valent diſtinguere, vel definire potentias. Ac conſimiliter non valet definire vel diſtinguere aliquid id, quod non ſit de eius eſſentia: actus autem, & obiecta non ſunt de eſſentia potentiarum; cum ſint illis extrinſeca: Quare.

Argumēt. 10 Amplius vnumquodque eſt in aliud per modum recipientis: facultates autem animæ ſunt in organis corporeis, quorum ſunt actus; ideo non ex obiectis; ſed ex ratione organorum diſtingui debent.

Argumēt. 11 Arguitur vlterius ob potentias, ſeu differentias intellectus agentis, & poſſibilis, quæ quamuis ſint diſtinctæ, idem tamen habent obiectum: vt ideo non videantur ex obiecto diſtingui.

Argumēt. 12 Et denique ſi potentiæ diſtinguuntur ex varietate obiectorum; quoniam intellectus percipit omnia obiecta ſenſuum; ideo quemadmodum ex quinque generibus obiectorum ſenſibilium inſtitutæ ſunt quinque potentiæ ſenſus: pariter ex ijſdem ab intellectu cognoſcibilibus quinque etiam potentiæ intellectiuæ procedere deberent.

Senſus prædictæ propoſitionis explicatur. Cap. IX.

CIRCA veritatem præhabitæ aſſertionis in determinando an obiecta & actus ideo diſtinguant potentias, quia ſint de intrinſeca ratione, & eſſentia illarum; adeo ſcilicet vt potentia ſecundum eius eſſentiam habeat habitudinem ad obiectum: adeſt inter Latinos interpretes controuerſia; ex D. Thoma enim in prima parte ſummæ quæſt. 77. artic. 3. & aliunde colligunt, ſuſtinentq; quam plures eum inſequentes quod actus, & obiecta ſunt quodammodo formæ potentiarum; quoniam potentia in ſua ratione completa per habitudinem ad obiecta conſtituitur; adeo vt ſint de ipſius ratione eſſentiali tanquam eius eſſentiam terminantia, ac in eſſe completo conſtituentia. Secus vero Scotus in ſecundo ſent. diſt. 16. quæſt. vnica; ac cum eo Herueus Quodlib. 1. quæſt. 12. Iandunus in ſecundo de Anima quæſt. 8. & alij tuentur potentias diſtingui abſolute, ex ſeipſis; ex actibus vero, ac obiectis non niſi extrinſece, & quo ad noſtrum modum cognoſcendi, ac in genere tantum cauſæ finalis.

Opinio Thomiſtarum.

Opinio Scoti.

Diſtinct. 1. Ad quam altercationem diſcutiendam, ac inuolutionem explicandam prænotandæ ſunt diſtinctiones quædam & primo quod hec ratio diſtinctionis proueniens potentijs ex eorum actibus & obiectis, poteſt dupliciter intelligi: vel ſcilicet quoad rem, nempe quoad eſſentialem rationem ipſarum potentiarum: vel quo ad noſtrum modum cognoſcendi; ſcilicet per illa, quæ ſunt nobis notiora. Secundo diſtinctio ab ipſis obiectis; & actibus in potentias proueniens intelligitur vel quoad genus cauſæ efficientis: vel in genere cauſæ finalis: Quod parum differt à diuiſione principij in id, quod diſtinguit à priori, ac id quod idem cauſat à poſte-

Diſtinct. 2.

poſteriori. Tertio potentiarum in reſpectu ſuorum obiectorum aliæ ſunt paſſiuæ; adeo vt obiecta ſint principia actiua operationum illarum; quales ſunt potentiæ ſenſitiuæ, in quas obiecta ſui imagines imprimunt: aliæ ſunt actiuæ, quę ſcilicet agunt in obiecto, vt potentiæ vegetales, quę in alimentum operantur. Quarto earumdem potentiarum aliæ ſunt ſubordinatæ; quarum ſcilicet vna inſeruit alteri, quæ in ſuis operationibus illam præſupponit, ſicut ſubordinatus eſt viſus phantaſiæ, illa intellectui; & hic voluntati: & aliæ ſunt diſparatæ ex quibus ſcilicet actio vnius non conducit, nec ſubordinata eſt alteri, vt ſe habet de facultatibus viſiua, & tactiua. Quinto eędem ahuc potentiæ poſſunt in duplici conſideratione deſumi, vel ſcilicet fundamentaliter, nempe vt ſunt quædam entitas, ſeu virtus abſoluta, ex cuius natura, vt ex fundamento dependet talis relatio, vt ſit huiuſmodi operationum principium: vel formaliter, quatenus ſcilicet præciſe dicunt rationem operandi, ſeu vt deſumptæ cum reduplicatione (vt potentię) ſeu principia operandi: Sic etiam diſtingui ſolet habitudo potentiæ ad obiectum quod altera ſit accidentalis, ſcilicet ipſa relatio ſignificans ordinem, ſeu actualem, ſeu potentialem ipſius facultatis ad obiectum: & alia eſſentialis, quæ eſt fundamentum intra ipſam potentiam, ex quo habitudo illa accidentalis, quę eſt pura relatio, ac ordo, procedit. Sexto adeſt etiam diſtinctio triplicis obiecti, ſcilicet adæquati, ideſt per ſe primo; & eſt illud, quod primo terminat actum potentiæ, quæ omnia recipit ſub illius ratione, nec aliter quam ſecundum talem rationem in aliquod ordinari valet; vt ſe habet ſonus ad auditum, & odor ad olfactum: ſecundo eſt obiectum per ſe, ſed inadæquatum, & non primo: & eſt id quod terminat quidem potentiam, non autem abſolute, & ſemper, ſed quia continetur ſub adequato; vt dulce terminat guſtum quatenus comprehenditur ſub communi ratione ſaporis: ac tertio eſt obiectum per accidens; cui ſcilicet accidit vt ſit coniunctum obiecto per ſe, vt aſperum percipitur ex facultate viſiua, eo quod contingit ipſum iunctum eſſe rei viſibili colore preditæ.

Diſtinctio 3. *Diſtinctio 4.* *Diſtinctio 5.* *Diſtinctio 6.*

Quibus præaſſumptis pro determinatione veritatis dicendum eſt quod omnes potentiæ, ſeu actiuæ, ſeu paſſiuæ, ſeu ſubordinatæ, ſeu diſparatæ, ſeu formaliter, ſeu fundamentaliter ſumptæ diſtinguuntur ex actibus, ac ex obiectis adæquatis tum quo ad reſpectum eorum, quæ ſunt notiora ſecundum noſtram cognitionem; tum in ratione cauſæ finalis, tum etiam à poſteriori, quoniam quamuis actus, & operationes quoad eſſe ſint poſteriores potentijs, priores tamen ſunt ſecundum intentionem naturæ, tum etiam ſecundum habitudinem ad ipſos actus, & obiecta accidentalem. ſic etenim dicunt rationem principij, quod ex octauo tex. primi Phyſicorum non poteſt eſſe, vel intelligi ſine principiato: Cuius comprobatio habetur in quinto Metaphyſicorum cap. 12. vbi potentia tam actiua, quam paſſiua non aliter definitur quam per operationem, & obiectum. Vnde eſt & ſecunda concluſio, quod ſcilicet potentiæ formaliter ſumptæ, nimirum per illam rationem, vt ſunt principia talium operationum, & quatenus circa talia obiecta verſantur, conſtitutionem, & diſtinctionem eſſentialiter recipiunt ex actibus, & obiectis, vt colligitur ex præcitata littera primi Phyſicorum, quiaue in tali ratione ſunt relatiua ſecundum eſſe, quorum vnum ab alio conſtituitur, diſtinguitur, ac quoad intellectionem eſt inſeparabile. Et pro tertia concluſione magis verificatur hec dependentia diſtinctionis potentiarum ab actibus & obiectis in potentijs ſubordinatis; quando ſcilicet cum hac reduplicatione ſubordinationis conſiderantur, ſic enim neceſſario ordinantur potentiæ iuxta ordinem ipſorum, vnde diſtinguuntur per illa, vel per differens modum, quo in ipſis obiectis feruntur, vt ſenſus ab intellectu eo quod ille in particularia tantum, hic in quecunque entia verſatur: ſic ſenſus externus, & ſenſus communis à phantaſia, quia illi circa obiectum tantummodo præſens, hec etiam circa remotum operatur. Quarto dicendum quod potentiæ fundamentaliter ſumptæ, ſeu actiuæ, ſeu paſſiuæ, ſeu ſubordinatæ, ſeu diſparatæ; nequaquam ex actibus, vel ex obiectis, ſed ex ſeipſis, & per abſolutam illarum eſſentiam habent diſtinctionem. Ratio eſt quia

Concluſio 1. *Concluſio 2.* *Concluſio 3.* *Concluſio 4.*

Digitized by Google

cum tales potentiæ ſint entitates abſolutæ; propterea à ſeipſis, & ab eſſentiali principio, à quo in eſſe producuntur; non autem ab extrinſecis, qualia ſunt illorum obiecta, & actus, diſtinctionem accipiunt: Cui accedit quod ſi ipſæ potentiæ eſſe, & diſtinctionem ex actibus, ac obiectis abſolute reciperent: ſequeretur quod actibus non exiſtibus, ipſarum potentiarum exiſtentia, vel ſaltem mutua diſtinctio non haberetur; vt ſi eueniret quod homo(etiamſi non ſurdus)per quodam tempus poſt natiuitatem aliquo detentus impedimento nil audiuiſſet, is auditiua facultate, vel ſaltem illius diſtinctione ab alijs potentijs careret. Nec tute reſpondebitur quod diſtingueretur omnimode per habitudinem ad talem actum, & tale obiectum. Obſtat enim quod quæcunque aptitudo ſupponit eſſe, quod iam in actu exiſtens præſupponitur.

Argumenta octaui capitis diluuntur.

Cap. X.

Solutio 1. argum.

EX aſſumptis in capite præcedenti facilis dependet ſolutio omnium argumentorum, quibus diſtinctio potentiarum ex actibus, & obiectis oppugnabatur; quorum vt pertinet ad primum iam patet debere eſſe principium dans eſſe per ſe id, quod per ſe, à priori, & in genere cauſæ efficientis dat eſſe potentijs animæ ſecundum illarum eſſentiam,& fundamentaliter ſumptis: quo quidem modo non ſe habet de actibus, & obiectis diſtinguentibus potentias à poſteriori tantum, in genere cauſæ finalis, & quoad noſtrum modum cognoſcendi, talemq; afferentibus diſtinctionem eis conſideratis non fundamentaliter, ſed formaliter tantum, ac ſecundum accidentalem habitudinem illarum ad actus,& obiecta, quæ proprie eſt relatiua ſecundum eſſe.

Solutio 2.

Subſequenti pariter reſpondetur quod, in dormiente etiamſi deſint actus, adſunt tamen potentiæ, quoniam non recipiunt ab illis eſſe & diſtinctionem, vt à cauſis efficientibus; ſed vt a cauſa finali, à quibus propterea non diſtinguuntur quatenus habeant exiſtentiam actualem; ſed tantum vt inſunt intentioni naturæ, quæ potentias ad ipſos ordinat, ac diſponit: Vnde cauſant diſtinctionem in potentijs in fieri, ſeu quoad initium illarum conſtitutionis, & exiſtentiæ, non autem in facto eſſe: ac propterea cum iam fuerint in eſſe conſtitutæ non amplius eſt neceſſarium vt ex defectu actuum illarum eſſe deſinat.

Solutio 3. Ianduni reprobatio.

Pro ſolutione ſequentis nequaquam approbandus videtur Iandunus dum in ſecundo de Anima quæſt. 8. inquit, poſſe ſuſtineri quod, iuxta varietatem ſpecificam obiectorum diſtinguantur etiam potentiæ; adeo vt iuxta inſpectionem albi, & nigri ſint duæ viſiuæ facultates in ſpecie ſpecialiſſima diſtinctæ; Nimis enim hoc à ratione diſtat; nam ex eodem reſpectu neceſſarium eſſet admittere multitudinem ferè innumerabilium intellectuum; quatenus ſcilicet omnium rerum genera ſunt ei obiecta: idipſum de voluntate, ac in maxima parte de omnibus internis ſenſibus, quibus tot genera, & ſpecies rerum ſenſibilium innoteſcunt. Sed dicendum eſt quod contrarietates obiectorum nequaquam dirimunt potentias; cum quinnimo ſemper eidem potentiæ amborum contrariorum ſpectet iudicium; iuxta regulam illam quod oppoſitorum eadem eſt ratio, diſciplina, atque facultas; ſunt enim ſemper eiuſdem generis, ſcilicet ſpeciei ſpecialiſſimæ, quæ quo magis oppoſitæ in ratione obiectorum ſenſibilium, eo magis ambitui eiuſdẽ potentiæ ſentientis adæquantur. Adde quod quamuis albedo, & nigredo in ratione naturæ, vt talia entia, & accidentia ſunt ſpecifice diſtinguantur; in ratione tamen obiecti, ſeu talis ſenſibilitatis non habent diſtinctionem formalem, ex qua debeant multiplicari viſiuæ facultates. Accedit etiam quod diſtinctio potentiarum procedit ex diſtinctione illorum, quæ ſunt eis obiecta primo, & per ſe, vt ſe habet ad viſum calor, ſeu viſibile; & ad auditum ſonus, ſiue audibile: non autem ex diſtinctione obiectorum, ſeu actuum procedentium ex obiectis per ſe non primo, vel per accidens: Viſio autem albedinis, & viſio nigredinis non ſunt actus reſpicientes obiectum primum, & adæquatum: ſed tantum reſpiciẽtes ea, quæ ſub obiecto

cto

Digitized by Google

ĉto adæquato continentur: vnde non valent potentias viſiuas multiplicare.

Et inde ſolutum remanet & ſequens argumentum; vt enim ad eandem ſcientiam, ac diſciplinam; ita ad eandem potentiam cognoſcitiuam ſpectat iudicium contrariorum obiectorum, contrarijq; actus, qui reſpectu illorum contingunt; qui quamuis eo modo, quo & obiecta ſint contrarij, ac diſtinctæ ſpeciei in ratione naturæ, & quo ad illorum eſſentiam; non tamen diſtant in ratione cognoſcibilitatis, vt eidem cognoſcitiuæ facultati non optime adæquentur. *Solutio 4.*

Ad quintum reſpondetur non obſtare pluralitati intellectus, & voluntatis identitatem illorum obiecti ſubiectiue, & materialiter ſumpti, cum adſit diſtinctio ſecundum rationes formales, per quas ab illis potentijs reſpicitur; verſatur enim intellectus circa ipſum quatenus eſt cognoſcibile; voluntas autem quatenus eſt appetibile. *Solutio 5.*

Pro ſolutione ſubſequentis eſt adnotandum quod diſtinctio ac conſtitutio potentiarum inſtituta eſt iuxta varias rationes obiectorum, non quidem quoad illorum abſolutas naturas, ac entitates ſpecificas; ſed quoad rationem intelligibilem, in qua ſępe conueniunt quamuis ſecundum ſuas naturales eſſentias diſcrepent: in qua quidem cognoſcibili ratione tunc obiecta conueniunt, dum ita ſe habent, vt amittens facultatem operandi circa vnum pariter eam amittat etiam quo ad aliud; vt qui naturaliter priuatur potentia guſtandi dulce; idem ab amaritudine etiam deguſtanda ſit excluſus: ſic qui cognoſcere nequet ens, nec valet noſcere ſubſtantiam, rationem corpoream, animalem, aut humanam: propterea ad illa omnia cognoſcenda, vnius facultatis (intellectiuæ ſcilicet) inſtitutio ſatis fuit: ſecus vero dulce & aſperum; pariter album & ens ita ſe habent, vt qui non valet cognoſcere vnum, non propterea à cognitione alterius reijciatur; vt ideo appareat naturam his diſtinctis rationibus formalibus obiectorum diſtinctas facultates cognoſcitiuas inſtituiſſe: Vnde cum quantitas, motus, figura, & alia huiuſmodi accidentia communia ijſdem potentijs propria ſenſibilia percipientibus innoteſcant: pariterue cum ratio ſubſtantiæ, corporis, animalis, ac huiuſmodi, eidem facultati intellectiuæ rationem entis appræhendenti ſint perceptibilia; idcirco non fuit occaſio naturæ vt ob illorum perceptionem diſtinctas potentias inſtitueret. *Solutio 6.*

Ad ſeptimum etiam reſpondetur, hominem & lapidem maxime quidem diſtare in ratione eſſentiæ, ſpecificæ, atque naturæ materialis; minus autem quo ad eſſe obiecti formalis, ſeu in ratione cognoſcibilitatis, quam calor, & ſonus: vt propterea valeant illi, cum nequeant iſti, ab eadem facultate cognoſci. *Solutio 7.*

Pro ſolutione alterius eſt animaduertendum duplicem eſſe rerum conditionem: aliarum ſcilicet, quæ ſunt abſolutæ, nullamq; habentes habitudinem ad aliud, vt ſe habet de calore, & frigore; que quidem ex ſeipſis, & non per reſpectum ad aliud entitatem, ac diſtinctionem habent: aliæ vero ſunt res ad alia directæ, & ordinatæ, quales ſunt potentiæ, quæ in ordine illarum actuum, & obiectorum inſtitutæ ſunt; & tales, etſi non fundamentaliter, ſeu quo ad ſuam entitatem, & vt à cauſa efficiente; quo tamen ad formalem illarum rationem poteſtatiuam, ſeu vt tali habitudine præditæ, & vt à cauſa finali ab ipſis actibus, & obiectis dependent, & diſtinguuntur. *Solutio 8.*

Ad nonum reſpondetur, poſterius non eſſe aptum definire, vel diſtinguere ſuum prius in ratione cauſæ efficientis, & à priori: hoc tamen poſſe in genere cauſæ finalis, vt de potentia faciunt actus, & obiectum; que quidem ſecundum talem rationem non ſunt ei poſteriora ſicut in executione, ſunt enim priora in intentione naturæ, quę in eorum gratiam potentiam inſtituit: vnde non dicuntur eſſe differentiæ, ſeu eſſentiæ ipſius potentiæ; ſed ab eis ſumptam eſſe differentiam potentiæ, quæ ex ſe dicit reſpectum, & habitudinem quandam ad ea; non quidem accidentalem; qualis eſt relatio mera, & ſecundum eſſe; ſed eſſentialem, quæ eſt fundamentum talis habitudinis, ac relatiuum ſecundum dici. *Solutio 9.*

Pariter ad aliud dicimus, non eſſe inconueniens vt aliquod diſtinguatur à re extrinſeca tanquam à fine, præcipue cum ad illam habet habitudinem, & reſpectum; relatiua *Solutio 10.*

Digitized by Google

latiua ſiquidem ſemper ex externo , vt ſeruus à domino determinantur , ac definiuntur.

Solutio 11. Ad aliud reſpondendum eſt potentias (quemadmodum & quecunq; in aliquo recipiuntur) recipi quidem in organis per modum ipſorum organorum; vnde fit vt ſortiantur extenſionem, quantitatem, operationem, molem, ac ſaltem accidentalem, mobilitatem: inde tamen non ſequi quod debeant etiam ab ipſis diſtingui; quinnimo ex oppoſito cum potentiæ non ſint ordinatæ ad organa; ſed econtra ipſa organa propter potentias ſint inſtituta: propterea potius debent organa ex potentijs, quam potentiæ ex organis diſtingui.

Solutio 12. Ad duodecimum dici poteſt primo, differentias agentem, & poſſibilem in intellectu, non eſſe potentias principales ; ſed vires & differentias eiuſdem potentiæ intellectiuæ: eo modò quo generatiuæ potentiæ, vt inſtrumenta inſeruiunt ſeminatiua , ac formatiua facultas: nutritiuæq; inſeruiunt attractiua, retentiua, & aliæ ; ac quemadmodum cuiq; ſenſui agendi , atque patiendi differentiæ competunt : Quibus accedit quod per diuerſas rationes obiectum intelligibile reſpicit duas illas differentias, agẽtem ſcilicet vt iudicabile, ac in potentia ad cognoſci, ac poſſibilem, vt moues, ſuamq; imaginem ei per ſpeciem intelligibilem imprimens.

Solutio 13. Ad poſtremum reſpondetur, diſparem eſſe conditionem intellectus à ſenſu, qui cũ ſenſibilia recipiat materialiter & per organa corporea ; propterea pro varietate taliũ obiectorum eget multiplicitate potentiarum, quibus varietas organorum adhibetur: intellectus vero, qui immaterialiter, ac ſine organis recipit, nõ arctis his terminis coercetur, ſed vnica potentia valet ad receptionem quorumcunque entium; que quamuis quoad illorum exiſtentias , & entitates naturales ſint diuerſarum ſpecierum , & generum ; quatenus tamen intelligibilia , ſub eadem ratione intellectiuæ facultati adęquatæ continentur.

Statuitur de Potentijs Animæ à quo effectiue producantur, & in quo ſubiectiue recipiantur. *Cap. XI.*

Auerroiſtarũ opinio. EXacta præſentis contemplationis abſolutio detectam optat originem potentiarum, vt pateat à quo nam vt à cauſa efficiente producantur, ſeu maneant, ac fluant: circa quod magna eſt lis inter Thomiſtas , & Auerroiſtas , ex quibus præſertim Iandunus in ſecundo de Anima quæſt. 10. ſuſtinent potentias fluere ab eſſentia animæ , non tamen effectiue , ſed in genere tantum cauſæ materialis , & ſubiectiuæ . Thomiſtæ vero tuentur cauſam etiam effectiuam potentiarum eſſe animam, inſequentes fundamenta eorum auctoris in prima parte quæſt. 77. artic. 6. *Thomiſtarũ opinio.* Nec tamen reſpuere videntur id (quod nos fatemur, ac ſuſtinemus) eas vt à cauſa efficienti prodire à compoſito ex anima & corpore , quod agit quidem tamquam per naturam principalem virtute animæ : at per concurſum materiæ, ſeu corporis, quod eſt altera pars quiditatiua, eo modo, quo ſplẽdor ab igne, frigus ab aqua ; & grauitas à terra per vtriuſque naturæ concurſum , effectiue dependent . *Auctoris iudicium.* *Fundamentũ* Ad quod ſuademur ex eo quod accidentia ſemper pendent ex ſuo ſubiecto : vnde cum potentiæ ſint accidentia, quorum ſubiectum eſt ipſum animal, vt proxime demonſtrabitur deducitur inde, totum animal ex anima & corpore conſtans eas parere . Quoniam uero cum materia ſit pars quiditatiua rei naturalis , vt in propria Quæſtione probauimus , ideo in producendis accidentibus ad ipſum compoſitum naturale ſpectantibus neceſſarium videtur vt etiam pars materialis concurrat ; præſertim in animali cuius pars materialis, ſcilicet corpus organicum non eſt ſola materia, ſed formas elementares, ac mixtionis includens: Quinetiam quoniam cum harum potentiarum actiones ſint materiales tum ex obiecto, tum ex organo per quod fiunt ; propterea proportionabiliter per conſpirationem ipſius etiam partis materialis effici credendum eſt. Accedit quod

id,

Digitized by Google

id, ad cuius eſſe ſequitur aliud, neceſſario eſt cauſa illius: ſed ad eſſe animalis ex anima & corpore compoſiti ſequitur eſſe potentiarum: Quare ipſum compoſitum animatum eſt illarum cauſa. In hoc tamen aſſentimur Latinis excipientibus ab hac conditione potentias intellectiuas, quæ cum nullam cum corpore, & organo habeant connexionem, propterea ex ipſa ſola anima rationali prodire cenſemus: Adeo vt tueri teneamur aſſertionem noſtram ab eadem ferè inuaſione, quę Latinorum ſententiam oppugnat improbando illis quod potentię fluere valeant ex anima: potiſſimum inde quod data emanatione potentiarum ex anima, ſequeretur vnum & idem reſpectu eiuſdem eſſe actiuum & paſſiuum, quæ conſequentia deducitur, quoniam cum ipſa anima ſit ſubiectum immediate receptiuum potentiarum, ſi ſimul etiam eſſet illarum principium actiuum, tunc eadem ſimplex animæ ſubſtantia reſpectu eiuſdem ageret, & pateretur. Quod ſi quis reſpondeat non eandem animam agere, & pati; ſeu producere, & recipere, quoniam potentiæ originantur ab anima, ſed recipiuntur in parte materiali. Viget omnimode dificultas reſpectu potentiarum intellectiuarum; quæ cum nullam habeant cum materia affinitatem; propterea in eadem anima, à qua manant, manere debent.

Obiectio 1.

Deinde nequit ſubiectum ſuas proprias paſſiones efficienter producere: ex ſecundo enim Phyſicorum contex. 70. materia cum alijs cauſis non coincidit: vnde cum anima ſit ſubiectum potentiarum, non poteſt earumdem eſſe cauſa efficiens.

Obiectio 2.

Ac tertio quoniam ex vna eſſentia ſimplici non poteſt magis quam vnum prodire: ac ideo anima, quæ vnica, & ſimplex eſt, non valet plures potentias producere.

Obiectio 3.

Que quidem argumenta vt emanationem potentiarum ab anima, ita & à compoſito, vt fert noſtra ſententia reprobant: Pro quibus, cum noſtræ poſitionis comprobatione, diſſoluendis tria ſunt præmittenda; quorum primum ſit: competere ſubiecto cauſalitatem effectiuam in ſuas proprias paſſiones: & eo probatur, quoniam alioquin propria paſſio non neceſſario conſequeretur eſſe ſui ſubiecti, quod à cunctis abſurdiſſimum reputabitur: & conſequentia deducitur quoniam: quod alicuius accidentis eſt tantum receptiuum non imponit ei neceſſitatem eſſendi; vt ſe habet de pariete reſpectu albedinis: quod ſi ſubiectum non efficienter ſuam propriam paſſionem cauſaret; eſſet illius tantummodo ſusceptiuum, ac proinde non imponeret eis neceſſitatem eſſendi: Reſpondent qui ſecus opinantur: non ſubiectum, ſed generans imponere neceſſitatem eſſendi tum paſſioni; tum ipſi etiam ſubiecto, dum ambo producit: Quod tute dictum non videtur, etenim ſi talis ipſius paſſionis neceſſaria conſecutio ad eſſe ſui ſubiecti, prouenit tantum ex ratione generantis ſemper vtrumque producentis: ſequitur id in reſpectu ſubiecti eſſe per accidens: nec ipſum ſubiectum per ſe habere neceſſariam habitudinem ad propriam paſſionem, ac conſequenter non repugnare ei eſſe ſine propria paſſione, quod abſurdiſſimum eſt: Inſuper quoniam ſi ſimul, ac ęque immediate ſubiectum, ac illius paſſio cauſarentur à generante, ſequeretur ſubiectum non præcedere ſuas paſſiones, quod inconueniens videtur: Reputandumq; eſt quod producantur aliquo ordine, adeo vt vnum alio mediante in eſſe conſtituatur: quod cum non poſſit fieri de ſubiecto mediante paſſione ob præhabitam rationem, ſequitur quod id fiat è conuerſo, ac conſequenter quod eſſentia ſubiecti immediate, ac effectiue ſuam propriam paſſionem producat.

Subiectum habet cauſalitatem effectiuam ī ſuas paſſiones.

Ratio 1.

Euaſio.

Impugnatio.

Et iterum principalis aſſertio ea ratione comprobatur, quod niſi ſubiectum ſuas proprias paſſiones efficienter produceret, ſequeretur proprias qualitates non agere vt inſtrumenta formarum ſubſtantialium; & conſequentia deducitur; nam ad hoc vt qualitates vere dicantur agere tanquam inſtrumenta formarum ſubſtantialium, neceſſarium eſt vt vel in eſſe ab ipſis formis ſubſtantialibus effectiue dependeant, vel ab eiſdem aliquam virtutem recipiant: non eſt dicendum quod qualitates exinde recipiant aliquam virtutem à ſeipſis diſtinctam: quare neceſſarium videtur quod ab ipſis effectiue producantur ad hoc vt dici poſſint agere tanquam illarum inſtrumenta:

Ratio 2.

quod

quod quidem neceſſario dicendum videtur, quoniam qualitatibus actionem ex ſe competere non eſt opinandum: vt neceſſarium videatur quod ſubiectum effectiue ſuas proprias paſſiones in eſſe conſtituat.

Ratio 3. Quod denique confirmatur, quia niſi hoc eſſet, ſequeretur non magis ipſam propriam paſſionem, quam accidentia quecunque communia ex ſuo ſubiecto dependere, quod inconueniens eſt: & cõſequentia eſt euidens; ſi quodcunque ex eis dependeret ex ipſo ſubiecto, materialiter tantum, ac ſubiectiue, vnde nullum eſſet ei proprium accidens, cum nullum ſecum haberet cõnexionem, eo modo quo ad idem ſubiectum ſe habent accidentia communia.

Subiectum potentiarum eſt compoſitũ animatum.
Ratio 1.
Secundum ex his, que ad diſcuſſionẽ huius dificultatis maxime cõferunt, eſt quod
anima ſimul cum eius corpore, ſcilicet animal ex vtroque compoſitum (exceptis po-
tentijs intellectiuis, quæ puræ menti inhærrent) eſt proprium ſubiectum receptiuum
potentiarum: cuius probatio pendet ex reiectione contrariæ opinionis ponentis pro
ſubiecto vniuerſali potentiarum ipſam animam tantum. Cui quidem obſtat quod,
eo dato, potentia, exempli gratia, viſiua, aut eſt in tota anima, quæ in vniuerſum cor-
pus animatum effunditur: aut eſt tantum in parte illa animæ diuiſibilis, quæ oculo
correſpondet: Non primum, quoniam abſonum videtur, reperiri potentiam in illis
partibus, que ipſam exercere, actibuſq; circa ipſam frui nequeunt, quales ſunt partes
illæ à congruentibus organis remotæ, vt ſe habet de partibus animę in cruribus, bra-
chijs, & huiuſmodi membris, exiſtentibus reſpectu potentiæ viſiuæ, vel olfactiuæ:
Non ſecundum quoniam ſimplex eſſentia animæ cum omnes ſuas partes ſecundum
ſe eiuſdem rationis habeat: propterea quam potentiam ex ſe in vna ſui parte haberet,
eam haberet vbique: Nec licet credere quod procedat potentia ex mera organi ma-
teria; cui ex ſe ſoli talem cauſalitatem nullus aſcriberet: Quare inhærrere
Ratio 2. videntur potentiæ ipſi compoſito. Suadetur idipſum ex materialitate opera-
tionis ipſarum potentiarum; fit enim concurſu materialis organi per obiectum
materiale, & ſingulare, ac cum reſultantia ſpecierum materiales conditiones re-
tinentium, quæ etiam in materiali organo interni ſenſus inſident. Adde quod
3. ſi animæ tantum ipſæ potentiæ ſubiectiue ineſſent; deberet anima (aliquando
ſaltem) ſeorſum abſque corporei organi concurſu operationes eis ſpectantes ha-
bere; eo modo quo de operationibus ſpectantibus ad intellectiuas potentias con-
tingit; quod tamen non euenit; quia ſine concurſu materialis oculi anima
4. numquam videt; vel ſine lingua guſtum exercere valet. Quod validiſſime con-
firmat Ariſtoteles in libro de Somno, & Vigilia cap. 1. dum inquit: ſentire non
eſſe proprium animæ, nec corporis, ſed coniuncti: indicans, hoc, quod aſſerit de
ſenſatione, longe magis ſtatutum velle de reliquis operationibus, quæ materia-
liores ſunt; quod comprobat ratione adæquatiſſime huic veritati atteſtante: quia
ſcilicet illius eſt potentia, cuius eſt actus: & potentiam eſſe coniuncti: vt ideo
eiuſdem debeat eſſe actus: Quod rationabiliter dictum videtur: cum operatio-
nes, quæ per tales potentias fiunt, ſint actiones immanentes, quæ eidem ſuo
5. principio infixæ manent. Quod pariter expreſſe determinat in 66. contextu pri-
mi de Anima inquiens amare, odio habere, ac huiuſmodi actiones, non eſſe
paſſiones animæ, ſed habentis ipſam: ac inde eſſe quod ipſo corpore deſtructo
6. anima non amplius his actionibus apta eſt. Quæ eſt confirmatio præcedentis tex-
tus ſexageſimiquarti, in quo aſſeruerat animam non iraſci, miſereri, aut cogi-
tare, eo modo quo non exercetur in texendo, vel ædificando; quoniam illæ paſ-
ſiones ad compoſitum ſpectant. Et fortius id comprobatum habetur ex textu
13. eiuſdem operis, vbi legitur quod, ſi anima ex ſe, ac ſine corporeo organo
apta eſſet ad proprias operationes, ſeparabilis eſſet à corpore: vnde colligitur
ſeparabilitas humanæ mentis ex eo quod etiam ſeparata, intelligere, aliaſque
ſuas actiones habere valet: quod ſi cuicunque animæ id competeret, vt proprias
ſibi includeret potentias: vnde propriæ etiam ipſius eſſent operationes inde
procedentes; cum immanentes ſint, ſequeretur quod vnaquæque anima (etiam

ſcili-

ſcilicet Brutorum) eſſe à ſuo corpore ſeparabilis. Nec tute ſe recipiet aduerſarius inquiens: quod operationes illarum animarum pendent ab organo corporeo, & ab obiecto: Etiam enim mens humana pro intelligendo pendet à phantaſia, ac eius ſpeciebus; ac nihilominus ſeparabilis eſt: quia poſt ſeparationem nullam habet dependentiam ab organo: valetque tunc abſque phantaſiæ miniſterio eaſdem ſpecies ex eis elicitas intueri. Ac demum inſuſtentabile videtur 7.
quod facultas, puta viſiua, ac ipſe actus videndi eſſent organici; niſi compoſito animato, cuius eſt organum inexiſterent.

Duplex cauſalitas effectiua: & quonam modo producantur paſſiones à compoſito animato.

Statuto itaque conuenire ſubiecto cauſalitatem effectiuam in proprias eius paſſiones: compoſitumue animatum ex anima & corpore conſtans eſſe proprium potentiarum ſubiectum: adhuc pro explicatione quæſiti, ac pro ennodatione difficultatum proderit pro tertio adnotare quod cum aliquid efficienter producere ſtet dupliciter: primo ſcilicet ſtricte, ac proprie: dum nempe directe, ac per intermediam actionem aliquid conficitur, eo modo quo ędificator per mediam actionem ſuum opus conſtruit: ſecundo vero latius, & indirecte, dum ſcilicet aliquid ab alio cauſatur per ſolam connexionem, ſeu conſecutionem, ac reſultationem, eo modo quo lumen à ſole ſine intermedia actione per ſolam emanationem producitur: Primo quidem modo non producuntur paſſiones à ſubiecto, quod nullam in eis Phyſicam actionem habet; ſed à generante, quod dans eſſe ſubiecto, idem facit ijs, que ad eſſe ſubiecti conſequuntur: ſecundo vero modo paſſiones cauſantur effectiue à coniuncto ex anima & corpore, quod eſt illarum ſubiectum, cuius eſſe per reſſultationem conſequuntur, ab ipſo manantes: de qua quidem neceſſaria dependentia effectiua rationes iam in principio capitis adductæ ſunt.

Solutio 1. obiectionis.

Reſtat occurrere obiectionibus. à prima quarum valide ſe tuentur Latini, qui ſuſtinent paſſiones prodire ex mera anima, reſpondentes cum Diuo Thoma in prima parte ſummæ, quæſt. 77. artic. 6. quod anima (quemadmodum & quæcunque ſeparatæ ſubſtantiæ in eſſe productæ) quamuis indiuiſibilis quatenus ex materia non conſtat; eſt tamen quodammodo ex actu, & potentia compoſita, adeout quatenus eſt actu, ſuarum potentiarum ſit productiua; quatenus vero eſt in potentia, ſit earundem potentiarum receptiua. Sed nos qui potentias non ex anima tantum; ſed ex coniuncto prodire arbitramur, ad obiectionem reſpondemus iuxta prædicta, inconuenire quidem quod aliquod ſit productiuum & receptiuum per productionem propriam quæ fit per mediam actionem: at non inconuenire vt aliquid ſit receptiuum eius, quod producit per reſultationem, ac per emanationem; eo modo quo potentiæ ex compoſito animato, abſque intermedia actione, vel motu, per ſolam emanationem cauſantur. Nec conturbare nos debent verba Commentatoris in quarto Metaphyſicorum comment. 2. dicentis quod, Prædicamenta accidentalia attribuuntur ſubſtantiæ, non quia ſit agens, vel finis eorum, ſed quia conſtituuntur per illam, quæ eſt eorum ſubiectum, vt fateri putetur quod ſubſtantia non ſit illorum efficiens. Animaduertendum eſt enim ibi loqui Auerroem de accidentibus abſolutis, & communibus, non de proprijs.

Solutio 2.

Secunda obiectio falſo nititur fundamento, quod ſcilicet abſolute nequeat cauſa materialis coincidere cum efficiente, quod falſum eſſe depræhenditur ex eo quod materia effectiua eſt cauſa, à qua interminata quantitas, ac eius potentia procedunt; per emanationem tamen, ac ſine Phyſica actione; quam noluit negare Philoſophus in citata illa littera ſecundi Phyſicorum dum protulit: materialem cauſam non coincidere cum efficienti, vt efficientiam proprie ſumptam, & per intermediam actionem progredientem ſignificaret. Præterquam quod nos attribuimus hanc cauſalitatem, ac efficientiam non puræ materiæ, ſed compoſito, cui ineſt forma, præcipua ratio talis productionis.

Nec

Digitized by Google

Nec vrget poſterior obiectio cum potentiæ exinde procedentes non ſint diuerſorum generum, ſed ex vnaquaque anima, ſeu per ſe ſola, vt ex rationali, ſeu ſimul cum corpore producuntur potentiæ eiuſdem ſpeciei ſubalternæ diſtinctionem tamquam à fine recipientes ex actionibus, ac ex obiectis, circa quæ verſari debent, vt ſuperius determinatum fuit.

DE

DE VISIONE.

Introducitur quæſtio: obiectumq; Viſionis conſtituitur. Caput I.

VISIVA facultas nobiliſſimum ex inſtrumentis,quibus animę noſtræ doctibus potiamur, cuius dignitatem actionis libertas, celeritas,& certitudo; obiecti præſtantia,effectuum vtilitas, ac maxima cum mente ſimilitudo demonſtrant, allicit nos ad ſui contemplationem: qui ne induſtriæ defectu his deſtitutum relinquamus intellectum, quorum naturæ munere ſenſus eſt facile compos, quod prouide nobis indicitur non detrectantes, enniti debemus vt explorata reddantur circa ipſam Viſionem obiectum, ac que pro ipſo requiruntur: media inter obiectum & ſenſum, ipſiuſque ſenſus inſtrumentum: ac modus, quo fit Viſio: Ex quibus exordiendo ab obiecto: pro determinando quidnam ſit, primum iecit fundamentum Ariſtoteles in ſecundo de Anima tex.66.inquiens:obiectum,ſcilicet ipſum viſibile, eſſe colorem: pro cuius intelligentia eſt adnotandum,nomen coloris ſumi poſſe dupliciter,proprie. ſ. hoc eſt vt ſignificat qualitatem conſurgentem ex comixtione quatuor primarium qualitatum: ac lato modo,ſcilicet pro omni actu diaphani,ſiue cum opaco terreſtri terminati,& admixti,ſiue non, vt contingit in puris elementis,ac in cęleſti corpore: iuxta quē ſenſum dixit Philoſophus in libro de Senſu & Senſilib. capite 1. quod omne corpus eſt coloratum:color primo modo ſumptus non eſt id,quod quæritur; non enim prædicatur eſſentialiter de omnibus,quæ per ſe cognoſcuntur à viſu, qui percipit corpus Cæleſte, ac lumen carentia proprie dicto colore, aliaue, que quamuis huiuſcemodi colore ſint prædicta, ea tamen ſub illo colore non inſpicit, vt quercum putridam in tenebris,oculum felicis,& noctilucas; que tantum ratione lucis viſibilia redduntur: ſed in ſecundo ſenſu videtur magis intento adæquari: Quod præter rationem confirmat etiam littera præcitati contextus 66. vbi habetur, obiectum viſus eſſe colorem, *& quod oratione quidem eſt dicere*, quia nempe addendum eſt verbis colori proprie dicto alia,que vnà cum illo conſtituunt totum genus obiecti viſibilis: Idipſumq; exigua vis obiectorum conſolidat: Primo enim arguitur quoniam obiectum non debet eſſe minoris vnitatis quam potentia;quia enim potentiæ diſtinguuntur per actus, ac illi per obiecta,vt colligitur ex tex.33.ſecundi de Anima; ideo inuicem diſtingui, & adæquari debent obiecta,& potentiæ: ſed potentia viſiua eſt vna in ſpecie ſpecialiſſima, & color eſt vnum genere ex ſeptimo Phyſ. tex.29.ac ex lib.de Senſu & Senſil. Igitur color non eſt obiectum viſus.

Color dup.

Obiectum viſus quid ſit.

Obiectio.

Reſponſum iam fuit ab aliquibus non inconuenire quod potentia etiamſi habeat vnitatem dependentem ex vnitate obiecti, habeat tamen vnitatem perfectiorem quam obiectum: Et quia obijcitur, effectum non poſſe eſſe perfectiorem quam ſua cauſa; vnde cum vnitas potentiæ ſit effectus dependens ex vnitate obiecti; non ideo valeat potentia eſſe perfectior in vnitate. Reſpondetur non eſſe perfectiorem effectū quam ſua cauſa principalis, quæ dat ei eſſe, ſitq; ei vt forma, vel vt finis: at potentia non dependet ab obiecto tanquam à cauſa principali, & eſſentiali, ſed vt ab inſtru-

Solutio quadam.

Solutio alia. mentali, ſeu indicatiua ſuæ operationis; ac ideo poteſt in vnitate præcellere: Sed tutius dicetur quod color poteſt dupliciter conſiderari, vel. ſ. ſecundum ſuum eſſe abſolutum, nimirum quatenus eſt ens, ſeu vt eſt color; & ſic vtique habet genericam tantum vnitatem: Vel ſecundum ſuam rationem relatiuam; ſ. quatenus eſt viſibilis, ideſt quatenus eſt intentionaliter immutatiuus viſus, & ſic habet rationem ſpecificam.

Obiectio. Additur prædictæ difficultati quod omnis potentia vna requirit ſuum obiectum ſaltem genere vnum: diſtincti generis autem ſunt color ortus ex mixtione, lumen, ac color apparens, vt eſt ille, qui ex lumine in nube refracto conſurgit: Quare id non videtur obiectum viſus. *Solutio.* Reſpondetur obiectum proprie, ac ſecundum eandem rationem deſumptum eſſe quidem eiuſdem generis: at color & lumen quamuis ſubordinata ſint in genere viſibilium; diſtincta tamen ratione concurrunt, & ſunt obiecta, color nempe vt terminus, in quem. ſ. deſinit actus viſionis; ac lumen vt cauſa: ideo non eſt neceſſarium vt ſint eiuſdem generis: Adde quod color proprie ſumptus ex mixtione primarum qualitatum procedens cum cæteris coloribus latiori modo ſumptis, ac cum lumine quamuis non ſint eiuſdem generis ſecundum illorum eſſentiam; ſunt tamen eiuſdem generis in ratione viſibilitatis, quia pariter mouent, ac immutant potentiam viſiuam; conueniuntq; in genere analogico, quatenus proprie dictus color eſt maxime, ac principaliter obiectum illius ſenſus immutatiuum.

Obiectio. Arguitur itidem quoniam poſito colore pro obiecto, ſequi videtur ipſum eſſe nobiliorem anima: conſequentia deducitur quoniam ſenſitiua facultas, qualis eſt viſiua, eſt potentia paſſiua ex tertio de Anima tex. 2. ac proinde patitur ab obiecto: ex *Solutio.* eodem autem tertio de Anima contex. 19. agens eſt nobilior patiente: Quare &c. Cui reſpondetur concedendo quod color, ac obiectum quodlibet in ea ratione qua agit ſit nobilior quam potentia quælibet animæ conſiderata vt paſſiua: ſatiſq; eſſe viſui quod præſtet colori tum ratione ſuæ eſſentiæ, tum etiam ratione operationis, quam nobiliorem habet quam color: An vero viſio fiat à ſenſu per actionem, aut meram paſſionem inferius oſtendetur.

Obiectio. Adhuc mouetur viſus nedum à prædictis coloribus, & lumine; ſed etiam à tenebris, quæ ſunt priuatio luminis, ac ex atro colore, qui eſt priuatio candoris ex tertio Meteorologicorum cap. 3. ſummæ 2. vnde videtur obiectum viſus eſſe quid communius, adeo vt nedum colorem lato modo ſumptum, ſed & huiuſcemodi priuationes *Solutio.* amplectatur. Reſpondetur de tenebris quod illæ non proprie videntur: ſed ſenſus illas videre putat, quatenus tunc nil inſpicit: ſe habentq; ad obiectum viſus & ad eius potentiam cognoſcitiuam eo modo, quo in omni genere ſe habet ad actum ipſa priuatio: Nigredinem vero negamus eſſe priuationem, eſt enim poſitiuum contrarium albedini, quod ſuos cauſat effectus poſitiuos, habetq; determinatam cauſam naturalem: & taliter ab Ariſtotele vocatur ſolum ob eius imperfectiorem conditionem.

Obiectio. Tandem eſt dubitatio quoniam ex 64. contextu 3. de Anima omnia quinque ſenſibilia communia, ſ. Motus, quies, numerus, figura, & magnitudo ſunt per ſe à viſu ſenſibilia; nec aliquod tamen ipſorum eſt color, vel ſub colore contentum, vt obie-*An ſenſibilia cõmunia ſint viſibilia.* ctum viſus videatur eſſe quid latius quam color. Quærentibus ſolutionem per explicationem illius litteræ, occurunt rationes, quæ ſuſpectam reddunt Ariſtotelis aſſertionem: Non enim ſentiuntur per ſe illa, quæ ſentiuntur per aliud: & illa ſenſibilia *Pars negatiua.* communia ſentiuntur per aliud; niſi enim complicata eſſent ſenſibilibus proprijs, nunquam à ſenſibus perciperentur: Quare non videntur per ſe ſenſibilia: Item non *Ratio 1.* poſſunt per ſe ab aliqua cognoſcitiua facultate depræhendi quę ſub illius obiecto non *2.* continentur; quippe cum nequeat facultas eius obiecti ambitum excedere: & communia ſenſibilia nec ſimul, nec ſeparatim ſub aliquo ſenſuum obiecto continentur. *3.* Deinde quia priuationes nequeunt ſenſum per ſe mouere, ſed ab illo tantummodo per ſuos contrarios habitus percipiuntur: ita vt habeatur in ſecundo de Anima tex. 133. Quod quies ex motu, ac numerus per negationem continui cognoſcuntur: igi-*4.* tur non per ſe: Accedit quod recipiens debet eſſe denudatum à recepto, vt ex 4. textu ter-

Digitized by Google

tertij de Anima ellicitur: ſenſui vero ineſt figura, magnitudo, motus, & quies: vt non videatur poſſe illa per ſe recipere. Demum non valet percipi à ſenſu exteriori quod non eſt quantum: motus vero nullam habet continuitatem; futurum enim nondum adeſt: præteritum iam euanuit; & ſolum momentum extat; ideo motus non poteſt videri: inde victus fuit Galenus vt in libro de Placitis Hippocratis & Platonis capite 6. aſſeruerit communia ſenſibilia non niſi per accidens ſentiri. At vnica animaduerſione tollitur difficultas: quia. ſ. aliquod cognoſci per ſe, & non per accidens contingit dupliciter, nimirum per ſe primo; ac per ſe non primo, ſed ſecundario, ac conſequenter; ſ. vnà cum primo, cui aliquem modum addit: Itaque ſenſibilia communia ſunt viſibilia per ſe non quidem primo; non enim habent propriam ſpeciem diſtinctam à ſpecie ſenſibilis proprij, ac ideo nequent mouere ſenſum externum ſine ipſo ſenſibili proprio, cuius ſunt tanquam modi quibus ipſum attingit, ac immutat ſenſum; ſed ſunt viſibilia per ſe ſecundario, & conſecutiue, mouent enim ſenſum per ſenſibilia propria, vt docet Philoſophus in ſecundo de Anima 133. inquiens ea ſentiri per motum, ac per propria: que quidem ſunt principalia in ſenſatione, vt iure dicatur communia non mouere ſenſum, ſed ſimul mouere; nec illum figurare, ſed configurare; ex ſoliſq; internis ſenſibus, vt ab imaginatiua, valet aprehendi illorum cognitio per diſtinctionem à ſenſibilibus proprijs. Et ſi inſtetur quoniam tactus noſter ſi ſphæras cæleſtes attingeret perciperet illius magnitudinem etiamſi tangibilibus qualitatibus expertem: ac pariter percipit motum formicæ ſuper manum deambulantis non ſentiendo aliquod ſenſibile proprium: vt falſum videatur non percipi ab externis ſenſibus ſenſibilia communia ſine proprijs. Reſponſio erit quod, quia tangenti, cælum reſiſteret, proinde ſentiretur illius durities, quæ eſt qualitas tangibilis ex ſecundo de Anima 107. Motus formicæ pariter non ſentiretur, niſi durities illius mobilis tactum immutaret. Ex rationibus autem improbantibus ſenſibilitatem per ſe ipſorum ſenſibilium communium ſoluitur primum per hoc quod, ſentiuntur quidem per ſe, ſed non primo; ex ſe enim habent quod ſecundario moueant ſenſum, ac quod ſuum modum proprio ſenſibili adijciant: vnde non tollitur quod ſint per ſe viſibilia quamuis nequeant videri ſine viſibili proprio; quemadmodum nec tollitur colori quod ſit per ſe viſibilis ex eo quod ſine lumine non poteſt videri. Sed quis inſtabit è contra quoniam ad hoc vt aliquod ſentiatur per ſe, ſiue primo, ſiue ſecundario, oportet vt innoteſcat per propriam rationem, non autem per rationem, ſeu per ſpeciem alterius: at ſenſibile commune non innoteſcit per propriam ſpeciem, ſed tantum per ſpeciem proprij; ſenſus enim coniunctim, ac per modum vnius percipit ſenſibile commune cum proprio, puta magnitudinem, vel motum ſub albedine: videtur ergo neutroque modo ſentiri per ſe, ſed per accidens abſolute. Reſpondebitur quod aprehenduntur per modum vnius, non quidem ſimplicis, ſed per aggregationem, cui vnitati non repugnat vt iuxta plures rationes ibi coadunatas multiplex ſit idem externi ſenſus iudicium. Sed obijciet quis iterum quoniam niſi cognoſcantur per eandem, & abſolute vnicam ſpeciem ſenſibilis proprij, ſed per propriam etiam rationem, ac per ſe innoteſcant; inde videntur poſſe per ſe ſentiri ſine proprijs puta figura ſine albedine, ac e conuerſo: quod impoſſibile eſſe quislibet experitur. Cui reſpondebitur negando efficaciam illationis ob diſparem conditionem illorum in ratione viſibilitatis; illa ſiquidem primo, & per ſe mouent ſenſum; communia vero ſecundario tantum, & vt adhibentia proprium modum ipſi ſenſibili ſpecifico; cuius propterea auxilio pro cognoſcibilitate egent eo modo, quo accidens, quamuis per ſe ens, indiget tamen ſubſtantia vt ſui ipſius entitate potiatur. Ad ſecundum dicendum verum id eſſe de his, que cognoſcuntur per ſe, & primo, ex quibus conſtituitur proprium obiectum, quod ex adæquata proportione cum ipſa cognoſcitiua facultate deſumitur; non ita autem ſe habere de his, que non per ſe primo cognoſcuntur, vt ſunt ſenſibilia communia. De quiete negandum quod ſit mera priuatio; connotat namque conſiſtentiam in loco; vnde dicit habitum quendam, habetq; determinatam cauſam, quæ vel eſt natura, ſi ſit in loco proprio, vel violentia, ſi ſit in loco extraneo;

Reſſolutio. *Inſtantia.* *Solutio 1.* *Inſtantia.* *Solutio.* *Inſtantia.* *Solutio.* *Solutio.* *Solutio 2.* *Solutio 3.*

G 2 ideoq;

Digitized by Google

ideoq; nata eſt ſenſum per ſe mouere, quamuis non primo, ſaltem quatenus ſenſibili ſpecifico proprium modum ſenſibilitatis adiungit. Quamuis autem iuxta citatam illam literam Ariſtotelis, quies ex negatione motus, numerusq; ex negatione continui percipiatur, eo ſ. modo, quo ſemper vnum ex oppoſitis ducit in cognitionem alterius; non inde cognoſcuntur per accidens: ſed per ſe ſecundario; vt enim quies proprijs ſenſibilibus, ſic & numerus iiſdem ſenſibilibus, ac motui proprium modum addit.

Solutio 4. *Solutio 5.* Recipiens debet eſſe denudatum ab obiecto proprio, & adæquato, quod recipit primo, & per ſe; non autem à quocunq; etiam ſ. ſecundario recepto. Reſpondetur ad poſtremum quod ſenſus obſeruat, ſeruatq; in ſe ſpeciem partis motus præteritæ, ac præſentis, ex quarum connexione conſtat illa continuatas varietatis, quæ cum tanquam modus quidam annectatur proprio ſenſibili; proinde vna cum illo probe à ſenſu percipitur. Ex quibus iam conſtat principalis difficultatis explicatio; pertinent enim ad obiectum viſionis ſuperius determinatum ſenſibilia propria, quæ mouent viſionem per ſe, & primo; non autem communia, quæ ipſum ſecundario tantum, & per conſecutionem attingunt.

De natura, ac origine Colorum. Cap. II.

Opinio putantium idē eſſe colorem cum lumine.

PROGREDITVR curioſa inueſtigatio de viſione quærendo illius obiecti naturam, ac productionem: cui obuiam fit primo ſententia Platonis in Timeo, quem ſecuti ſunt Auempaces, & Alpharabius referente Auerroe in ſecundo de Anima comm. 65. Auicenna lib. 6. part. 3. cap. 1. non diſſentientibus Alberto Mag. in lib. de Senſu & Senſil. tract. 2. cap. 1. ac Soncina decimo Metaphiſic. quæſt. 2. quod ſcilicet color non diſtinguatur a lumine, inde ſubnixi.

Fundament. Primo quia color eſt obiectum viſus, à quo lux etiam percipitur. Secundo quia præalbus color labefactat organum viſus, quod viride fouet; putantq; id procedere ex nimia luce illius, ac ex modica iſtius, quarum illa excedens lædit: hec conueniente proportionata recreat. Tertio quia ſolum præſente lumine, & non ſine eo color eſt viſibilis; vt videatur lumen eſſe illius forma, ac perfectio. Quarto quia ex varijs aſpectibus corporis luminoſi varij in rebus colores emergunt, vt ex varijs reflexionibus ſolis in cauda pauonum, ac in collo columbarum: ita ob varias ſolis irradiationes nubes modo albi, modo rubei coloris, alternatimq; magis, aut minus ſplendentes ſe demonſtrant. Quinto quia eadem definitio tradita de colore in ſecundo de Anima 67. quod. ſ. ſit illud quod mouet actu perſpicuum: conuenit etiam lumini; cuius pariter eſt mouere, ſuaq; imagine afficere perſpicuum.

Reprobatio. Quæ tamen opinio minime eſt ſuſtinenda; adſunt namque colores in ſubiecto permanentes, quos experientia conſtat ex vario aſpectu luminis non tranſmutari. Quinetiam quoniam ex 20. textu primi de Cælo nullum adeſt contrarium Cælo, cuius lux eſt qualitas: albedo autem & nigredo ſunt proprie contraria. Conſimiliter quia ex ſeptimo Phyſicorum contex. 11. ad albedinem & nigredinem eſt alteratio, quæ tamen non eſt ad lumen. Amplius illam poſitionem ſequeretur colores ſingulos eiuſdem eſſe ſpeciei ſpecialiſſimæ; qui enim colores ex lumine pendent, ex ſolo illius vario aſpectu, ac ſine eſſentiali eorum tranſmutatione variantur, vt in oppoſitis argumentis dicebatur. Præterea lumen eſt actus perſpicui dans ei perſpicuitatem, ac proinde eſt ei intrinſecum: ſed omne receptiuum debet eſſe denudatum ab eo, quod recipit: & perſpicuum recipit colorem, qui 67. ſecundi de Anima dicitur mouere perſpicuum; vnde ſequitur vt in eo recipiatur.

Solutio arg. Quare fatendum eſt colorem aliud eſſe quam lumen: Nec vim habent illorum fundamenta: quorum primum probat tantum lumen, ac colores, qui ex illo fiunt, ſpectare ad genus colorum lato modo, & analogice ſumptum; lumen enim ipſius viſionis potius eſt cauſa, quam terminus. In ſecundo argumento decipiuntur putantes, id ex maiori, aut minori lumine procedere. Subſequens ſuadet lumen eſſe auxilium, ac vehiculum viſibilitatis; non autem quod ſit de eſſentia colorum. Quartum concludit conuenientiam cum coloribus apparentibu

tibu

Digitized by Google

tibus,de quibus modo dicetur:non autem cum realibus. Quod definitio illa præſcribit, proprie color exequitur; cuius eſt mouere perſpicuum, quod à lumine potius in actu redditur.

Itaque cum, iuxta communiſſimam interpretum diſtinctionem, duplex ſit color; proprie.ſ.ſumptus, & apparens: ex quibus, apparens eſt ille,qui ex aſpectu, ac reflexione variorum luminum conficitur, quemadmodum in cauda pauonis, in nubibus, ac in Iride contingit: cuiuſmodi quidem colores in initio libelli de coloribus ab Ariſtotele (ſiue à quouis, qui fuerit illius operis auctor) dicuntur colores ſimplices, ad differentiam proprie dictorum, qui cum reſultent ex comixtione elementorum,illorumq; qualitatum,ſunt quodammodo mixti. Apparentes vero colores quamuis non ſint abſolute idem cum lumine; à quo differunt vt effectus à cauſa, vt compoſitum à ſimplici ſui compoſitiuo: Nec non quia ipſi immutant diaphanum, quod lumen vlterius actuat: Ac quoniam ipſi recipiuntur tantummodo in corpore terminato, ac lumen ſolum in perſpicuo: Conueniunt tamen in eſſentia cum lumine eo modo, quo præhabitæ rationes inferebant. Conueniunt inſuper etiam cum proprijs coloribus quatenus vtrique habent realem entitatem;non enim dicuntur apparentes,quia non habeant verum eſſe:ſed tantum ob imperfectiorem conditionem eorum:adhuc quia vtrique mouent viſiuam facultatem, proprieq; ad illius obiectum ſpectant: ac inſuper quoniam vtrique requirunt ſubiectum per congruentem quandam ſoliditatem terminatum. Differunt tamen ab eis quatenus ipſi labiles ſunt, ac ſeparabiles à ſuo ſubiecto etiam ſine aliqua illius tranſmutatione, ſed ſolum mutato lumine, aſpectu, ſitu,aut medio, lucis vel proprij coloris:proprij vero colores firmiter permanent,hærentq; in eorum ſubiectis: Adhuc quoniam ipſi conueniunt in eſſentia cum lumine: proprij vero colores ſunt qualitates de 3. ſpecie ex primis qualitatibus elementorum procedentes eo modo,quo proxime dicetur: Optime namque de illorum generatione dicitur, quod procedit ex qualitatibus elementorum: Nec iure improbat hoc Zabarella in primo lib. de Viſu cap. 2. inquiens quod, quia ad ſunt colores nedum in ſublunaribus, ſed etiam in cœlo, vbi non ſunt primæ qualitates: propterea redigendam eſſe cauſalitatem in aliquo vtrique generi corporum communi, quod ait eſſe perſpicuitatem, & denſitatem. Inſuficiens enim videtur aſſignatio talis cauſæ, quæ potius eſt effectus; & occaſionem relinquit ingenio adhuc inquirendi quid nam ſit illud, quod ſaltem perſpicuitati, & opacitati vnitum producat colores in ſublunaribus;quamuis ad rem fuerit aſſignatio talis cauſæ quoad colores corporum cęleſtium. Nec etiam aduerſus communem ſententiam vim habet illius ratio conſiſtens in diſtincto genere corporum coloratorum: Quoniam enim ſublunari, ac cæleſti corpori competit color ſecundum analogiam, poteſt ideo ex diſtinctis cauſis in diſtinctis ſuppoſitis produci; quia cum vnicuique conueniat ſecundum propriam conditionem: ac propterea cælo imperfectius, ea forſan ratione, quia corpus illud non fuit à natura noſtræ viſioni deſtinatum,vt ſatis fuerit illius ſubſtantiæ luminoſæ condenſatio ad cauſandos illos colores, quorum natura cæleſtis eſt capax: ſublunaria vero quoniam perfectiori genere colorum affici debebant,propterea aptiorem cauſam requirebant, pro qua data eſt eis commixtio quatuor qualitatum elementorum: Quę quidem elementa quamuis in ſua puritate nullo ſint colore prædita: (nec turbet ingenium ignis prope nos exiſtens colorem flauum præferens; non enim eſt elementum ſyncerum; ſed flamma,cui mixtum eſt opacum terreſtre) ſunt tamen illa principia,que albedo,& nigredo ſequuntur, vt auctor libri de coloribus aſſeruit: elementa enim per varia ſui ipſorum,ſuarumq; qualitatum primarum, ac ſecundarum temperamenta vt ad productionem omnium naturarum ſubſtantialium, & accidentalium in ſublunaribus concurrunt, ita ſunt conſtitutiua plurium colorum ſecundum diuerſas ſui ipſorum mixtiones: non quidem quaſcunque,ſed determinatas;nam etiam in parte cryſtallina oculi eſt mixtio elementorum,& qualitatum, non tamē eſt inibi color,quoniam illa non eſt mixtio ſecundum determinatum gradum, qui requiritur ad colorem. Propterea mixta, quibus ſit prædominium aereum, vel aqueum, cum humido.

Duplex color.

Color apparens idem cū lumine.

Eius conuenientia, ac diſcrimen à colore proprio.

Quomodo color generetur

Zabarella oppugnatio.

Euerſio.

mido.ſ.ac perſpicuo, colorantur albedine: vbi dominatur ignis qui ſuo calore terræ opacitatem attenuet, fit corpus illud ſplendens, ac nitidum: ſi vero prævaleat terra cum eius ſiccitate, ac opacitate, color ater, & tenebroſus emergit: ideo, vt in eodem opere de coloribus legitur, ex tranſmutatione humoris aquei in ſiccitatem conſurgit nigredo; vt apparet in fumo, & carbonibus, qui ambo ex humidis lignis educuntur: qui ſi deinde ex vi ignis atterantur, & ab aliquali opacitate expurgentur, rediguntur ad albedinem, cum quodam tamen pallore, vt videtur in cinere: qui ſi rurſus ex igneo calore elaborentur adeo vt opacitas terreſtris penitus exuratur, tunc deuenient ad albedinem, & ſplendorem illum, que apparent in calce: cuius quidem productionis totam cauſalitatem non præſtant (vt volebat Zabarella) diaphanum, & opacum: ſed inſimul cum eis primæ qualitates, quæ in hac productione tenent locum agentis, vt ſecundæ concurrunt tanquam materia. Ac inde innumeres reſultant colores, ſi computentur & illi, qui per commixtionem colorum conficiuntur, ac etiam omnes, qui ab ipſa natura in floribus, varijſq; rebus producuntur: præcipuæ tamen ſpecies ſunt ſeptem; ſ. Albus & Niger; ex quibus duobus tanquam extremis, cæteri omnes, qui ideo dicuntur medij colores, cõficiuntur: Purpureus, ad quem rediguntur violaceus, & croceus: Flauus ad quem refertur aureus, citrinus, fuluus, & luteus; Viridis, ad quem reducitur herbaceus, & ærugineus; Ruber ad quem rediguntur igneus, flammeus, puniceus, vinoſus, & ſanguineus: ac Ceruleus continens ſub ſe plumbeum, pallidum, ac cæſium.

De colore itaque ſi ſecundum ſe, & per abſolutam illius rationem eſſet definiendus, quia eſt qualitas ſe difundens in quacunque etiam interna parte ſui ſubiecti, vt in ipſius ſciſione comperitur: dicendum eſſet quod eſt qualitas tertiæ ſpeciei, quæ ex commixtione primarum, ac ſecundarum qualitatum in mixto corpore producitur, quæ nata eſt viſum mouere: Ariſtoteles autem qui colores non per ſuum eſſe abſolutum, ſed ſolum vt viſiuo ſenſu perceptibiles conſiderauit, reſpectiuam tantum illorum definitionem tradidit duplici in loco: primo in 2. de Anima tex. 67. inquiens eſſe id, quod eſt motiuum perſpicui actu: quia ſ. ſui præſentia immutat corpus perſpicuum, ſeu per ipſum emittit ſuam imaginem ad viſum: Nec obſtat huic definitioni, quod etiam lumen moueat perſpicuum actu: Lumen enim, (vt iam dictum eſt) non mouet tantum, ſed actuat tanquam forma ipſum perſpicuum, mouetq; tanquam color quidam ſecundum analogiam, ac lato genere colorum. Secundo definiuit Ariſtoteles colorem in libro de Senſu & Senſil. cap 4. inquiens quod eſt extremitas perſpicui in corpore terminato, quia.ſ. terminat diaphanum in aliquo corpore determinato; nam viſus terminatur ad ipſum exiſtentem in extremitate corporis tranſparentis. Nec vrget aduerſus hanc definitionem communis quędam obiectio: quia.ſ. etiam in profundo corporis ſæpe inſpiciuntur colores, vt in cryſtallo colorato: in electro pariter, ac in lapidibus tranſparentibus apparent figuræ aliquæ animalis, aut frondis: ac etiam in fundo aquæ colores videntur: vnde color eſt etiam alibi quam in extremitate corporis terminati: Reſponſio eſt etenim communis, & recta, quod illa corpuſcula ideo apparent quia non ſunt intra corpus terminatum, ſed poſita in medio diaphani euadunt termini, & fiunt tanquam illius extremitates, & ſuperficies.

Definitio coloris 1.

Definitio 2.

Agitur de Perſpicuo. Cap. III.

Perſpicui vt eſt neceſſaria intermedia præſentia ad formandam Viſionem, ita & illius cognitio ad hanc quæſtionem; cuius explicatio vt auſpicetur à definitione; eam tradidit Ariſtoteles per reſpectum ad viſionem, de quo agebat in ſecundo de Anima contex. 68. inquiens eſſe id, quod eſt viſibile non ſecundum ſe, ſed ex extraneo colore: que rectè dicta videntur: quod enim ex ſe non appareat, patet ex perſpicuo in tenebris exiſtente, vbi penitus latet: ſed fit viſibile per externum colorem, nimirum per lumen, quod proportione reſpondet colori, ac cum eo continetur ſub eodem genere ab vno; vtrumque enim eſt actus perſpicui,

Definitio Perſpicui.

cui,

Digitized by Google

cui, color. ſ. terminati, ac lumen interminati: ideo dicitur etiam eſſe viſibile per accidens: non quidem per accidens, eo quod ab aliquo alio ſenſu cognoſcatur per ſe: nec eo modo quo ſubſtantia, ac relationes ab omnibus ſenſibus per accidens cognoſci dicuntur: nec demum vt priuatio, quæ cum dicat negationem nil ſenſui repræſentat, vel imprimit: ſed quia non mouet ſenſum per proprium formam, aliud namque intra perſpicuum videntes illud per accidens videre dicimur. Conſolidabiturq; prædicta definitio ex reſolutione duarum, quæ in ipſam inſurgunt obiectiones: primo quoniam aer, & ignis perſpicua ſunt, ac in præcitato textu aer inter perſpicua ennumeratur; nihilominus quamuis externum lumen recipiant, non videntur. Secundo quia Stellæ omnes aliæ à Sole videntur per lumen non proprium; ſed eis ex Sole impertitum; nec tamen ſunt perſpicua ſecundum præſentem ſignificationem. Cuius rei explanationi inſeruit diſtinctio duplicis generis eorum, que perſpicui nomine potiuntur: illius. ſ. quod ab Ariſtotele in libro de Senſu & Senſ. c. 3. dicitur perſpicuum terminatum, & eſt id, quod quamuis lumen participet, non tamen tranſparet ex proprie denſitatis obſtaculo: & tales ſunt Stellæ, quod quidem perſpicuum ab hac definitione non continetur: alterius vero huic propoſito inſeruientis, quod eſt tranſparens, vocaturq; perſpicuum interminatum, & permeabile eſt à viſu, qui in illius extrema ſuperficie non ſiſtit, ſed per ipſum totum ſibi valde peruium diſcurrit, & peruagatur. Pro ſolutione primæ obiectionis, ſi intelligatur de igne prope nos exiſtente, negandum eſt quod ſit perſpicuum ad hanc definitionem attinens; eius enim flamma eſt corpus ex admixta opacitate terreſtri compactum, adeo vt nõ ſit tranſparens, ac proprie perſpicuum. Præterquam quod Ariſtoteles ea tantum perſpicua eſt hac definitione complexus, que carent proprio lumine, queue illud ab externo mutuentur: ideo inquit in 71. tex. eiuſdem ſecundi de Anima: eandem naturam quandoque cum lumine, & quandoque cum tenebris eſſe: ac in textu 69. numerat ignem vnà cum Stellis inter ea, que dant actum perſpicuo, lumen ei inferendo. Loquendo vero de igne ſpherico, qui cum expers ſit flamma, caret etiam proprio lumine, de ipſo, ac de aere dico quod, ad ſaluandam in eis definitionem perſpicui non eſt neceſſarium vt quandocunque habent lumen videantur, ſed ſatis eſſe, vt dum videntur, id verificetur, quod. ſ. videantur per lumen alienum: tunc autem videntur dum intra ſe habent aliquod corpus coloratum, per cujus viſionem & ipſa in ſimul videantur: vel dum ex condenſatione alicuius partis illius, puta aeris, vnde lumen intenſius in eo receptum formet quendam veluti colorem, qui cum ſit viſibilis, cauſet vt in ſimul, & totum corpus illius aeris videatur; tam enim illuminatum quam coloratum corpus eſt viſiſibile: at quemadmodum coloratum vt videatur requirit lumen in ſpatio; ita & illuminatum, vt videatur aliquam condenſationem proportione reſpondentem colori depoſcit: adeo vt quod eſt illuminatum etiamſi ex defectu condenſationis non actu videatur; eſt tamen per ſe viſibile eo modo, quo coloratum remotum à lumine dicitur eſſe per ſe viſibile, quatenus habet colores, qui ſunt radix viſibilitatis. Ad ſecundam obiectionem dicendum eſt quod Stellæ duplici ratione ſub prædicta definitione non continentur: primo. ſ. quia ſunt corpora denſa, non autem oculis peruia, & tranſparentia. Secundo quia etiamſi incrementum quodam luminis recipiant à Sole; vnaquæque tamen aliquale lumen habet ex ſua natura, ſunt enim partes denſiores cæleſtis corporis, quod per ſe ipſum eſt luminoſum.

Obiectio 2.

Solutio 1.

Si autem ipſius perſpicui præter habitam definitionem, quæ fuit reſpectiua; abſolutam etiam rationem cognoſcere velimus: prænotandum eſt ipſum perſpicuum actu exiſtens ex duplici parte conſtare; ex altera. ſ. tanquam ex forma, quæ eſt lumen, de quo in ſequenti capite erit agendum, ex altera vero vt materia, organizata tamen, ac per aliam formam actuata: quæ propterea rurſus ſubdiuiditur in partem materialem, quæ eſt corpus naturale actu exiſtens per aliquam formam, & in partem actualem, quæ eſt ipſa perſpicuitas. Cuius genus non eſt quidem ſubſtantia; cum ſit in ſubiecto: Inſuper quoniam ſubſtantia non eſt ſenſibilis niſi per accidens; & id à quocunque ſenſu, non ab vnico, vt perſpicuitas: nec eſt accidens de genere Quantitatis ob ean-

Quid ſit perſpicuũ ſecundũ ſuum eſſe abſolutum.

Digitized by Google

ob eandem rationem; quantitas enim eſt ſenſibile commune ad ſingulos ſenſus ſpectans; & perſpicuum viſu tantum percipitur: Sed eſt qualitas tertiæ ſpeciei: nec quidem ex quatuor qualitatibus primis ad tactum pertinentibus; ſed ex qualitatibus ſecundis, quarum eſt etiam grauitas, leuitas, raritas, denſitas, aſperitas, & lenitas, quæ proprius ſunt in mixtis, quibus omnium primarum qualitatum temperamentum ineſt; ſed inſunt etiam ſimplici elemento ex connexione duarum ex primis qualitatibus: Quomodo vero perſpicuitas ab alijs qualitatibus producatur non vnico iudicio aſſignatur; Auerroes enim in libro de Subſtantia Orbis cap. 2. inquit procedere perſpicuitatem ex raritate, ac opacitatem ex denſitate. Haud probabiliter tamen; adſunt enim corpora rara, que tamen non ſunt perſpicua, vt ſpongea, ſtupa, & lapis Bibulus: reperiunturq; lapides, vitrum, & alia, que etiamſi denſa ſint Tranſparent: propterea dicebat Albertus in perſpicuo ſublunari requiri vtique ſubſtantiam raram, at non ſufficere ad inducendam perſpicuitatem, ſed neceſſariam adhuc eſſe eiuſdem ſubſtantiæ ſubtilitatem: Vt rectius dicatur quod cum perſpicuitas maximam habeat ſympathiam, & affinitatem cum luce; vt ideo cælum ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ, & ab opacitate terreſtri, quæ eſt impedimentum perſpicuitatis penitus expers, primo, & principaliter habeat perſpicuitatem: & hanc quidem maiorem, ſeu perfectiorem in partibus eius ſuperioribus remotioribus à Luna, quæ cum reſpectu cæterorum orbium conditiones terreas præferrat, ideo terra cæleſtis appellari ſolet: pariter in ſublunaribus competit perſpicuitas per ſubtilitatem ſubſtantiæ; ideoq; ijs magis, que magis ſunt cælo propinqua, magiſq; ſimilia, queue longius abſunt à terra, de qua Alexander in primo de Anima cap. 13. dicebat eſſe obſtaculum perſpicuitatis propter illius naturam à Cæleſti diuerſam: Quod itaque accidens perſpicuitatis eſt illud, quod ſimul cum corpore conſtituit id, quod modo dicebatur eſſe pars materialis perſpicui in actu, quæ. ſ. pars lumen ex ſe non habet: & eſt illud de quo intendit Philoſophus in 71. textu ſecundi de Anima cum inquit perſpicuum eſſe inuiſibile: quod non eſt intelligendum negatiue, eo. ſ. modo quo inuiſibiles ſunt ſubſtantiæ ſpirituales: ſed tantum priuatiue, quatenus. ſ. quod non habet lumen, vnde eſt inuiſibile, poteſt mox aſſequi, & viſibile fieri.

Quomodo producatur. *Auerrois opinio.* *Albert.*

Quærentibus de hoc perſpicuo, quod cœleſtibus, ac ſublunaribus competere dictum eſt, an vna, vel multiplex ſit natura. Satisfacit Philoſophus in eadem littera præcitati textus 68. ſecundi de Anima inquiens quod aer & aqua non ſunt diaphana quatenus aer, & aqua; ſed quatenus communem quandam naturam habent cum æterno corpore ſupræmo; nimirum cælesti. Sed dubitari ſolet quoniam corruptibilia, & incorruptibilia genere differunt, vt paſſim colligitur ex Ariſtotele: vnde non poſſunt habere aliquam communem naturam, ad quem ſenſum legitur in 61. textu tertij de Cælo quod æternorum æterna, mortaliumue mortalia debent eſſe principia: Cælum vero eſt incorruptibile, & hec inferiora corruptibilia. Reſponſio eſt Cælo ac mortalibus nil eſſe commune in ſpecie, vel in genere vniuoco: natura vero perſpicuitatis eſt ratio analogica, quæ. ſ. prius, perfectius, ac principalius competit Cælo: Replicatam inſtantiam adducit M. Antonius Zimara, quia. ſ. eorum, que ſeinuicem habent analogice non eſt vna natura communis: Ariſtotelem tamen in præcitato loco fateri: in eadem natura perſpicui ſuperum, ac ſublunare corpus conuenire. Cui non reſpondeas cum ipſo Zimara: illam non eſſe identitatem naturæ, ſed tantum conceptus: Expræſſe enim Ariſtoteles nominat identitatem naturæ: Sed negabis aſſumptum; dummodo enim natura ſit vna ſecundum genus analogicum non eſt improprium quod pluribus analogice tantum ſe habentibus conueniat.

Inſtantia an perſpicuũ ſit vna natura. *Reſolutio.* *Zimara obiectio.* *Solutio.*

Hanc autem perſpicuitatis naturam putarunt aliqui nedum vnam, ſed etiam communem ſingulis corporibus vniuerſi; hi fuerunt Iulianus in ſuo lib. de Sole. Iamblicus, alijq; Platonicæ doctrinæ alumni: qui vbique in vniuerſo effundi putarũt Mentem animariam, ex qua cuilibet corpori vita, calor, perſpicuum, ac lumen inducatur; ac ideo communem corporum affectionem illam cenſerunt, adeo vt neque terra ab eius participatione excludatur: ex eo potiſſimum ſuaſi, quia in viſceribus terræ multa

Qui putarũt omnia corpora eſſe perſpicua. *Ratio 1.*

pro-

Digitized by Google

producuntur, quorum cauſæ ſunt radij ſolares, qui ſi illuc penetrant, teſtes ſunt permeabilitatis, ac perſpicuitatis terræ. Inſuper quoniam cum color ſit actus perſpicui terminati ex libro de Senſu & Senſilib. ideo vbi eſt color, ibi adeſt perſpicuum terminatum: ſed terra in quacunque ſui parte habet colorem: ergo terra eſt ſaltem perſpicuum terminatum: Oppoſitum autem ennunciauit Philoſophus in ſecundo de Anima. 68. inquiens; diaphana eſſe (multa) corpora: non dixit autem (omnia): & rationabiliter; quoniam perfectus ordo vniuerſi omnium contrariorum inexiſtentiam requirit: vt cum adſit in natura corpus perſpicuum, opacum etiam neceſſario reperiatur; Nec vim habent oppoſita fundamenta; quorum primum concludit tantum permeabilitatem ex actione Solis in partibus terræ, in quibus fiunt productiones, quæ quidem partes à centro diſtantes, ac ideo impuræ poroſæ ac facile penetrabiles ſunt: at prope centrum, vbi eſt elementum ſyncerum alienum à productione mixtorum; non inuenitur talis penetratio: At inſtabis quoniam cum Cælum reliqua omnia per calorem ex motu procedentem, ac per lumen diſponat, perficiat, atque conſeruet vt ex primo Meteorologicorum cap. 2. colligitur: ideo etiam partes illæ interiores terræ, quarum conſeruatio intenditur à natura, non videntur eo beneficio deſtituenda. Reſpondebitur quod cum intentio naturæ reſpiciat conſeruationem omnium graduum entium, eis propria media conſeruationis adhibuit: propterea cum ignis ex propinquitate Cæli, ac per maximam permeabilitatem ex illius actione, erat producendus, ac conſeruandus: ea proinde natura præſtitit hoc igni; cæteriſq; corporibus magis, vel minus iuxta maiorem, aut minorem illius naturæ indigentiam: quoniam vero terreſtris natura oppoſitum expetebat, quandoquidem mundo inſeruire debebat vt oppoſitum, & tanquam temperamentum perſpicuitatis: ideo recte fecit inſtituendo vt ex cæleſti lumine attingeretur terra in partibus eius ſuperficialibus, non in internis. Vlterius circa principale argumentum eſt animaduertendum quod, non vbicumque Sol effectum actionis inducit, formales ſuos radios immitit: radij namque per ſe non tranant corpus ſolidum niſi circumplexum poros, quibus ineſt ſubſtantia aerea per ſe radijs, atque penetrationi peruia: ſed cum per radios partes alicuius corporis ſuperficiales attingit, illæ calorem inde acceptum communicant partibus ſibi proximis, & illæ alijs, taliter, vt hac ſucceſſione ad partes illius corporis internas radiorum virtus perueniat. Ad ſecundum ex oppoſitis argumentis reſpondemus: ex eo quod in lib. de Senſu & Senſ. color dicitur eſſe extremum perſpicui terminati non ſequitur quod vbi eſt color, ibidem ſit neceſſario & perſpicuum; ſed quoniam color præſupponit in ſubiecto ſoliditatem, ſ. terminationem aliquam: & terminatum corpus conſtat ex perſpicuo tanquam ex materia, ac ex opacitate terminante tanquam ex forma: ideo quemadmodum in compoſito forma dicitur actus materiæ etiamſi non ſit ei iuncta materia pura; ſic & in corpore colorato dicitur eſſe perſpicuum quamuis id perſpicuum ſit iam ex adnexa opacitate condenſatum: ſic etiam definitur anima quod ſit actus corporis potentia vitam habentis, quamuis illa potentia ad vitam ex præſentia ipſius animæ ſit iam expleta: Et hoc exprimit ipſa littera in qua color dicitur eſſe extremitas perſpicui (non abſolute) ſed terminati, quod quidem non eſt formaliter perſpicuum: quemadmodum cum dicitur potentia coniuncta actui, ſignificatur potentia, quæ non eſt proprie, ac mere potentia: Contingit autem hec terminatio perſpicui, ſeu corporis colorati tum in toto ipſo corpore, vt in pura terra, in metallis, & alijs huiuſcemodi, que in quacunque ſui parte perſpicuitatem terreſtri opacitate terminatam habent: tum etiam in aliqua parte tantum, ſeu interna, ſeu ſuperficiali: ſicuti dantur etiam quedam media inter perſpicuum & terminatum, vt vitra, que tenuem habentia colorem ſunt etiam obiectis viſibilibus, ac lumini peruia. Nec obijcias quod duo contraria, quales ſunt perſpicuitas & opacitas, nequeant ſimul ineſſe. Id enim eſt verum de contrarijs ſynceris, minime vero de ijſdem remiſſis, ac quodammodo contemperatis.

Euaſio. *Solutio 1.* *Inſtantia.* *Reſolutio.* *Solutio 2.*

Perſpicuitas autem non temere quidem, ſed ex mirifica naturæ ſolertia inſtituta fuit in vniuerſo, cui varia, egregiaq; munera præbet; ipſa namque congruit pro tranſitu

Quid proſit vniuerſo perſpicuitas.

ſitu

Digitized by Google

ſitu cæleſtis acti onis in hec inferiora, vnde rerum generatio, perfectio, ac conſeruatio dependent: ex ipſa obiecta redduntur nobis viſibilia, manifeſtantur colores: additumq; præbetur lumini, ſine quo omnes cæci, & infelices eſſemus; & nullum diei à tenebris diſcrimen haberemus: Ac ſine perſpicuo, per quod ſolares radij pertranſeunt, ac ex opaco corpore reſilientes denuo recipiuntur, maximo beneficio caloris

Recipiaturne lumen in ipſum perſpicuum.

Pars negatiua.

exinde producti deſtitueremur: Ideo non approbanda videtur opinio quædam, quæ fuit Auempacis, adhuc & Auicennæ in 6. Naturalium cap 1. & 7. quos ſecutus fuit & Lynconienſis, quod. ſ. non recipiatur lumen in ipſo perſpicuo, ſed tantum in opaco, & colore prædito, quod dum exterius illuminatur, tunc dicatur illuminari perſpicuum: Et ratio illorum eſt quia priuationis, vt non entis, nullæ ſunt actiones, vel paſſiones: Et perſpicuitas videtur mera priuatio; nil enim præſeferre videtur niſi negationem obſtaculi corpori colorato ne à luminoſo illuſtretur:

Fundament.

Euerſio.

Ex oppoſito enim exprimit Ariſtoteles in ſecundo de Cælo tex. 68. lumen eſſe actum, & tanquam colorem perſpicui: ac in præcedenti textu dixerat perſpicuum videri per colorem, ſ. per lumen alienum: Sed etiam experientia decernimus effuſionem luminis in perſpicuo ex attenuatione, calefactione, expurgatione, alijſq; effectibus, qui remoto lumine non euenirent: Nec luminoſum corpus à colorato diſtans poſſet ipſum illuſtrare niſi valeret in intermedio perſpicuo ſuum lumen effundere; non enim poteſt deuenire ad extremum quod antea in medio non recipitur.

Solutio.

Falſum autem eſt fundamentum, quod ſcilicet perſpicuitas ſit mera priuatio, connotat ſiquidem corpus rarum, & qualitatibus poſitiuis affectum, per quas aptum redditur ad receptionem luminis: Quæ tamen illuminatio perſpicui oculis non apparet niſi ex reflexione alicuius denſi corporis inexiſtentis, ea ratione, quia lumen vt agens incorporeum, ac ſpirituale nequet cognoſci niſi in ſolido repercutiatur.

De Lumine differitur: & oſtenditur non eſſe Corpus.
Cap. IV.

DE medio Viſionis patefacta iam parte ſubiectiua, proximum eſt agere de parte formali: audaci quodam conatu, quo ſumitur declarandum, ac ferè lumine perfundendum ipſummet lumen: qui quidem ſpecioſus, ſalutaris, ac præclariſſimus effectus naturæ, vt quo ad exiſtentiam, eſt ſuper omnia conſpicuus; ita rationem ſuæ eſſentiæ abditam habet, ipſiſq; tenebris inuolutam, à quibus vt quantum fieri poſſit eruatur. Adnotandum eſt primo quod in attinentibus ad lumen datur ſeries, & nexus quatuor ordinum rerum: eſt enim primo Lucidum, ſeu luminare, quod eſt corpus ex ſeipſo lucens: ſecundo Lux, quæ eſt qualitas exiſtens in corpore lucido: tertio Lumen quod eſt præſentia lucidi in perſpicuum effuſa: quarto Splendor, qui eſt qualitas ex luminis reflexione producta:

Lumẽ diſtinguitur à Luce.

Ex quibus, primum, ac ſecundum, cuius concretum eſt ipſum primum, non ſeruiunt præſenti inſtituto: formant enim aliquod viſibile per ſe, & vt quod: in quo ipſa lux eſt extremitas corporis terminati viſus terminatiua, continetur q; ſub lato genere colorum, ac ſub adæquato obiecto Viſionis; vt habetur ab Ariſtotele in primo Meteorologicorum in poſtremis verbis 4. capitis aſſerente lumen videri album: ac ſecundo de Anima tex 66. & 67. vbi docet: Omne viſibile, quale proculdubio eſt quodlibet corpus lucidum eſſe colorem; quod exactius in libro de Senſu & Senſilibus reperitur: Tertium vero. ſ. Lumen ad rem facit; non enim eſt per ſe motiuum ſeu terminatiuum viſus: ſed eſt viſibile tantum (vt quo) quatenus receptus in perſpicuo cauſat vt corpora ibi inexiſtentia primo & per ſe: ac ipſummet ſecundario videatur: Nec obijcias quia lumen in ſolido corpore receptum mouet viſum per ſe: Loquimur enim de ipſo inexiſtenti perſpicuo interminato: quod ſi recipiatur in corpore terminato, tunc ſortitur rationem coloris, ac colori ſui receptiuo vnitũ, inſimul cum eo mouet viſum per ſe: Splendor vero vt quidã accidentalis effectus luminis prætermittitur: Et ad exactam luminis explicationem quæritur, cuiuſnam

Digitized by Google

nam generis ſit: Non defuerunt enim putantes ipſum eſſe Corpus, vt Democritus, *Qui cenſerũt*
Leucippus, Epicurus, & Lucretius in ſuo lib.4. qui lumen ex corporibus luminoſis, *Lumen eſſe*
vt illorum ſimulacrum, ac inde corporeum, defluere, ac extra ipſa luminoſa per ſe mo- *corpus.*
ueri, aſſeuerarunt: cum quibus fuit Empedocles Agrigentinus referente Ariſtotele
in ſecundo de Anima 70. viſuſq; eſt aſſentiri Plato in Timeo inquiens lumen eſſe
ſpeciem ignis quod e lumine ex oculis prodeunte ac lumine præexiſtenti vnum cor-
pus conficitur: & Simplicius quamuis non vbique ſit ſibi ipſi conformis in ſexto
Phyſicorum comment.23. vocat lumen corpus: ac in ſecundo de Cælo comment.29.
ait ipſum eſſe corpus meatus cæterorum corporum penetrans: eoſq; ſectatur Lucilius
Philalteus in ſecundo de Cælo ſuper textum 44. quorum opinio his fundamentis *1. Argum.*
ſubnititur. Primo corporeum eſt omne id quod præditum eſt trina dimenſione, cu-
iuſcemodi videtur eſſe lumen, quod ſecundum quamcunque dimenſionem effundi-
tur: vt videatur eſſe corpus: Deinde corpus eſt quodcunque per ſe mouetur: Hiuſce- 2.
modi eſt lumen; videtur enim per quietem aeris moueri, dum cauſat accreſcionem,
diminutionem, ac circumgyrationem vmbræ corporum lumini expoſitorum. Conſi-
militer moueri videtur quatenus radij ſolares a Cælo ad hec inferiora deſcendunt. 3.
Pariter ijdem radij ad motum ſui corporis luminoſi circumgirantur, ipſiuſq; quam- 4.
cunque latitudinem æmulantur. Ac ijdem dicuntur in ſolido incidentes reuerberari, & 5.
refrangi: nec ipſa reuerberatio, ac retractio poſſibilis videtur ſine motu locali, & cor-
pore. Dicitur etiam lumen progredi a corpore luminoſo: progreſſus vero conuenit 6.
corporibus, non accidentibus, quibus non licet de ſubiecto in ſubiectum migrare. Id 7.
etiam videtur eſſe corpus, quod ex ſeipſo præditum eſt figura: & tale eſſe lumen ap-
paret dum radius ſolaris per foramen aliquod angulare pertranſit, qui in corpore ei
obiecto imprimitur per figuram rotundam, vt in varijs conſimilibus experientijs
euenit: vnde cum talis configuratio non dependeat a loco per quem tranſit, qui di-
formis eſt, nec ex aliquo ſubiecto cui radius inhærreat; ſequi videtur ipſum lumen vt
corporeum talem ex ſe habere figuram. Præterea ſi lumen eſſet accidens, ac proinde 8.
ſubiecto inexiſtens, neceſſario ſequeretur id inconueniens quod migraret de ſubie-
cto in ſubiectum: variatur enim ſæpe corpus illuminatum, vt aqua fluens, & aer ven-
tis agitatus lumine ibidem immobiliter permanente: vnde ſi eſſet accidens in ſubie-
cto, fieret vt frequenter accidens de vno in aliud ſubiectum tranſiret. Inſuper duo lu- 9.
mina (quæ eſſent accidentia) inuicem miſcerentur, & in vnum tranſirent: quod non
videtur euenire; nam poſitis ſimul luminibus lucernæ, ac Solis, ſuas diſtinctas condi-
tiones conſeruant adeo vt primus magis albus appareat: & ſi ibidem ſint duo lumi-
na, eiuſdem corporis præſentis: non vna tantum, ſed duæ vmbræ apparebunt: Ac in-
ſuper quia duæ lucernæ non ſemper videntur intendere lumen in ſpatio. Suadentur 10.
etiam ex læſione, quam lumen infert oculis, quos turbat, labefactat, eorumq; ſpiritus 11.
agitat, quæ videntur effectus cauſæ corporeæ. Quinetiam ſi non eſſet corpus, ſed acci-
dens: eſſet de genere qualitatis; alterius enim non eſſe conſtat. Quare eſſet aut quali-
tas prima, aut ſecunda; non ex 4. primis, inter quas non ennumeratur: quoniamque
quatuor illæ qualitates diſponunt ad tranſmutationem eſſentialem, quod non fa-
cit lumen; alioquin id cauſaret etiam in Cælo: nec eſt de ſecundis qualitatibus, quæ
conſurgunt ex commixtione primarum, vt contingit coloribus, ſaporibus, & huiuſ-
modi: non autem lumini. Demum adſunt auctoritates nonnullæ Ariſtotelis, quæ ip-
ſorum opinioni ſuffragari videntur; in ſecundo enim de Cælo tex. 42 legitur: calo-
rem, & lumen produci ab Aſtris per attritionem aeris ab illorum latione: quod cum
Aſtra non tangant aerem niſi per lumen, videtur quod ipſum lumen atterat aerem:
ac proinde quod ſit corpus. Inſuper in Problematibus ſectione 3. quæſt. 33. quærit
cur pro audiendo aptior ſit nox, quam dies: aitq; id euenire quia tunc aer eſt denſior
ob radios ſolares, ac lumen, quæ corpora ſunt.

In hanc vero poſitionem ipſe primum Ariſtoteles inuehitur in ſecundo de Anima *Euerſio.*
textu 69. duabus præcipuis rationibus, quarum prima eſt, quod ſi lumen eſſet cor- *Ratio 1.*
pus, ſequeretur ineuitabilis corporum penetratio: conſequentia deducitur, quoniam
in

Digitized by Google

in quacunque parte diaphani corporis prius obſcurati recipitur lumen: ſeruatur ipſum, ac inſimul ſeruantur omnes partes illius corporis: Quare ſi lumen eſſet corpus, neceſſario alterum corpus penetraret:& tali modo arguendi in textu 4 eiuſdem operis probauerat animam non eſſe corpus, quia cum partes quaſcunque viuentis corporis inanimet, ſequeretur penetratio corporum: vt iure dicat ipſe Ariſtoteles lumen perſpicuo inexiſtere per modum formæ, non per modum corporis. Nec tute euadunt dicentes quod lumen non penetrat niſi meatus intermedios ipſius corporis perſpicui.

Euaſio.

Impugnatio. Tunc enim non totum corpus, ſed tantum meatus intermedij illuminarentur: cuius oppoſitum experientia comperitur. Præterquam quod non adſunt pori in igne, aere, vel aqua, ſed in terra duntaxat his corporibus immixta: Nec recte dicunt alij, lumen eſſe corpus immateriale.

Euaſio.

Impugnatio. Qualecunque enim ſit corpus, habere debet dimenſiones, quæ nequeunt alias dimenſiones penetrare, vt docuit Ariſtoteles in 4. Phyſicorum à textu 8. Adde quod omnis ſubſtantia immaterialis eſt inuiſibilis, ac incorruptibilis, quorum oppoſitum lumini competit. Adde quod etiamſi concederetur, lumen quatenus corpus immateriale poſſe materialia corpora penetrare; id tamen ei in corpore ſui generis non liceret: at oculus comperit multa lumina in eodem ſpatio reperiri, que proinde ſeinuicem penetrant: vt nullius generis corporis lumen videatur.

Ratio 2. Secundo ſi lumen eſſet corpus, non poſſet tranſire de loco ad locum, niſi per motum, & ſucceſſiue: ſecus autem experimur dum lumen Solis ſtatim, & abſque tempore per totum Hemiſphærium effunditur; vt non videatur eſſe corpus.

Euaſio. Nec infringunt rationem dicentes motum luminis eſſe vtique ſucceſſiuum, ſed ita celerem, vt nobis inſtantaneus appareat:

Impugnatio. Quamuis enim id ſuaderi poſſit alicui de motu qui in breui ſpatio fieret: per longiſſimum tamen interualum quod eſt à Cælo ad nos interpoſitum, motus cuiuſque corporis neceſſario tantæ eſſet durationis, vt eam ſenſus decerneret.

Ratio 3. Accedit ratio, quam formauit Io. Gramaticus in ſecundo de Anima cap. de Viſu: quod ſcilicet omnis motus naturalis inanimatorum aut eſt circularis, aut aſcenſus, aut deſcenſus: ex quibus motibus nullus competit lumini, quod ſiquidem vbique poſitum ad omnes dimenſiones effunditur.

Ratio 4. Præterea aut eſſet corpus corruptibile, aut incorruptibile: non primum, quoniam neceſſarium eſſet vt per illius corruptionem aliquid aliud generaretur: quod non apparet: nec ſecundum; nam ignis lucernæ, ac cuiuſuis flammæ euidenter interit.

Ratio 5. Communiter etiam conceſſum eſt id quod in Prædicamento Quantitatis Ariſtoteles docuit: corpus ſcilicet non recipere magis, vel minus; ſed ſolum poſſe maius, vel minus euadere: Id non eſt alienum à lumine, quod paſſim intendi atque remitti conſpicitur.

Ratio 6. His accedit non eſſe corpus id quod non eſt ſubſtantia: Lumen autem non eſſe ſubſtantiam facile ex eo deprehenditur, quia nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſibilis: & lumen eſt per ſe viſibile.

Solutio 1. argument. Oppoſitæ autem rationes facile diluuntur: reſpondetur enim ad primam, quod lumen non aliter quam calor, albedo, & alia accidentia, non ex ſeipſo, ſed ratione ſubiecti eſt dimenſionibus præditum.

Solutio 2. Ad ſecundum negandum eſt lumen per ſe moueri; id enim proprie mouetur, quod ſecundum eandem numero ſui eſſentiam modo in vno loco, ac modo in alio reperitur; quod non competit lumini, quod vbicunque productum, ibidem ſemper manet; nec aliter quam per extinctionem exinde recedit: quod ſi lumen per feneſtram ingreſſum, ſui luminaris curſum inſequens, videtur per ſolium moueri, & ſenſim alium ſibi locum petere, id euenit, non per realem tranſlationem luminis; ſed quia partes quæ videntur antecedere, reuera de nouo producuntur, & partes poſteriores deſinunt eſſe: quemadmodum dum aliqua pars corporis igniti conſumitur, & pars vlterior illius corporis incenditur: calor qui fuerat in parte illa conſumpta, non migrat in partem vlteriorem, ſed ad interitum illius partis extinguitur, & nouus calor in alia parte producitur:

Inſtantia. Et ſi obijcias quod ſi ita res ſe habet de lumine vt paulatim produ-

Digitized by Google

producatur, ac pereat; videtur exinde per actum diuiſibilem: non in inſtanti produci. Reſpondebimus paulatim produci lumen illud non quoad eſſentiam, ita vt gradus ſuæ naturæ eſſentiales per ſucceſſionem acquirat; ſed ſecundum partes quantitatiuas; eſt enim quodcunque lumen veluti aceruum quodam ex multis homogeneis luminibus aggregatum; quibus non inconuenit vt proprijs productionibus,& interitibus ſint obiecta: Quamuis tutius ſit dicere: totum id lumen, quod inceſſanter producitur, & non habet eſſe niſi inquantum ex præſentia lucidi actualiter procedit, ſecundum omnes ſuas partes ſimul, ac inceſſanter confici. Et conſimiliter ſatisfit quæſito de imagine exiſtentis iuxta aquam fluentem; an ſcilicet ſit ſemper eadem, vel varietur. Etiam enim ipſa imago, cuius eſſe conſiſtit in fieri, nec aliud eſt quam actualis præſentia obiecti, in partibus aquæ ellongatis ab illo obiecto deſinit eſſe, & in partibus ſuccedentibus imprimitur, Quod idem eſt etiam de ſpeculo, ac de quocunque huiuſcemodi corpore, ſiue ſpeculum, ſiue ipſum obiectum, ſiue vtrumque illorũ moueatur. Et ſi quæras de Vmbra, an ex circumgiratione lucidi circa corpus aliquod circumgiretur & ipſa. Reſpondebitur negatiue; vmbra namque eſt mera priuatio, dicens ſolam negationem luminis: cui vt non enti moueri non competit: ſed quatenus partes ſpatij deſinunt illuminari: hinc conſurgit ibidem ex priuatione luminis vmbra. *Dilutio.* *Quæſitum de imagine, quæ apparet in aqua, & in ſpeculo.* *Satisfactio.* *Quæſitum de vmbra.* *Satisfactio.*

Radij ſolares non proprie mouentur, nec deſcendunt à Cælo, adeo vt cum prius eſſent ſuperius, tranſeant ad nos: ſed tantum procedunt à Sole tanquam à cauſa efficiente, à qua inſimul in toto ſpatio, tam ſcilicet procul, quam prope inijciuntur: quoniam enim lumen non eſt corpus; nec habet contrarium poſitiuum, quod illius productioni reſiſtat: propterea in ſpatio vbique bene diſpoſito vbi que Sol ipſũ ſtatim effundit. Sed dices nonne Sol illuminat partes à ſe remotas per partes propinquas; quia nil poteſt alterare extremum quin prius alteret medium: Ideo non ſimul videtur eos radios in omni parte ſpatij producere. Reſponſio erit quod ſolem illuminare extremum ſpatij per medium non arguit in medio prioritatem temporis; ſed tantum naturæ: quia ſcilicet nunquam extremum illuminaretur, niſi idem eſſet de medio: ſic etiam producens ignem producit calorem; quia calor dependet ex natura ignis; nec tamen eſſentialis ratio ignis eſt prior tempore quam calor: Quarto eadem, quæ & ſecundo inſeruit ſolutio. *Solutio 3.* *Solutio 4.*

Subſequenti reſpondetur quod reuerberari, reflecti, ac frangi: non dicuntur de Lumine niſi per Metaphoram, & ſimilitudinem quandam: quia ſcilicet quemadmodum mobile in obſtaculum offendens retrocedit: ita lumen dum obuians corpori denſo nequet vlterius diffundi, videtur retrorſum denuo ſe recipere; non quidem quia re vera idemmet lumen reuertatur; ſed quatenus ſuperficies illius corporis ab eo illuminati acquirit exinde vim, qua generat aliud lumen in medio: quapropter illa non eſt eiuſdem luminis reflexio; ſed alterius noui luminis, ſeu ſplendoris generatio. Quod idem euenit etiam de lumine, ac de coloribus ſpeculum attingentibus, à quo ſtatim in aere conſimile lumen, ſeu conſimiles colores inducuntur, quæ non ſunt eadem, quæ à ſpeculo recipiuntur: ſed alia ab ipſo producta. *Solutio 5.*

Iam patet etiam ſolutio ſexti; non eſt enim ille deſcenſus, vel progreſſus: ſed eſt tantum proceſſus luminis à corpore luminoſo, à quo in eadem parte ſpatij in eodem tempore conſtituitur. *Solutio 6.*

Septimum, quod Perſpectiuis naturales cauſas non obſeruantibus eſt difficile, facilem inuenit ſolutionem à Phyſicis noſcentibus id prouenire ex ratione Solis, qui cum ſit circularis, conſimilem ſphæricitatem in ſuis effectibus inducere nititur, dum non ſit impeditum, habeatq; locum operandi; vnde eſt quod ſi lumini per quadratam fineſtram ingredienti ſtatim obuiam ſit paries, vel aliud obiectum; tunc oblato ei tempore agẽdi, ſecundum quadratam figuram imprimetur: quod ſi per longam diſtantiam ad remotum obiectum protrahatur: tunc dato ei loco, ac tempore operandi, ad figurã orbicularem ſuæ naturæ conſentaneam ſe rediget: Idipſum comperitur *Solutio 7.*

H de aqua,

Digitized by Google

deaqua, quæ cum talem figuram naturaliter obtineat: propterea vbicunque, quomodocunque, ac quantacunq; effundatur ſemper ad ſphæricitatem inclinat. Sed *Inſtantia.* dices: hec rotunditas apparet nedum in lumine, quod immediate procedit à Sole; ſed etiam in eo quod prouenit ex alio corpore lucido; nam etiam ex quadrato ſpeculo illuminato producitur in pariete lumen ſpæricum: vnde videtur ſphæricitas non ex *Solutio.* ſole, ſed ex ipſius luminis natura dependere. Reſpondebitur id omnimode prouenire à ſole, qui ſecundum rationem ſuæ rotunditatis inijcit ſpeculo lumen, per cuius vim à ſpeculo alterum illud lumen producitur.

Solutio 8. Pro ſolutione octaui non eſt quidem inſequenda reſponſio dicentium: quamuis lumen ſit accidens, quoniam ſcilicet in ſui conſeruatione dependet ex cauſa efficienti: eſſe tamen accidens tale, quod non inhærret ſubiecto: ſed in ſeipſo conſiſtit: Hoc enim redarguit natura, ac definitio accidentis; cuius nimirum eſt alteri inhærrere: & per hoc à ſubſtantia diſtinguitur: Nec ſufficit illa dependentia ad hoc vt ſit accidens; cuncta enim entia in conſeruari, & in eſſe, à prima cauſa dependent, vt in tex. 100. primi de Cælo docetur: nec ideo omnia entia ſunt accidentia: Nec approbanda eſt aliorum aſſertio, quod ſcilicet lumen ſit tale accidens, cui de ſubiecto in ſubiectum migrare non repugnet: Haberet enim proprium corpus, ac eſſet per ſe mobile id quod de vno ſubiecto in aliud tranſire poſſet: vnde incidunt in idem abſurdum, quod per reſponſionem euitare connantur: Sed rectius eſt dicendum in aqua fluente non idem lumen migrare de parte in partem: ſed ſemper nouum lumen produci in illa parte aquæ, quæ apparet de nouo illuminata: ac deſinere eſſe id, quod inerat partibus, quæ lumine deſtituuntur: quoniam enim lumen facilime ex præſentia lucidi producitur per eiuſq; abſentiam pari facilitate deſtruitur, habetq; eſſe quod conſiſtit in fieri: ideo tantum id corpus illuſtrat, quantum ex ipſius lucidi præſentia actualiter emanat: ex quo quidem lucido non niſi in corpore, ſeu in partibus corporis ei obiectis producitur.

Solutio 9. Ad nonum reſpondetur primo quod dato etiam plura lumina in medio non miſceri: non inde ſequetur quod ſint corpora: quemadmodum & multæ ſpecies intentionales ſenſibiles, & intelligibiles, ſeu diſtinctæ, ſeu eiuſdem ſpeciei impermixtæ ſeruantur: Adde falſum eſſe quod plura lumina, ſeu elementaria, ſeu etiam ſimul elementaria ac cæleſtia, que ex ſe, & in ratione luminis eiuſdem generis ſunt, inuicem non miſceantur in ſpatio. Quod vero poſitis duobus luminibus, duæ ſequantur vmbræ eiuſdem corporis eo prouenit, quia cum vtrumque ex his luminibus partes omnes illius ſpatij, quibus non adſit impedimentum, illuminet: vnde ob geminatam cauſam ſpatium illuſtrius euadat: pars ſpatij poſita poſt corpus opacum, quod occultans ei præſentiam vnius lucidi impedit tranſitum illius actionis ad ipſam, cum careat eo vno ex duobus luminibus, euadit exinde reſpectu aliarum partium, quæ vtrumque lumen obtinent minus lucida, & vmbroſa: Et quia id contingit in duabus partibus ſpatij; ex quibus hec vni, & illa alteri lucido per intermedium illius corporis ex diametro opponitur, ac inde illius lumine deſtituitur: ſequitur inde eiuſdem corporis duplex vmbra; ſeu lumen remiſſius: vt propterea illa ratio, quæ tantum terruit Perſpectiuos, vt eos ad concedendam immiſcibilitatem luminum cogeret, nil vrgeat: cum quinimo oppoſitum ſuadeat: non enim partes, ad quas vtrumque lumen peruenit lucidiores fierent, quam illæ, quæ apparent vmbroſæ: niſi in illis lumina miſcerentur: Et exinde ruit alterum fundamentum dubitationis: hoc ſcilicet cognito, quod ex multiplicatione lucidorum intendatur lumen in ſpatio. Quod vero lumen lucernæ in comparatione ſolaris appareat album: negamus id prouenire ex ratione luminis per ſe, & quatenus luminis: procedit enim ex propinquitate lucernæ; conſiſtitq; illa apparens albedo in ipſamet lucerna, quæ non eſt lumen, ſed flamma.

Solutio 10. Reſpondetur ad decimum quod lumen quamuis incorporeum ad vehementem actionem eſt aptum, tum ratione ſui principalis, per cuius virtutem agit: quemadmo-

Digitized by Google

admodum & albus color per ſpiritualem eius actionem ex realitate tamen corporea
ſui principalis roboratam, valet oculos lædere, & ſpiritus agitare: ad quem ſenſum
habetur in libro de Motu Animal. quod entia in eſſe cognito mouent animal virtute
illius præſentiæ realis, quam repræſentant: tum etiam quia lumen, vt agens eminen-
tius, virtualiter. ac eminenti modo valet ad illas actiones, quas habent inferiora per
proprias formas.
Ad alterum dicitur eſſe vtique lumen qualitatem de 3. ſpecie, ſiue ad ipſam redu- *Solutio* 11.
cibilis nec tamen eſſe ex ordine primarum, vel ſecundarum, in quas ſiquidem diuidi-
tur qualitas propria rerum corruptibilium, ex quibus qualitatibus non eſt lumen,
quod propterea non habet contrarium, niſi priuatiuum.
Ex littera autem 42. textus ſecundi de Cælo colligitur quod non ex ſtællis tan- *Solutio* 12.
tum, ſed ex totali corpore cæleſti ex omnibus ſphæris aggregato, mouetur aer, qua-
tenus vnà cum igne in motum diurnum rapitur, & circunfertur, abſque hoc, quod
ad illud concurrat actio luminis; quod quinnimo ibi conſideratur vt effectus talis la-
tionis, quatenus ſcilicet ex illo motu conficitur ignis, cuius naturam vnà cum calore
ſequitur lumen; etſi non actualiter, facultate tamen, quia per appoſitionem com-
buſtibilis poteſt conficere flammam, quæ neceſſario præfert lumen. Quinetiam
quia dum corpus illud atteritur, perſpicuum redditur, ac inde peruium lu-
mini.

Quenam ſit Luminis entitas demonſtratur.
Cap. V.

QVI conueniunt in determinando lumen non eſſe corpus: cum pene-
tret corpora: ac in inſtanti vbique deferatur: Nec ſubſtantiam, cum
ſit per ſe ſenſibile: Nec quantitatem cum ſuſcipiat magis, & minus:
non recipiaturq; vt quantitas in prima materia; ſed ſubiectum actu
exiſtens expoſcat: at eſſe Qualitatem, ſeu ad illius prædicamentum
reducibile; cum ſenſum moueat, ac per ipſum illius ſubiectum dicatur, quale: diſſi-
dent tamen in aſſignando quodnam eſſe habeat in perſpicuo: reale ſcilicet, & vt di-
cunt principale, vel tantum ſpirituale & intentionale. Primam enim partem ſum- *Opinio ſtatuẽ*
pſit Ioann. Grammaticus Diſputation. in Proclum capite 7. & 8. & D. Thomas in *tiũ lumen ha*
ſecundo de Anima ſuper contextum 70. & in 1. parte ſummæ quæſt. 67. artic. 3. *bere eſſe rea-*
& ante ipſum Albertus: quinetiam Io. Bacconius, & Durandus vterque in 2. ſen- *le.*
tent. diſtinct. 13. addentes tantum eam cautionem: quod lumen, ac omne ſenſi-
bile per medium delatum, per reſpectum ad ipſum medium habet eſſe reale: per
relationem vero ad ſenſum habet eſſe ſpirituale, & intentionale: Ex quorum fun- 1. *Argum.*
damentis primum eſt: omne per ſe ſenſibile habet eſſe reale, & materiatum; non
tantum intentionale, ſpecies enim coloris vel ſaporis, non videtur, vel deguſtatur,
ſed tantum eſt medium, quo ſenſibile obiectum percipitur: at lumen per ſe ſen-
ſum mouet, & videtur: Ergo eſt ens reale. Rurſus actiones indicant rei naturam, 2.
adeo vt ſit ens reale, & materiatum id, a quo procedunt actiones reales, & materia-
les: Huiuſcemodi proueniunt a lumine, cuius eſt attenuare, & calefacere, quæ
ſunt alterationes non ſenſitiuæ tantũ, ſed & corruptiuæ: eiuſque eſt ſubſtantiam pro- 3.
ducere: igitur eſt quid reale, & forma in materia recepta. Adhuc non denominatur
medium per actiones ſpirituales, vt puta aer per ſpecies colorum: & denomina- 4.
tur medium à lumine. Addunt quod ſi lumen eſſet quid intentionale vt ſpecies rei
ſenſibilis, non requireretur ad illius viſionem altera ſpecies: quæ tamen requiri vi-
detur; quia Socrates in obſcuritate poſitus non videret lumẽ à ſe diſtans, niſi per ſpe- 5.
ciem intermediã. Inſuper niſi lumen eſſet quid reale, non videtur quomodo dum Lu-
nę communicatur à Sole poſſet euadere ipſi Lunę propriũ, & actus eius: quemadmo- 6.
dum nec ſunt proprie ſpeculi actiones, ſeu ſpecies colorum ab ipſo reflexæ. Conſimi-

liter quia color Iridis, qui non eſt aliud quam lumen refractum, non cenſetur ſpiritualis, ſed inter realia, & Meteorologica connumeratur; vt idem de quocunque lumine ſit exiſtimandum.
7. Ac denique quoniam ex Ariſtotele in ſecundo de Anima in cap. de Viſu, lumen eſt actus perſpicui, eſt tanquam eius color, ac id, per quod ipſum perſpicuum videtur: vt appareat in eo recipi tanquam in ſubiecto realiter: non intentionaliter tantum.

Euerſio. *Lumen habere tantum eſſe ſpirituale, & intentionale.* Oppoſitam autem partem tenet Ægidius in ſecundo de Anima ſuper textum 67. ac ibidem Caietanus Thien. concedendo lumini entitatem duntaxat intentionalem: nequaquam vero realem, & principalem: quod antea cognouerant Syrianus, & Iamblicus, expreſſitq; Priſc. Lydus ſuper Theophraſtum de Senſibus, & Auerroes in ſecundo de Anima comm. 70. inquiens lumen eſſe præſentiam intentionis in diaphano, ac etiam Scotus in 2. ſentent. diſt. 13. *Ratio 1.* Et ſubeſt ratio prima, quam formauit Ægidius in loco citato, quia ſcilicet ſenſibile reale poſitum ſupra ſenſum non poteſt ſentiri; vt de coloribus patet: & colligitur ex Ariſtotele in ſecundo de Anima tex. 73. quare ſi lumen haberet eſſe reale, tunc appoſitus oculo aer illuminatus non videretur ab oculo: cuius tamen contrarium experientia docet; *Euaſio.* Nituntur aduerſarij vim rationis infringere, dicentes: regulam Ariſtotelis quod ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem: intelligendam eſſe de eo ſenſibili, quod eſt terminatiuum ſenſus: non de ſpecie: quale confiteri videntur eſſe lumen: *Impugnatio.* At parum proficiunt; vel enim ſpecies hec eſt tantum intentionalis, & ſpiritualis: & ſic habetur intentum: vel habet entitatem realem, vt concedit Zabarella poſt hanc reſponſionem in primo ſuo lib. de Viſu, cap. 7. *Iacob. Zabarella.* & ſic egreditur conditiones ſpeciei; & quatenus ens reale, regulæ illi Ariſtotelis ſubijcitur: Adde falſum videri quod lumen non ſit terminatiuum ſenſus per ſe, ſed ſit tanquam ſpecies, ſpecies enim viſibilis (non quidem extra ſenſum; eam etenim in propria quæſtione negauimus, ſed per ſenſationem producta) dum repræſentat obiectum non percipitur à facultate cognoſcitiua, niſi ab intellectu per actum reflexum: de lumine vero aliter res ſe habet, ipſum enim quamuis non per ſe primo, & principaliter: tamen per ſe, & ſecundum propriam rationem à ſenſu viſus, & ab intellectu per actum rectum cognoſcitur: ideo colores apparentes, qui in reflexione luminis conſiſtunt (vt iam ſtatutum fuit) conſtituunt obiectum viſus, mouentq; illius organum, etiamſi in eo aliud lumen reperiatur: Nec dici poteſt lumen eſſe ſpeciem, vt ſenſibilis, aut intelligibilis; non enim repræſentat vt imago ſuum obiectum: ſed tantum opem fert illius viſibilitati, propriam inſimul rationem ſenſui manifeſtans. Inſuper quia ſi eſſet ſpecies, tunc ſiue recte procederis, ſiue reflexa, ſemper ſuum lucidum repræſentaret, quod non facit. *Ratio 2.* Secunda ratio eiuſdem auctoris eſt: Omnis forma, quæ ſecundum eſſe reale in materia recipitur, ſi materia habet contrarium, idipſum habet & ipſa; cum vnumquodque recipiatur per modum recipientis: Omne autem corpus perſpicuum in ſublunaribus habet contrarium; eſt enim elementum, vel elementatum: quare ſi lumen in eo reciperetur ſecundum eſſe reale, haberet contrarium: quod quoad contrarietatem poſitiuam euidenter eſt falſum.

Ratio 3. Conſimiliter arguitur quoniam qualitates illæ, quæ tanquam reales, & principales recipiuntur in ſubiecto, inferunt illi ſubiecto tranſmutationem, & recipiuntur in tempore per motum ſucceſſiuum: Lumen vero ſine tranſmutatione ipſius diaphani, ac in inſtanti recipitur.

Ratio 4. Quinetiam qualitates, quæ per eſſentiam realem in aliquo ſubiecto recipiuntur; ad motum illius ſubiecti mouentur: quod non contingit de lumine; quamuis enim ſuum perſpicuum agitatum à ventis, vel alia cauſa moueatur: ipſum nullatenus illius motum inſequitur; ſed tantum ſequitur motum ſui luminaris.

Ratio 5. Et pariter huiuſcemodi formæ, ſeu qualitates habentes eſſe reale, in ſubiecto receptæ, taliter ei inhærent, vt etiam illarum cauſa recedente aliquandiu in

illo

Digitized by Google

illo perſeuerent, vt apparet de calore in aqua ab igne diſtracta: quod non euenit de lumine, ſuum enim ſubiectum deſerit ſimulatque lucidum eius recedit: vnde Simplicius in ſecundo de Anima 67. recte obſeruabat; lumen non eſſe in perſpicuo vt in ſubiecto, quoniam ab illo ſeparatur, & ſequitur luminoſum ei iunctum.

Arguitur etiam quoniam corruptibile, & incorruptibile non videntur poſſe in eadem qualitate communicare; ſed entium diuerſorum in genere diuerſæ debent eſſe formæ, & accidentia: lumen vero indiſtincte Cælo, & ſublunaribus ineſt: Quare non videtur habere entitatem abſolute realem. *Ratio 6.*

Inſuper quoniam ſi ſecundum eſſe reale recipitur in perſpicuo tanquam in ſubiecto; aut in illo inducitur, & ſic vel creatur, vel migrat de ſubiecto in ſubiectum: aut educitur; & ſic oportet vt educatur per tranſmutationem ſui perſpicui; vt contingit de omnibus formis, quæ ex ſubiecto educuntur: quod tamen perſpicuo in luminis productione non accidit. *Ratio 7.*

Ac denique videtur idipſum teſtari Philoſophus in ſecundo de Anima tex. 69. ac in lib. de Senſu & Senſilibus inquiens: lumen eſſe præſentiam lucidi: ſtatuere enim voluit, lumen non eſſe tale ens quod habeat entitatem perfecte realem, ac vt dicunt principalem: at eſſe quid intentionale; cum ſit imago, & repræſentatio ſui obiecti, cuius præcipua ratio, ac eſſe in ipſius obiecti repræſentatione conſiſtere videtur: at non quidem quia ſit mera intentio; cauſat enim effectus reales; & eſt per ſe ſenſibilis viſui, eſtq; realis actio corporis luminoſi: ſed ita dicitur ob tenuitatem illius entitatis, quæ propterea dicitur entitas ſpiritualis: quia ſcilicet non habet entitatem virtualiter, ideſt cauſaliter; nec per propriam rationem; ſed per repreſentationem: vnde non eſt ens per perfectam, & principalem realitatem: ſed tantum per diſtinctionem à non ente; eſt enim realis actio lucidi; ex cuius virtute, non autem ex propria videtur effectus producere; cum ita in operari vt in eſſe ex ſola proceſſione à corpore luminoſo pendeat, & conſiſtat. *Ratio 8.* *Quæ ſit entitas luminis.* *Non eſt pure intentionalis.* *Eſt ens ſpirituale.*

Ex contrarijs vero rationibus ad primam reſpondetur non recte inferri realitatem perfectam in lumine ex illius viſibilitate, quam non habet per ſe, & primo; eſt enim lucidum id, quod principaliter videtur, dum conſequenter apparet & lumen tanquam illius præſentia: vnde Simplicius in ſecundo de Anima 74. aiebat: in perſpicuo non videri lumen: ſed per ipſum lucidum & colores inſpici; non enim videtur niſi in aliquo ſolido repercuſſum; vt dum videtur in nubibus: quod contingit eo modo, quo inſpicitur imago rei in ſpeculo repercuſſa: tunc enim non ipſa imago; ſed res ex imagine repræſentata, eſt id quod oculus cernit: Et ſi quis id comprobatum optet, colligat exinde rationem, quod omne viſibile aut eſt color, aut lumen; ex quibus ſiquidem obiectum viſus conficitur: & nullum ex his eſt imago: Quare illa non eſt viſibilis. Quinetiam quia rei imago debet eſſe in ſuperficie ſpeculi: & id, quod inſpicitur, longe à ſuperficie apparet. Communiter etiam viſio, quæ fit in ſpeculo, dicitur eſſe reflexa: quod non eſſet ſi videretur imago, ea enim à ſpeculo ad oculum recta linea fertur: Si quis verò reſpondeat videri quidem rem viſione reflexa: at imaginem recta: Ingereret hoc cuilibet tali viſioni neceſſitatem duplicis inſpectionis, ſeu circa duplex obiectum: rem ſcilicet principalem, ac imaginem. Accedit quod ſpecies viſibilis ab illius aſſertoribus exiſtimatur (non aliter quam omnes ſpecies ſenſibiles & intelligibiles) homogenea; ac proinde in quacunque ſui parte totum obiectum repræſentans: ſed diſtinctæ partes ſpeculi diſtinctim partes obiecti repræſentant: Quare id quod videtur, non eſt imago, ſeu ſpecies; ſed ipſummet obiectum viſibile: in quo iudicio auctores habemus Perſpectiuos, præſertim Vitellionem in libro 5. ſuæ Perſpectiuæ: ac Ciruelum in libro ſecundo cap. 2. atque ex Peripateticis quamplures. *Solutio primæ rationis aduerſæ.* *In ſpeculo nõ videri rei imaginem, ſed rẽ ipſam.* *Ratio 1.* *2.* *3.* *4.*

Nec obeſt quod res in ſpeculo non videatur in ſuo proprio ſitu: nec ſe- *Obiectio.*

cundum eandem magnitudinem, quæ ibi frequenter maioris molis, vel diminuta ſe oſtendit; vt ſuadeamur non rem, ſed aliquam imaginem inſpici. Prouenit enim apparentia illa variatæ ſituationis ex reflexione viſionis, in qua oculus non ab ipſo obiecto in ſuo loco exiſtente, vt fit in viſione recta; ſed à ſpeculo, à quo repercutitur, principium ſuæ ſpeciei viſibilis, ſcilicet excitamentum actus ſuæ viſionis deſumit: Quod vero obiectum maius, vel minus appareat, procedit ex diſpoſitione ſpeculi, quod ſit concauum, aut conuexum, aut aliter diſpoſitum: ex qua viſione obiecti alterata ſecundum quantitatem, non licet inferre, quod non videatur ipſum obiectum: quemadmodum nec dubitatur ipſummet inſpici ab eo, cui ob diſtantiam, paruus apparet.

Solutio.

Obiectio. *Solutio.* Nec etiam officit obiecta experientia de ſpeculo ſuper caput poſito, in quo pars obiecti ſuperior apparet infima. Id enim eo prouenit, quia quæ pars rei obijcitur ſpeculo, ea euadit facies, quæ primo ab eo repræſentari debet: & ſucceſſiue de alijs partibus: eo propinquiores ab eo repræſentantur, quo propinquius ei apponuntur.

Obiectio. *Solutio.* Obijci etiam ſolet quia, fracto ſpeculo, in multis illius partibus non vnica, ſed plures eiuſdem obiecti imagines apparent. Cui reſpondetur quod res viſibilis ſui ſemper imaginem inijcit ſpeculo, ſeu alio conſimili corpori: ideo ſi partes eiuſdem ſpeculi, ſeu fracti, ſeu non fracti (dummodo ſint in diuerſis ſituationibus) ei apponantur: cuilibet ex illis eandem ſui imaginem impertitur: quod non facit in multis ſpeculis ei ſecundum eandem ſituationem obiectis.

Obiectio. Occaſionem etiam obijciendi, qui aliter opinantur elliciunt ex verbis Ariſtotelis in tertio Meteorologicorum in cap. 4. ſeu 3. ſecundæ ſummæ: quibus refert de quodam (ſignificare volens Antipherontem Oretanum) cui ambulanti ſemper ſui ſimulacrum præcedere videbatur: hinc inferentes ex ſententia Ariſtotelis hominem illum, non ſemetipſum, ſed ſui ſimulacrum in aere tanquam in ſpeculo inſpexiſſe.

Solutio. Reſpondetur primo Ariſtotelem ibi aſſignando id quod videbatur, nominare ſimulacrum, & non ipſum obiectum principale: quia illuc populariter, & ad aures aliorum loquebatur: ac ſub nomine ſimulacri, ipſummet obiectum ſignificaſſe: non enim ille erat locus determinandi an obiectum vel eius imago videatur. Ideo cauſam illius apparentiæ aſſignans Philoſophus inquit, habuiſſe hominem illum viſiuam facultatem adeo imbecillem, vt radij exeuntes ex illius oculis, non poſſent proximum aerem ſuperare, vt vlterius progrederentur: ſed ab illo, veluti à ſpeculo repercuſſi ad oculos redibant: ac exinde Antipheron ſuam formam intuebatur. Et hoc concordat ei dicto eiuſdem Ariſtotelis in ſecundo de Anima 80. quod ſcilicet de ſono pariter, ac de lumine accidat, vt fiat ſemper ex medio aliqua repercuſſio, quamuis non ſit ſemper conſpicua: quia ſcilicet eſt exilis ob tenuitatem illius corporis intermedij: Cauſam etiam eiuſdem euentus aſſignans Alexander dicebat id prouenire ex nube in oculo genita, quæ quamuis ab eo vt quid exterius iudicaretur: ipſi tamen erat interna: Quæ quidem deceptio credibilis eſt de homine illo, cui hebes fuit mens adeo, vt Ariſtoteles in lib. de Memoria & Reminiſc. capite 2. referat de eo, quod omnia, quę imaginatione concipiebat, tanquam facta, & memorata narrabat: Quamuis id etiam accidere poſſit in homine ſanæ mentis, cui imbecilli ſint oculi, adeo vt aſſiduus humor craſſus in eis defluat; in quo tanquam in ſpeculo illius imago recipiatur, adipſoſq; oculos repercutiatur: in qua quidem viſione pariter vt de illa, quæ fit in ſpeculo, vere dicitur quod, non imago: ſed ipſummet obiectum principale perſpicitur.

Solutio 2. rationis. Ad ſecundam ex rationibus principalibus reſpondetur: actionem ſpiritualem vim habere quatenus agit virtute ſui principalis: ex cuius robore valet etiam ad actiones phyſicas: quemadmodum & actio albedinis quamuis non habeat ex ſe entitatem realem perfectam, & principalem: ex vi tamen ipſius albedinis, valet agitare ſpiritus, & oculum lædere: Quod vero ſubſtantiam producat falſum eſt: non aliud enim efficit lumen, niſi quod virtute lucidi diſponit ſubiectum pro conſtitutione rei ſubſtantialis.

Sub-

Digitized by Google

Subſequenti dicimus: denominari ſubiectum ex qualecunque actu, ſecundum ta- *Solutio 3.*
men rationem illius actus: ſiue ſcilicet eſſentialiter, ſiue accidentaliter, ſiue etiam in-
tentionaliter, adeo vt, etiam ſpecies illæ colorum in argumento commemoratæ, ſi
darentur: perſpicuum, in quo reciperentur, ſecundum earum conditionem denomi-
narent: quemadmodum vere dicitur quod tale perſpicuum eum habet actum, & con-
ditionem, vt peruium ſit oculis ad hæc, vel ad illa obiecta viſibilia.

Ad quartam negamus quod ad viſionem concurrat illa ſpecies: & fundamentum *Solutio 4.*
eſt nobis idem, quod nobis obijcitur de oculo in tenebris poſito: qui cum rem ab ipſo
diſtanter ennitentem intueatur: nec prope habeat lumen, quo ſpecies illuminari poſ-
ſet; teſtis eſt non per ſpeciem aliquam intermediam; ſed per ipſiuſmet obiecti princi-
palis intuitum, ſe videre.

Ad alterum reſpondemus quod lumen Solis quamuis ens ſpirituale; in virtute ta- *Solutio 5.*
men ſui lucidi auget, & perficit lumen Lunæ: euaditq; illius actus aptius quam ima-
go in ſpeculo, quæ non habet entitatem ſpiritualem, ſed tantum intentionalem.

De Iride dicimus quod: quia conſtat ex nube, quæ eſt quid Meteorologicum, ac *Solutio 6.*
ex illa realitate ſpirituali, quæ eſt præſentia lucidi, iure inter Meteorologica connu-
meratur.

Patet & ad poſtremam rationem ſolutio: lumen enim recipitur in perſpicuo non *Solutio 7.*
tantum intentionaliter, ſed ſecundum eſſe ſpirituale: ideo cum cauſa ſit vt ibi inexi-
ſtentia ſint viſibilia, iure dicitur actus perſpicui: & quia per ipſum videtur perſpi-
cuum eo modo, quo videntur colore prædita per colores; proinde dicitur tanquam
eius color: ac id, per quod ipſum perſpicuum videtur.

Quæſitis aliquibus de Lumine occuritur. Cap. VI.

COntingunt nonnulla de Lumine non prætereunda quæſita: & primo *Sitne illumi-*
an illius actio, nempe illuminatio immanens, vel tranſiens ſit: Pro cuius *natio imma-*
rei explicatione prænotandum eſt proprie immanentes, vel tranſeun- *nēs actio, aut*
tes eſſe rerum actiones principales: non meras ipſarum rerum appari- *tranſiens.*
tiones, ſeu (vt dicunt) imitationes; qualis eſt illuminatio: At (quamuis *Satisfactio.*
minus proprie loquendo) dicenda videtur actio tranſiens; tranſit namque in extrin- *Ratio.*
ſeco obiecto, ac in perſpicuo, que illuminat: ac proinde obiectum viſibile, ac perſpi-
cuum à lumine denominantur, quod non fit de ipſo lucido, cui ſcilicet non hæret
actio illuminationis, ſeu lumen, ſed tantum lux; quæ eſt velut fons luminis. Acade-
mici vero, qui ſecus opinantur, vt de Platone refert Io. Gramaticus in 1. Diſputatio- *Platonis re-*
ne aduerſus Proclum, haud ſolido innituntur fundamento: quod ſcilicet lumen fun- *probatio.*
datur in luce tanquam in ſui radice, ac conſeruante: Non enim inconuenit quod actio
tranſiens, ſui eſſe habeat principium, & fundamentum. Nec pariter valet quod lu-
men ſe habeat ad lucidum vt vita ad animam: vnde cum vita ſit actio immanens; vt
habetur in nono Metaphiſices tex. 16. idipſum ſit de lumine exiſtimandum: Reſpon-
demus enim vitam eſſe actionem immanentem ſi comparetur ad totum compoſitum
ex anima & corpore: ex quibus iunctis vita, ac quicunque alius effectus viuentis ani-
mati reſultat: ſi vero comparetur ad animam vt ad eius cauſam principalem: ſic eſt
actio tranſiens in corpus, eo modo quo tranſit lumen ad corpora illuminanda.

Quæritur adhuc de complicatione ipſius luminis cum perſpicuo, an ſit neceſſaria: *An poſſet lu-*
vel etiam per ſpatium vacuum ipſum lumen ſeruari, ac deferri poſſet: Nec deeſt vti- *men per va-*
que ratio partem affirmatiuam efficaciter ſuadens: Prætermiſſo enim quod lumen in *cuũ deferri.*
eſſe, ac in conſeruari dependeat non ex illuminato, ſed ex illuminante: Quia ue lumen *Fundamenta*
eſt qualitas omnium prima dependens à Cælo, à quo quamuis ad externa tranſeat; *partis affir-*
videtur nihilominus immanens in ipſis cæleſtibus lucidis; ac proinde ſublunari ſu- *matiua.*
biecto non indiga: Ac quia ex Cælo procedens recte deſcendit: nec egere videtur ali-
quo ipſum veluti fulcro ſuſtinente: Quoniamue ſi ſubiectiue reciperetur in medio
tanquam in neceſſario ſubiecto: non videtur quomodo poſſet per ipſum momento

tem-

Digitized by Google

temporis effundi, quod non fit de eis, que neceſſarium ſubiectum requirunt. Ac cum ipſum non ſit accidens; cuius eſt ſubiecti fulcimentum optare. In quo quidem ſubiecto ſi reciperetur; tunc ei (ipſo etiam luminoſo recedente) inhærreret: nec ſtatim euaneſceret. Quinetiam quia lumen eſt actus ex aliquo ſubiecto, ſeu luminari emicans: nec neceſſario tranſiens in ſubiectum: ſed à quo ſubiectum ex accidenti (ſi forte ei ſubſit) patitur: præterq; alias huiuſmodi rationes, quas habes apud Plotinum qui talis fuit ſententiæ, in 4. Enneade, lib. 5. cap. 6. & alios: Fortius id ſuaderi videtur ex eo quod lumen, ideſt præſentia, ſeu actio lucidi, eſt quid ſpirituale, cuius non eſt inhærrere ſubiecto, vt materialibus competit: Quare videtur poſſe etiam in vacuo ſeruari. Eoq; magis quia non videtur requiri corpus medium pro vehiculo deferrente lumen: ſed ſolum illius corporis forte interiecti requiri diaphaneitatem; ne ſcilicet opacitate impediat oculis aſpectum obiecti: vnde quo minus in intermedio adeſt de opacitate, ac denſitate; eo validius obiectum luminoſum ſe oſtendit: quare vbi nihil eſſet de opacitate, & denſitate, vt in ſpatio inani; ibi peroptime ſe lumen manifeſtare deberet. Quæ probatio conformis eſt diſcurſſui habito à nobis in Quæſtione de Vacuo ad oſtendendum quod, dato vacuo contingeret in eo motus: Prætermiſſa enim ratione, qua Ariſtoteles in quarto Phyſicorum ad improbandum vacuum deducit ad illud inconueniens, quod ſequeretur in eo non fieri motum ſucceſſiuum: quę quidem eſt ratio ad hominem: ſuppoſita ſcilicet doctrina antiquorum ei tunc aduerſantium, quod tota ratio motus ſucceſſiui procedat ex reſiſtentia corporis intermedjj, quod non eſt verum: tute ſtatuitur quod dato ſpatio vacuo, in quo nulla fieret reſiſtentia mobili: illud per tale ſpatium facilime duceretur.

Fundamenta partis negatiuæ ſoluuntur.

Rationes etiam oppoſitum ſuadentes non adeo vrgent, vt vim inferre videantur: Cum enim arguitur quoniam actus non poteſt eſſe ſine eo, cuius eſt actus: vnde cum lumen ſit actus perſpicui, vt habetur ab Ariſtotele in ſecundo de Anima 69. non poſſit eſſe ſine corpore perſpicuo. Id facile eſſet diluere reſpondendo quod abſque re actuata non poteſt exiſtere actus cum illa reduplicatione: quatenus eſt actus: non autem id eſt verum abſolute: vnde ſublato corpore illuminato, ceſſaret id lumen eſſe actus eius: non tamen amitteret ſuum eſſe abſolutum: Et adhuc ſine actuato nequet actus inhærrens ei vt accidens ſubiecto, ſeu vt forma ſubſtantialis in corpore extenſa, quorum eſſe ex potentia illius materiæ eſt eductum: lumen vero non ita ſe habet ad illuminatum: Vnde quemadmodum intellectus diuulſus à corpore humano, Intelligentiaue diſtracta à ſuo orbe, ſi id contingeret, non ammitterent ſuum eſſe: pariter & dempto corpore illuminato, lumen non abſolute deficeret: quamuis enim periret actus illius illuminationis: ipſum tamen lumen quoad ſuam eſſentiam ſeruatus vlterius per vacuum progrederetur ibi illuminationem allaturus, vbi corpus inueniret: Cum etiam arguitur quia nulla qualitas exiſtere valet ſine ſubiecto: Reſponderi poſſet id eſſe verum de qualitatibus proprie ſumptis, & materialibus, qualis eſt ipſe actus illuminationis, qui propterea non poteſt eſſe abſque corpore actualiter illuminato: ipſum vero lumen, quod non eſt aliud quam præſentia lucidi, habens entitatem intentionalem, & ſpiritualem, præter illius ſubiectum productiuum, non videri aliquo egere ſubiecto receptiuo, niſi vbi ſuam illuminandi actionem eſt habiturus: Et ad rationem quia: omne quod repræſentat, & imitatur aliquid (vt facit lumen de lucido) requirit medium, per quod repræſentatio, & imitatio fiat. Reſponderetur opus eſſe medio vbi fit ipſa repræſentatio: nimirum in corpore illuminato: in vacuo autem talis repræſentatio non fieret: Nec cogere videtur ea ratio Piccolominei in libro de Viſu cap. 10. quia ſcilicet cum accidens ob diminutam eius eſſentiam egeat fundamento, longe magis ens ſpirituale, quod eſt tenuioris entitatis ſubiectum requirat: Soluetur enim obſeruando quod accidentia materialia diuerſi generis inſtituta, deſtinataq; ſunt vt ſubiecto taliter inhærreant, quod nedum quoad exiſtere: ſed etiam quoad productionem ex ipſo pendeant, ex cuius potentia educuntur: vt propterea ex maxima illorum conformitate arctior ille nexus euadat: lumen vero cum ſit accidens ſpirituale, quod minorem habet ſympatiam cum corpore, ac

cum

cum ſubiecto; minus etiam illius complicationi eſt obnoxium.

Quod vero magis in hoc vrget eſt textus 74. ſecundi de Anima in quo contra Democritum determinatur, quod interpoſito ſpatio inani, impoſſibile eſſet obiectum ab oculo perſpici: Vt propterea quamuis ingens ſit robur oppoſitarum rationum: ad morem tamen Ariſtoteli gerendum eas prætermittentes aſſeremus: neceſſarium eſſe intermedium corpus perſpicuum, per quod tranſeat ad oculos aſpectus luminoſi: Reſpondentes vniuerſaliter ad argumenta cōtraria: medium eſſe neceſſarium, vt in eo fundetur lumen, quod cum non ſit ſubſtantia, ſemper eget fulcimento alicuius corporis, ſine quo nec eſſe, nec progredi poſſet. *Ariſt. determinatio.*

Quæri etiam ſolet de lumine, ac de cæteris viſibilibus, quod nam medium inter ipſa ac ſenſum requirant: Circa quod concordes omnes de neceſſitate alicuius medij iuxta aſſertionem Ariſtotelis in ſecundo de Anima 73. quod coloratum poſitum ſupra ſenſum non videbitur: diſcrepant tamen in determinando, quale ſit hoc neceſſarium medium: Philoponus enim, & Plotinus putarunt neceſſarium eſſe ſolum medium oculo internum: externum vero nequaquam, his fundamentis: primo quia ſi per intermedium tenebrarum (quæ potius impedimento ſunt, quàm auxilio viſioni) lucidum à longe poſitum videmus: facilius videmur poſſe id ſine medio intueri. Denuo quia ſi color agit in perſpicuum externum pariter debet poſſe agere in perſpicuum internum oculi: vnde per ipſum medium oculo internum abſque externo medio, ſaluatur ipſius medij requiſitum. Inſuper quoniam cum medium non conficiat viſibile; ſed tantum illius actiones deferat; videtur potius ipſam viſionem minuere, quam perficere: vt validius moueatur ſenſus à viſibili immediate. Demum quia laborantes ſuffuſione alicuius coloris in oculo, vident ipſam: & hoc quia ſit illa ſuffuſio circa tunicam oculi corneam, inter quam, & partem cryſtallinam, in qua ſit viſio, intermediat pars albuginea perſpicua: Quare videtur illud medium ſufficere: nec aliud medium externum pro viſione requiri: Quæ ſententia non videtur approbanda, ipſius enim viſionis totus oculus eſt inſtrumentum, de quo in præcitato loco inquit Philoſophus quod poſito ſuper ipſum ſenſibili non videbitur. Inſuper quoniam obiectum coloratum non mouet oculum ad videndum, niſi per lumen medium: Quare neceſſarium eſt medium aliquod illuminatum extra oculos, per quod illud obiectum moueat. Præterquam quod opus eſt lumine ad hoc vt illuminando viſibiles reddat colores: quod quidem non ſit niſi extra oculos in medio externo. *Quodnā mediū inter obiectum, & viſum requiratur.* *Opinio Io Grāmatici & Plotini.* *Fundament. quadruplex.* *Reprobatio.*

Quo vero ad fundamenta: circa id quod dicitur de tenebris: eſt communis ferè ſententia quod, is qui exiſteret in omnimodis tenebris nil videret: ſed ſi videt, ideo eſt, quia ex illo quantumuis diſtanti obiecto illuminato aliquid luminis obſcuro illi loco præbetur, quod ad viſionem ſufficit. Adde quod ſi obeſt obſcuritas prope videntem, longe magis impediet contactus ipſius viſibilis cum oculo, ex quo prouenit obſtructio, & abſoluta viſionis euerſio. Quo ad ſecundum conſequentia videtur inefficax: cum enim color agat in oculo per m ed um luminis; ideo neceſſarium eſt ei medium illuminatum antequam ad oculum perueniat. Præterquam quod actio viſibilis, cum ſit ſpiritualis, debet fieri leniter, & moderate: non illa vehementia, quæ contingeret ſi res viſibilis ipſum inſtrumentum viſus attingeret. Ad tertium dicimus non inutiliter medium deferens actionem ſpiritualem viſibilis ipſam mitigare, & remiſſam oculo permittere. De ſuffuſione vero negatur quod ipſamet videatur ab oculo, cui tantum eſt impedimentum ad viſionem externorum, non quidem abſolute, quando humor non ſit valde denſus: ſed tantum, vt que vltra ipſam videntur appareant eiuſdem coloris, eo modo, quo intuentibus per inſpicilla colorata res omnes illius coloris appareant. *Solutio fundamenti.* 1. 2. 3. 4.

Propterea medium ſe in hoc præbens Simplicius inquit pro viſione colorum neceſſarium eſſe medium etiam extrinſecum: at pro viſione lucidi ſufficere medium oculo intrinſecum quoniam lucidum, niſi ſuffocet organum viſus poteſt abſque medio videri; illius enim actio ſpiritualis ſine medio extrinſeco valet inſtrumentum ſenſus attingere, & ab ipſo ſentiri. *Opinio Simpl.*

Sed

Digitized by Google

Opinio approbata.

Sed rectius dicere videntur alij requiri vtrumque medium ad viſionem vtriuſque generis obiectorum iuxta præallegatam rationem Ariſtotelis in 73. ſecundi de Anima: quia ſcilicet coloratum tangens viſum non videretur: quod quia prolatum fuit præcipue de colore, propterea iure dicitur pro viſione colorum medium externum eſſe neceſſarium abſolute: ob viſionem vero lucidi requiri tantum ad exquiſitiorem, perfectam, ac diſtinctam inſpectionem; quamuis enim etiam ſine illo medio lucidum videretur, id fieret confuſe, per vehementem motionem obiecti, quod inſtrumentum viſus nimis diſgregando, & agitando perturbaret, & confunderet.

An lumen ſit neceſſarium propter obiectum, mediũ, aut inganũ.
Opinio Auempacis & Auicenna.

Maior autem fit altercatio circa lumen dum ſtatuto quod neceſſarium ſit ad vi-
ſionem, quæritur an illius officium inſeruiat obiecto, medio, vel ipſo viſus inſtrumen-
to: Auempaces enim ex relatione Auerrois in ſecundo de Anima comm. 67. & Aui-
cenna lib. 6. Naturalium part. 3. cap. 1. inquiunt requiri lumen propter obiectum,
& non propter aliud: cuius aſſertionis anterior pars facile ſuadetur: Requiritur enim
lumen ad res manifeſtandas, & viſibiles reddendas: quod videri debet eſt obiectum:
quare lumen eſt neceſſarium pro obiecto. Conſimiliter quia requiritur lumen vt au-
xilium præbeat rei materiatæ ad ſpiritualiter agendum: quod facere debet color. In-
Fundam. 1. ſuper ex ratione Lynconienſis, quia ſcilicet albedo ideo viſum diſgregat, & magnum
2. inducit fulgorem, quia multum includit de lumine. Experientia etiam comperitur
3. lumen in ſpatio aliquo non videri niſi ex opaco aliquo obiecto inibi exiſtente refle-
4. ctatur: vnde eſt quod radij ſolares, qui in nocte tranſeunt per aerem, & ſtællas illumi-
5. nant, ſunt inuiſibiles nobis. Habeturq; de hoc teſtimonium Ariſtotelis, qui in ſecun-
do de Anima tex. 86. dat illam comparationem: quod acutum & graue non perci-
piuntur abſque ſono, eo modo, quo non videntur colores ſine lumine: ſignificans
quod quemadmodum ſonus coniunctus eſt acuto, & graui, ita lumen iunctum ſit co-
6. lori, ac cum eo idem quodammodo fiat. Ac in tertio de Anima 18. ait lumen reddere
potentia colores, colores in actu: Secunda vero pars prædictæ aſſertionis, quod ſcili-
cet lumen non alteri quam obiecto inſeruiat: probatur ex Auempace ſecundum præ-
1. citatam relationem: primo quia omne recipiens debet eſſe denudatum à recepto: &
medium viſionis recipere debet colorem qui non diſtinguitur à lumine: vt propterea
2. medium, ſcilicet perſpicuum, debeat lumine carere. Inſuper obiectum cuiuſque vnius
potentiæ cognoſcitiuæ debet eſſe vnum, vel reducibile ad vnum: videntur autem lu-
men ac color: ex quibus lumen non reducitur ad colorem; non enim definitur per co-
lorem, ſed e contra color definitur per lumen: quare vnica natura viſibilis eſt lumen,
ad quem redigitur color: ac propterea neceſſarium eſt lumen pro cauſanda viſibili-
3. tate coloris. Idipſum eo probatur ab Auicenna quia illuſtrato aliquo ſpatio nil vide-
tur, niſi lumen attingat obiectum, quo facto ſtatim apparet abſque eo, quod ſpatium
illuſtretur: vnde exiſtens in obſcuriſſimo loco inſpicit per foramen colores externos,
qui deueniunt ad eum per medium tenebroſum: & Ariſtoteles in quinto de Gene-
ratione Animalium cap. 1. inquit, oculum inexiſtentis in profundo puteo poſſe in
4. die ſtællas inſpicere. Demum quia ſenſibilium actiones perueniunt ad ſenſus inter-
nos expertes lumine: Quare pro obiecto tantum, non alio autem illuminando requi-
ritur lumen. Ab obiectione autem deſumpta ex Ariſtotele in ſecundo de Anima 67.
dicente: colorem mouere perſpicuum, ſcilicet illuminatum: Se tuebatur Auempaces
inquiens quod, mouere perſpicuum actu, ſignificat, redigere ipſum perſpicuum ex
potentia ad actum: quod facit de eo color illuminatus, dum ſimul ipſum illuminat,
& colorat. Et Auicenna in præcitato loco ait quod perſpicuum vt ſit actu, non requi-
rit receptionem luminis per ſe: ſed tantum requirit illuminationem obiecti: qua ha-
bita, ipſum dicitur eſſe actu.

Opinio Auer.
Ex oppoſito Auerroes in præcitato 67. ſecundi de Anima inquit lumen eſſe ne-
Fundam. 1. ceſſarium pro medio, & non pro obiecto: cuius bipartitæ aſſertionis primam partem:
quod ſcilicet lumen requiratur pro medio probat ex definitione coloris tradita in ſe-
cundo de Anima 67. quod ſcilicet ſit id quod mouet perſpicuum actu: vnde videtur
2. præſupponere perſpicuum iam illuminatum: Pariter & ex definitione luminis in

textu

Digitized by Google

textu 69. quod ſit id, quod mouet perſpicuum vt perſpicuum eſt. Inſuper & in 3.
textu eiuſdem operis 73. inquit Ariſtoteles colorem eſſe motiuum perſpicui actu illuſtrati: ac ibidem docet coloratum ſuper viſum poſitum propterea non videri, quia oportet vt obiectum ipſum coloratum prius moueat medium, ac deinde à medio moueatur ſenſorium. Arguuntq; exinde quoniam ſemper agens requirit pro- 4.
portionem, & congruam diſpoſitionem in paſſo: & talem in medio diaphano paſſibili ab obiecto, dicunt eſſe lumen: ac proinde ipſum lumen ab intermedio requiri. Secundam vero partem aſſertionis, quod ſcilicet non requiratur propter obiectum: eo probat Auerroes quia ſi color fieret motiuus perſpicui, & viſibilis, à lumine: non eſſet viſibilis per ſe, ſed ex alio: at ex Ariſtotele color eſt per ſe viſibilis in ſecundo 1.
modo per ſe: quare non recipit viſibilitatem à lumine. Deinde quia obiectum non 2.
recipit lumen, ſed ipſum reflectit, ac repercutit. Quiaue quemadmodum obiecta re- 3.
liquorum ſenſuum non per aliquod exterius acceptum, ſed per propriam formam, mouent ſenſum: idipſum & de colore obiecto viſus exiſtimandum videtur. Præte- 4.
rea vim faciunt potiſſimum in præallegata definitione luminis, qua non dicitur ipſum eſſe actum coloris, ſed tantum perſpicui: diciturq; eſſe actum perſpicui interminati: vnde cum coloratum ſit terminatum: non inde videtur lumen ad ipſum attinere.

Albertus Mag. propterea rationibus vtriuſque partis obtemperans concedit requiri lumen inſimul pro obiecto, ac pro medio: quod approbauit etiam D. Thomas in prima parte ſummæ quæſt. 79. artic. 3. in primo contra Gent. cap. 76. ac Quæſtione de Veritate 80. artic. 14. quamuis in ſecundo de Anima cap. de Viſu Auerroi magis aſſentiri viſus fuerit: & cum eo Apollinaris in ſecundo de Anima. *Opinio Alb.*

Alia demum eſt ſententia ſtatuens neceſſitatem luminis nedum pro obiecto, ac perſpicuo: ſed etiam pro inſtrumento viſus: quod antea credidit Pythagoras: mox Plato, qui in ſexto de Republica lumen vocabat vinculum quo videns cum obiecto viſibili iungitur: vocauitq; oculum, ſolarem: ac in Timæo ipſum dixit, igneum: vt fecit Galenus qui in decimo de Vſu Partium ob lumen quod pro ipſo requiritur, ſimul nuncupauit eum ſolarem, & igneum: eiuſdemq; fuit ſententiæ Simplicius in ſecundo de Anima 74. & 75. & Scotus in 2. Sentent. diſt. 13. artic. 2. quem ſecuti ſunt Zabarella in primo lib. de Viſu capite 11. & Piccolomineus in libro de Senſu Viſus cap. 14. ad quod alterum fundamentum deducunt ex Ariſtotele in primo capite ſexti Nicomachiorum aſſerente, inter potentiam cognoſcentem & cognitum requiri conformitatem, ac conſimilitudinem quandam: quam inter facultatem viſiuam & obiectum viſibile dicunt eſſe illuminationem: Inſuper quoniam ſi medium colores recipit quatenus perſpicuum, ſcilicet illuminatum ex 73. ſecundi de Anima: & oculus vt recipiat colores, debet eſſe perſpicuus ex libro de Senſu & Senſilibus cap. 2. ideo ita oculo vt perſpicuo neceſſarium eſt lumen. Adducunt etiam verba Ariſtotelis, qui in 2. capite de Senſu & Senſilibus ait. *Videtur autem ſicut exterius non ſine lumine, ita & interius* & paucis interiectis addit. *Quare neceſſario perſpicuum eſt & receptiuum luminis quod interius oculi.* Idipſum ſuadetur ex fulgore oculorum qui viſioni inſeruire videtur: Quinetiam ex humore cryſtallino oculis inſito; ex quo quamuis proprium lumen oculi non emitant: ipſum tamen exterius acceptum intendunt, & in maiorem ſplendorem coaceruant, ſignum præbendo quod lumen ob oculos ad viſionem inſtruendos ſit neceſſarium: Et hinc aiunt prodeſſe vſum conſpicillorum: quoniam ſcilicet oculi, qui vel ob terreſtrius temperamentum, vel ob ſenectutem, vt docet Philoſophus in 5. de Generatione Animal. cap. 1. ſunt nimis ſicci, eorum concauitate adiuuantur ad receptionem multi luminis, quo proprio defectu carent: vnde pro conficienda viſione maxime roborantur. *Opinio Pythagoræ. Platonis. Galeni. Simplicij. Scoti. Zabarella. Piccolominei.*

Soluuntur 4. ex fundamẽtis 3. opinionis.

In quo quidem diſcrimine, cuius adductis ex omni parte fundamentis licet cuique quod mauult ſibi iudicium eligere: abſtinendum videtur præcipue à ſecunda opinione in illa parte, qua negat requiri lumen ob colores: cuius inualidum eſt primum fundamentum deductum ex eo quod, color eſt per ſe viſibilis; non enim tollitur 1.
ipſi

ipſi obiecto quod videatur per ſe, eo quod requiritur pro illius viſibilitate externum auxilium luminis ipſum patefacientis; quemadmodum nec negabit quiſpiam animal per ſe nutriri, eo quod pro nutritione extrinſecum alimentum expoſcit: ſed ſatis eſt vt proprie rationis ſpeciem ſenſui imprimat, nec illam ex lumine recipiat: ſic etiã ſenſibilia communia quamuis non innoteſcant ſenſui niſi per ſenſibilia propria; in ſecundo tamen de Anima tex. 64. dicuntur ſenſibilia per ſe: quatenus ſcilicet ipſis ſenſibilibus proprijs complicata proprium eis adhibent modum cognoſcibilitatis: vt puta illi albedini addit rationem motus, numeri, magnitudinis, vel alterius huiuſmodi,
2. quod ſecundum propriam rationem poteſt abſtractim, & diſtinctim concipi. Nec ſubſequens vrget: quamuis enim coloratum reflectat lumen: ipſum etiam recipit, etſi non intra ſe, vt facit perſpicuum interminatum: eo tamen modo, quo illius rationi
3. competit, ſcilicet in ſuperficie, in qua natum eſt videri. Alterum fundamentum in veritate deficit; etiam enim ſonus obiectum auditus opus habet aere, per quem ad aures deferatur: ſapor requirit humiditatem in organo linguæ, vt guſtum excitare valeat: ſed omnibus ſenſibilibus, id eſt commune, ac ſufficiens, vt à ſuo ſenſu per pro-
4. priam rationem quodlibet illorum percipiatur. Pro eo quod officere videtur definitio luminis opportune dictum videtur à M. Alberto quod Philoſophus mentionem ibi fecit de perſpicuo & non de colore; quia cum in contextibus proxime præcedentibus mentionem habuiſſet de colore ſecundum eius actualitatem formalem, ſcilicet vt eſt actu viſibilis, & iam mouens perſpicuum, quoniam vt talis, neceſſario eſt illuminatus: propterea lumen ei competere, vt quid ſatis conſpicuum præſuppoſuit, ac docere prætermiſit: ac iure complicationem tantum ipſius luminis cum perſpicuo memorauit. Aliorum etiam non abſurda circunfertur reſponſio quod ſcilicet propterea Ariſtoteles definiuerit lumen per perſpicuum potius quam per colorem: quia magis proprie lumen coniungitur perſpicuo, in cuius ſcilicet totali ſubſtantia ſe immigrat, ac inſinuat veluti forma quędam: vt propterea magis proprie dicatur illius forma, cum ſit eius actus, ſine quo perſpicuum non eſſet perſpicuum: colorato autem e contra iungitur veluti obiectum, illius tantum ſuperficiei ſe adhibens: nec præbet ei actum primum, ſcilicet coloris, quem quidem etiam in tenebris habet: ſed tantum actum ſecundum, nimirum vt ſit viſibilis actu. Aliam reſponſionem dat Zabarella in 13. capite præcitati eius operis, inquiens Ariſtotelem in illa formanda definitione non ſumpſiſſe lumen in communi, amplectens ſcilicet tum lucem, quæ viſibilis eſt (vt quod) ſcilicet per ſe, & vt obiectum; tum etiam lumen, quod viſibile eſt tantum (vt quo) ſcilicet vt inſtrumentum & auxilium cætera videndi: ſed tantum ſumpſiſſe ipſum lumen ſe habens ad viſionem (vt quo,) id eſt per rationem diſtinctam à colore, qui viſibilis eſt (vt quod) propterea prætermiſſa illius conexione cum colore, per quam ſe habet potius vt obiectum mouens viſum (vt quod) conſiderauit tantum illius coniunctionem cum perſpicuo, in quo vere fungitur munere auxiliantis viſionem, & viſum mouentis (vt quo.) Quibus adderem ego quod quamuis hunc actum luminis potuerit Philoſophus vtrique ſubiecto; tam ſcilicet colori, quam perſpicuo applicare: opportunius tamen id tunc attribuit perſpicuo, quoniam tunc de perſpicuo, nec amplius de colore loquebatur: Inſuper quoniam vtilius eſt ea declarare, quę ex ſe minus conſpicua ſunt: vnde quamuis lumen vtrique competat: quia tamen magis id eſt euidens de colore, quam de perſpicuo, cuius illuminatio non apparet niſi ex aliquo opaco ipſi inexiſtente: propterea expediebat in definitione luminis illius conexionem cum perſpicuo, quam cum colore explicare. Adhuc quoniam quamuis in vtroque: amplius tamen, latius, ac difuſius (adde etiam intimius) recipitur lumen in magno corpore perſpicuo, quam in coloratis, quę exigua ſunt. Adde demum quod cum coloratum, & perſpicuum ſibi inuicem lumen communicent; magis tamen perſpicuum illuſtrat coloratum quam e contra; color etenim poſitus in perſpicuo ſufficienter illuminatur: at obiectum illuminatum poſitum in loco tenebroſo exiguum ei lumen reflectit. Aptius igitur definiuit Ariſtoteles lumen per perſpicuum, quam per colorem.

Alberti. *Aliorum.* *Zabarella.* *Auctoris.*

Ita

Digitized by Google

Ita etiam de fundamentis poſterioris partis primæ opinionis; quibus probat Auempaces lumen non requiri pro alio, quam pro colore: ab Auerroe accerimo illius aſſertionis aduerſario occurritur primo negando ſpecificam identitatem luminis & coloris: rationem negationis educendo ex diſtinctis illorum definitionibus certis diſtinctarũ rationum indicijs: definitur enim color per extremitatem perſpicui terminati: lumen vero per actum perſpicui interminati: Quod inſuper ſenſata ratione probat: nubes enim, ac pariter vitrum viridi colore affectum, ſi obijciantur, parieti, inducunt in eo colorem herbaceum: ac priuſquam in pariete, idipſum faciunt in aere intermedio: quod euenire non poſſet ſi color eſſet idem cum lumine; nam cum antea paries, & aer ille haberent in ſe lumen: & nihil recipiat id quod in ſe habet, propterea ſi lumen eſſet color, non valeret paries, vel aer illuminatus recipere alium colorem. Quoniam vero ideo à perſpicuo, & ab organo, quamuis illuminatis, recipitur lumen eo quod lumen non eſt obiectum, quod principaliter recipitur: ſed tantum eſt ratio recipiendi: inde habet aliam rationem illius differentiæ quia. ſ. nihil eſt ſimul id quod recipitur, & ratio recipiendi; cum nil ſit ratio recipiendi ſeipſum: Quare color & lumen debent eſſe diſtincta. Propterea ſoluit argumentum inquiens recipiens debere eſſe denudatum ab eo, quod per ſe, ac principaliter recipit: ac proinde debere recipiens colorem carere colore: tale autem non eſt lumen reſpectu aeris, cui tantum inſeruit vt ratio recipiendi colores, manifeſtando, illuſtrando, formando, & mouendo: vt nullum ſit inconueniens ſi in eo, cui ineſt operetur. Subſequenti Reſpondent Auerroiſtæ: vnicum vtique eſſe debere obiectum vnico, & eodem modo ad potentiam ſe habens: quoniam vero non ita eſt de colore, ac de lumine, quorum ille eſt obiectum viſionis principaliter, & vt quod; hoc vero tantum, vt quo; ideo ſatis eſt vt ſecundum hanc ſubordinationem, & analogiam, & non ſecundum abſolutam vnitatem identificentur. Ad aliud inquiunt quod exiſtens in loco tenebroſo ideo valet inſpicere coloratum a ſe diſtans, quia coloratum illud per lumen quod iàm habet, illuſtrat ſpatium totum vſque ad oculum aliquantulum, & tantum ſaltem, quantum ad illius viſionem requiritur, eo modo quo etiam ſtella, noctiluca, & oculus leonis quamuis in nocte non totum ſpatium illuſtrent, adeo vt ſingula ibi inexiſtentia viſibilia reddantur: præbent ſaltem ei tantum luminis, quantum pro ſui ipſorum viſione ſufficiat. Poſtremum diluunt conſiderantes: loqui Ariſtotelem de ſenſatione obiecti viſibilis à ſenſu externo: de ſenſatione enim, quæ fit à ſenſibus internis diſpar eſt ratio.

Soluuntur 4. poſteriora fundamenta primæ opinionis.

1. 3. 3. 4.

Agitur de Tenebris. *Cap. VII.*

IVxta ſe poſita elluceſcere magis oppoſita: tam certa eſt regula, vt lumini etiam aliqua claritas ex ſuis oppoſitis tenebris emergat: de quibus notitiam quærentibus primum incumbit negotium remouendæ heſitationis de illarum exiſtentia: vanum enim eſſet quærere quid ſit, id quod non eſſet: vt de Tenebris opinati ſunt Iamblicus in lib. de Miſterijs Ægyptiorum, & Iulianus in lib. de Sole: qui cum vnicuique corpori: etiam ſcilicet terrę, ſecundum doctrinam quandam Academicam ineſſe putarent animam, ex ea per quendam à ſe manantem calorem aliquid opacitatis, frigiditatis, ac tenebrarum excuti à quacumque quantumuis terreſtri natura exiſtimarunt: quibus aſſentiri viſi ſunt Simplicius, & Alexander: ille in ſecundo de Anima comment. 68. & hic tum primo de Anima comm. 13. tum in libro ſecundo comm. 39. tum etiam in lib. de Senſu, & Senſilibus comm. 13. vno ore aſſerentes: perſpicuitatem (quam lumen neceſſario conſequitur) in quocunque corpore reperiri: & hoc quia cenſerunt, hi expoſitores, nullum in vniuerſo reperiri elementum ſyncerum: ſed etiam terram in quacunque ſui parte eſſe ſubtilioribus elementis immixtam: ac proinde raritatem, ac poros lumini peruios includere: alijq; non pauci reperti ſunt, qui tenebrarum inexiſtentiam inficiarentur hinc freti, quod in viſceribus terræ fiunt rerum productiones,

Qui negarũt Tenebras.

Fundam. 1.

ctiones, probabili ſigno quod illuc cum ſua virtute radij ſolares lumen præferentes
2. deueniant. Ac etiam quoniam cum Cælum ſingula per motum & lumen conſtituat,
foueat, ac conſeruet: motuſq; vbique pertingere nequeat; neceſſarium videri, vt lu-
mine quamcunque partem vniuerſi penetret, quo vbique tenebras abſolutas expel-
3. lat. Quia etiam color dicitur actus perſpicui terminati, & in quacunque parte terræ
4. adeſt color: adeſſe debet ibidem, & perſpicuum, quod non eſt ſine lumine. Accedit
nil perpetuo præter naturam diſpoſitum manere poſſe: diſpoſitionem vero per tene-
bras, quæ ſunt priuatio, eſſe præter naturam, quæ rerum actus intendit: colligentes
exinde quod nulla pars corporis naturalis poſſit à lumine deſtitui.

Reprobatio.

Deceptos autem fuiſſe prædictos viros, cuilibet indicat ipſe ſenſus; qui in nocte, in clauſis, & imis carceribus, ac in ſpeluncis, & concauitatibus terræ tenebras per omnimodam luminis priuationem comperit. Quoniam etiam cum detur in natura opacum, quod eſt origo, ex qua tenebræ pendent ipſas etiam tenebras dari neceſſe eſt. Magiſq; quia ſi in natura eſt vnum contrariorum, vt perſpicuum, cui lumen cohæret, neceſſe eſt, & alterum; ſcilicet opacum, & tenebroſum reperiri: & hoc optime cognouit Philoſophus, qui in ſecundo de Anima 68. differens de ipſo perſpicuo lumine circunfuſo, inquit talia eſſe corpora; non quidem (omnia) ſed *multa*. Aduerſaq; fundamenta exigui ſunt roboris: Animam enim vniuerſi per totum orbem effuſam, iam ſatis reprobauit Ariſtoteles in primo de Anima: & aduerſus negantes in vniuerſo ſynceri elementi exiſtentiam nos in propria Quæſtione de Puritate elementorum ſufficienter dixiſſe arbitramur.

Solutio argument. 1.

Propterea ad primum negamus quod in centro, vbi eſt terra impermixta, valeat Sol ſuos radios protendere, vel aliquam generationem cauſare: Nec eſt neceſſarium, vt in quacunque parte terræ ex ſolis actione fiunt generationes; ibidem ipſimet radij formaliter, ac per ſuum eſſe reale perueniant: ſed ſat eſt, vt ibi perueniāt virtualiter: quatenus ſcilicet partes ſuperficiales receptam actionem ſolis, partibus contiguis communicent, & illæ alijs ſucceſſiue, quouſque effectus
2. illius actionis ad viſcera illa terrę deferratur, in quibus fiunt productiones: Exindeq;
ſolutum putamus, & ſecundum: quia ſcilicet ad ſingula lumine conſeruanda ſufficit Cælo, vt ad ea virtualiter, nimirum per effectum ſuæ virtutis perueniat: Cum hac tamen cautione, quod cum terra centri (ſic perfecto ordine vniuerſi expetente) tanquam oppoſitum cæleſtis mobilitatis, actiuitatis, ac diaphaneitatis fuerit inſtituta: illa propterea pro ſui conſeruatione non eget lumine cæleſti: quinnimo è contra lumen illud à ſe diſtans, ac exulatum requirit.

3. Color vero dicitur actus perſpicui terminati, quod non eſt amplius perſpicuum;
terminatio enim explet, ac obſtruit perſpicuitatem: Quare color non connotat nec-
4. ceſſarium lumen; quod ſiquidem in antris poſitus non habet niſi in potentia. Nec eſt
diſpoſitio præter naturam carentia luminis in terra, quæ ſecundum requiſitum naturæ, & ordinem vniuerſi non eſt corpus natum, ſeu inſtitutum, vt vbique illuminetur: Quamuis enim Mathematica ſpeculatione quatenus corpus eſt, valeat quæcumque illius pars lumen ſubire: Phyſicis tamen principijs, ac naturæ inſtituto repugnat, vt lumen ad centrum terræ perueniat.

Qui putarūt Tenebras eſſe quid poſitiuū. Fundament. triplex.

Quid autem tenebræ ſint: non recte docent qui fatentur eos eſſe formam poſitiue lumini oppoſitam: eo nixi fundamento, quia præditæ ſunt principio poſitiuo, nimirum opacitate. Inſuper quia videntur poſitiuos effectus cauſare dum oculos lædunt, terrorem inijciunt animis, ac maxime dum inducunt Eclypſim in Luna: Ac quoniam ab ipſis ad lumen datur recurſus, qui a priuatione ad habitum non conceditur: In eandemq; aſſertionem coincidere videntur, qui comparant reſpectum nigredinis ad albedinem, cum reſpectu tenebrarum ad lumen: quæ placuit, & Zabarellæ in primo lib. de Viſu cap. 2. quia enim color ater eſt abſque dubio poſitiuus; habet enim cauſam poſitiuam, ſcilicet quatuor primas qualitates: edit effectus vere poſitiuos: eſt per ſe viſibilis, vt quiſque diſtincte comperit: poſitiue concurrit ad producendos, ac contemperandos colores: ennumeraturq; ab Ariſtotele inter poſitiue contraria (nil referente, quod in tertio Meteorologicorum capite de Iride: in lib. de Senſu, & Sen-

Zabarella. Nigredo non eſt priuatio.

ſibilus

ſibilibus cap. 4. ac in decimo Metdaphiſices tex. 7. nigredo vocetur priuatio candoris: quod fit ea tantum intentione, vt deterior illius conditio denotetur: proinde ex tali aſſertione reponuntur tenebrę inter entia poſitiua.

Id autem auctoritas, ſenſus, & ratio reijciunt: Ariſtoteles enim in ſecundo de Anima 70. ait *Sunt autem tenebrę priuatio huiuſmodi habitus,* ſcilicet luminis *a perſpicuo* expreſſe ſignificans eas meram eſſe priuationem. Senſus etiam decernit ex ſola remotione luminis ipſas abſque aliquo opere poſitiuo conſtitui: Ratio inſuper quoniam ex illa poſitione ſequeretur lumini, ac luci Cœleſti adeſſe poſitiue contrarium: quod nefas eſt dicere: Sequeretur etiam tenebras per ſe, ac diſtinctim viſibiles eſſe, vt ſunt colores: Ac ſequeretur quod lumen de nouo adueniens cum expellere deberet contrarium poſitiuum, non poſſet immediate per totum ſpatium effundi, quemadmodum & calor, vel albedo non niſi in tempore per ſui contrarj eiectionem diffunditur: Ac demum quia ſemper contraria ſub aliquo eodem genere contineri ſolent: nec aliquod luminis & tenebrarum commune genus apparet.

Tenebræ ſunt priuatio luminis.

Rationes.

Fundamentaq; oppoſita facile ſoluuntur: Opacitas enim non eſt cauſa tenebrarum poſitiua, quæ per ſe, ac vt aliquod ſimile eas generet: Sed eas producit tantummodo accidentaliter quatenus impedit tranſitum luminis, ex quo ipſarum tenebrarum inexiſtentia conſurgit: Iniuriam autem afferunt oculis priuatiue, quatenus ſcilicet damnum eſt oculorum, qui lumine foueri ſolent, ipſo deſtitui, vnde caligine aſſueſcunt, & torpeſcunt; conturbanturq; exinde animi quatenus aufertur eis cum lumine omnis ratio, ac directio ad agendum, & ad bona vitæ acquirenda. Eclypſim vero non proprie pariunt cum ſint priuatio, ac non ens: ſed potius ſimul cum Eclypſi ſunt effectus eiuſdem ablationis luminis, quam pariter vt Eclypſis ipſæ tenebræ conſequuntur. Non datur autem regreſſus a priuatione ad actum eundem numero: quod præcipue obſeruatur de indiuiduis perfectis: at recedentibus tenebris numquam reuertitur idem numero lumen, quod ablatum fuerat: ſed tunc nouum lumen producitur: ſemper enim ex corpore lucido nouum fluit lumen: cuius eſſe non niſi in fieri: ac in inceſſanti emanatione conſiſtit.

Solutio argumenti. 1.

2.

3.

4.

Queri etiam ſolet cuinam conueniant tenebræ: De quo ſecundum illum improprium modum, quo de hoc diſſerere licet; proprie ſiquidem non priuationes, ſed formæ in ſubiectis recipiuntur aperit notitiam Ariſtoteles in 71. contextu ſecundi de Anima dum loquens de Perſpicuo, ait quod: eadem natura quandoque tenebræ, ac quandoque lumen eſt: quod rationabiliter dictum videtur; eidem enim perſpicuitati competere debent cui competit actus ille, quem vt priuatio reſpiciunt.

Quib. cōpetāt. Tenebræ.

Dubitatio vero contingit circa tenebras: quoniam cum ipſæ ſint oppoſitum, & priuatio luminis; ideo quemadmodum lumen eſt neceſſarium auxilium ad viſionem; ita ipſæ deberent eſſe neceſſarium eiuſdem viſionis impedimentum: quod tamen non videtur eſſe; nam in 72. textu ſecundi de Anima inquit Philoſophus: non omnia eſſe viſibilia in lumine: ſed quedam videri in tenebris, vt fungus, cornu, capita piſcium, ſquame, & oculi. Pro qua ennodanda dificultate prænotandum eſt quod lumen externum neceſſarium eſt pro viſione illorum, que propria luce non fulgent, quales ſunt colores: non eſt autem neceſſarium ad viſionem illorum, que propriam lucem præferrunt: Inſpiciuntur enim etiam in obſcuro varia entia, vt Stellæ, ignis, noctilucæ, quercus putrida, ac reliqua modo narrata, ex quibus quedam proprio lumine fulgent: nec externo egent, vt Stellę, ignis, & aliquod huiuſmodi: Propterea in 74. textu ſecundi de Anima legimus Ariſtotelem dicentem: *Ignis autem in vtriſque videtur, & in tenebris, & in lumine: & id ex neceſſitate, quia perſpicuum ab hoc fit perſpicuum:* Alia vero lucent tanquam ſpeculum ex reflexione, & intenſſione luminis: quę quidem in omnimodis tenebris nequaquam apparerent: at ex quantumuis exiguo lumine ob temperiem eorum naturæ ad facilem illuminationem diſpoſitæ adaucto, optime conſpiciuntur.

Dubitatio.

Reſolutio.

Digitized by Google

De Conditione, & ſtructura Oculorum: ac de Potentia Viſiua. *Cap. VIII.*

EXTERNIS, que ad viſionem attinent iam decurſis, accedendum eſt ad interna, ſcilicet ad partem videntem: cuius cum duæ ſint partes: materiale organum, quod eſt oculus: & formalis, quę eſt animæ potentia viſiua: ex quibus quoad primum; quod vt tam egregie facultati congrue miniſtraret ſolertiſſima fuit naturæ induſtria ellaboratum, iure admirandum, ac enixe contemplandum ſe præbet: quod facere aggredientibus perpendenda occurit ſententia illorum, qui exiſtimarunt ipſum oculum igneum: qui fuerunt Empedocles, Pythagoras, Plato, & Galenus, qui in decimo de Vſu partium id probare nixus fuit præſertim ex copia ei inexiſtentium ſpirituum, qui calidi, & ſicci, ac (vt Plato in Timæo docet) ignei ſunt. Itidem quia maxime competere videtur ipſi oculo lux; quam Plato ibidem inter ſpecies ignis recenſebat. Cui ſuffragari videtur & littera Ariſtotelis in Problematibus ſect.31. artic.30. vocantis viſum igneum. Quam tamen aſſertionem aperte confutat Ariſtoteles in libro de Senſu & Senſilibus, affirmans, ſubſtantiam oculi potius eſſe aqueam: rationem aſſignans in ſecundo illius operis capite, ex eo quod ſi oculus incidatur, & corrumpatur, inde humor aqueus defluit: quod idem ſuadet copia lacrymarum ex illo prodiens. Ac quia in eius expurgatione multum exit humiditatis. Idipſumq; Anathome comperitur, qua oculi à principio generationis admodum humidi inueniuntur. Quod etiam colligitur ex conditione lucis eorum; nam oculi, veluti cryſtalli quidam in perſpicuo poſiti ſplendent; at in obſcuro torpent: quod non accidit de lumine igneo; ipſum enim etiam in tenebris non latet, ſed vbicumque proprio ſplendore niteſcit. Ac pariter quia (vt præcitato loco inquit Philoſophus) ſi lumen illud eſſet igneum, per aquam extingui deberet: quod non fit. Accedit quod ſi oculi eſſent ignei, illorum calor eſſet ſummus; nec poſſet intendi: vt tamen in febri, & alijs alterationibus euenit. Idem ellicit Ariſtoteles ex eo quod oculus debet eſſe perſpicuus: quare aereus, aut aqueus: quod cum non ſit aereus, ſequitur quod ſit aqueus. Ac in calce capitis probat idipſum exinde quod oculi conſtitutio proxime dependet à cerebro, quod frigidiſſimum, & humidiſſimum eſt vt aqua: Qui quidem diſcurſſus conformis eſt etiam principijs ipſius Galeni, qui ex corde tanquam ex primo fonte, prodire ait ſpiritus vitales admodum calidos, quos per arterias ad cerebrum deductos, ibi refrigerari, ac redigi ad rationem ſpirituum vitalium oculo conuenientium: quos quidem ſpiritus non eſſe igneos; ſequitur tum ex eo quod proxime ex cerebri algore refrigerati ſunt: tum quia ipſi etiam ſpiritus recenter ex corde manantes non ſunt ſumme calidi; igneus enim calor, vt docet Philoſophus in ſecundo de Generatione Animal. cap.3. eſt à natura animalis alienus, ac vitæ infenſus. Præterquam quod ſi tales eſſent, nunquam poſſet illorum calor intendi: quod tamen aliquando contingere conſtat: Quare longe minus habebunt igneam caliditatem in oculo: Cui quidem veritati ipſemet Galenus aliqualiter appropinquauit in initio decimi de Vſu partium inquiens: intra pupillam oculi multos aereos, ac lucidos ſpiritus contineri.

Pro totius autem difficultatis explanatione; ſtatuendum eſt primo: non attribuendam eſſe oculo rationem alicuius elementi integram, & in ſummo: ſed tantum ſecundum prædominium in illius temperie: Mox adnotandum eſt, obſeruari poſſe id prędominium reſpectu duplicis partis oculi: materialis ſcilicet, & magis paſſiuæ, quales ſunt humores: ac formalis, & actiuæ, quales ſunt ſpiritus. Tunc ſit concluſio quod oculus quoad partem materialem, in qua fit viſio, habet prædominium aqueum: habet vero igneum quoad ſpiritus: qui cum ſint calidi, dant principium motus, & actionis viſui, ac cuicumque ſenſui: quod voluit inferre Ariſtoteles in ſecundo de Anima tex. 130. dum inquit: pupillam eſſe aquæ, aurem

Qui putarũt oculum eſſe igneum.

Argument. 1

2.

3.

Quod ſit Aqueus.

Rationes.

Reſolutio.

Digitized by Google

autem aeris, olfactum alicuius ex his duobus, iuxta ſcilicet conditionem animalis; nam hominis odorantis in aere, eſt aeris: piſcis vero eſt aquæ: tactui autem (idem intellige de guſtu) cōpetit potius terra: ipſum vero ignem nullius eſſe proprium: at omnibus communem; quia nihil ſine calore eſt ſenſitiuum. Pateto; exinde ſolutio primi argumenti Galeni; ſpiritus enim animales viſum fouentes habent quidem prędominium caloris: qui tamen à ſummo gradu igneo eſt valde remiſſus: at in parte oculorum materiali, quæ in humore conſiſtit, præpotens eſt natura aquea: Nec valet aduerſus hanc diſtinctionem obiectio Zabarellæ in ſecundo lib. de Viſu cap. 7. dicentis quod quia Ariſtoteles in lib. de Senſu, & Senſilibus ſumit oculum tanquam perfectum & animatum; in qua conditione habet ſpiritus, & calorem, propterea ſecundum omnes illius partes ſimul ſumptas, tam ſcilicet formales, quam materiales, ipſum aqueum ſtatuit. Cui reſpondemus quod cum ibi loquatur Philoſophus de oculo, qui eſt res æterogenea: (etiamſi inſimul cum anima conſideretur) potuit ideo cum hac diſtinctione partium eum ſumere: quemadmodum ita feciſſe: curſum illius ſermonis recte obſeruanti, manifeſtum redditur. Pariter & ad ſecundum; quamuis enim Plato reponeret lucem ſub ratione ignis largo quodam modo ſumpti: abeſt tamen à propria ipſius ignis ratione: eoq; magis quod oculi non habent lumen per ſe; ex quo quidem etiam in tenebris ſplendeſcerent: ſed tantum illud habent quatenus ab extrinſeco recipiunt: ex quo compræhenditur illorum natura magis aquea, quam ignea. Ariſtoteles vero in Problematibus locutus eſt populariter, & ex ſententia aliorum: ac propterea que ibi ab eo pronunciantur non debent refragari eiuſdem decretis in ſecundo capite lib. de Senſu & Senſilibus, vbi ex profeſſo talem poſitionem oppugnat. *Solutio argumentorum.*

Id autem mirificum opus naturæ conſtructi oculi obſeruandos nobis præfert ſeptem Muſculos ipſum diſponentes, quamuis in homine, & ſimia ſint tantummodo ſex: quorum duo ſunt obliqui; ex quibus vnus circumducit, & alter illigat, ac circumducit illius globum: quatuor vero ſunt recti, ex quibus vnuſquiſque ad propriam poſitionem: hic quidem ſurſum, is deorſum; hic ad dexteram, & ille ad læuam recta latione pertrahit. *Oculorum cōſtructio.* *7. Vel 6. Muſculi.* Duoq; ad ſunt Nerui Optici, ſeu viſorij vocati: quorum vterque ex cerebro procedens ad vnum ex oculis terminat: per quos ad ſenſum communem rerum imagines emituntur: qui quidem duplici tunica, ſeu membrana compacti, altera ſcilicet interius poſita, moli, quæ dicitur Vuea: & altera in parte exteriori dura, quæ Cornea nuncupatur: hi nerui in medio itinere quod eſt à cerebro ad oculos inuicem adhærrent: ſtatimq; diſociantur; & ad oculos ſeparatim deueniunt: *2. Nerui Optici.* Quinque Tunicis totus globus materialis oculi conſtat: quarum intima, quæ partem centri conſtituit, Specularis, appellatur; quoniam veluti ſpeculum transluceт, ac nitet: continua eſt ei Retinea, ſeu Reticularis, quæ ex multis arterijs, ac venis figura quadam retis eſt contexta: ſubſequitur Vuea taliter nuncupata quia folliculo vuæ ſimilis eſt: per cuius membranæ orificium cum inſpiciatur pars cryſtallina in interno centro oculi poſita; ideo iuxta colorem talis membranæ (cui varius contingit) ipſe oculus nigri, glauci, ſeſij, vel alterius huiuſmodi, conditionem ſortitur. *5. Tunicæ.* Cingit hanc Cornea ſe habens vt lamina cornu, quæ oculum quacunque parte circundans, cum tenuiſſima, ac diaphana ſit, per ipſam veluti per laternam, ac corniculum quodam ſplendidus humor internus translucet: Quibus omnibus, tanquam illarum ſuperficies ſuperpoſita eſt tunica, quæ dicitur Candida, ſeu Adnata, vel Adhærrens, ac etiam coniunctiua, quæ totum oculum continet, in vnum cogit, ac conſeruat. Per totam vero molem oculi ex his quinque Tunicis conſtantem triplicem humorem natura diſpenſauit: alterum ſcilicet cryſtallinum, ſeu glacialem ita dictum ob magnam illius cum glacie, ſeu cryſtallo ſimilitudinem: ab eiſq; tantum per eius mollitiem differens, quem intra intimam tunicam ſpecularem concluſit: cui appoſuit Vitreum, ideſt Albugineum albi oui effigiem referentem, qui tunica Retinea contegitur: Hiſq; ſuper impoſuit humorem Aqueum; aquæ ſcilicet valde conſimilem, quem tunicis Vueæ, & Corneæ interpoſuit. *3. Humores.*

Digitized by Google

Nec diu in hoc immorandum putamus: quia ſi quis exactiorem tractationem de ſtructura oculorum exoptat: is poteſt de hoc videre Ariſtotelem in primo de Hiſtoria Animal. capitibus 10. & 11. ac in quinto de Ortu Animalium cap. 1. Galenum lib decimo de Vſu partium. Veſalium libro 14. capite 7. Simonem Portium de Colore Oculorum cap. 3. Fernelium de Partibus Corporis Humani cap. 19. Conciliatorem Differentia 64. & Hieronimum Fabricium ab Aquapendente in libro de Oculo viſus organo.

Quæſitum in qua parte oculi fiat viſio. Vnius autem quæſiti circa prædicta non eſt prætermitenda explanatio: nimirum in qua nam ex his partibus viſio fiat: Circa quod fuit opinio Auicennæ, & aliorum, vt refert Cyruelus in libro primo Perſpectiuæ cap. 3. ac Vitellio lib. tertio Theorem. 4. & 20. quod fiat viſio in prænotata connexione neruorum Opticorum: & hoc quia putabant: neruos illos prius ſeparatos ibi propterea connecti: vt viſibilium actiones per vtrumque neruum tranſmiſſæ in vnum ibi conueniant: quod niſi fieret, ſequeretur vt viſibile duplici ſenſorio perceptum ſemper duplex appareret. Quam aſſertionem reijcit experientia illorum, quibus talis coniunctio neruorum non adeſt, vt in cancris, ac vt ſe Anathome comperijſſe ſcribit Veſalius in quarto lib. de Fabrica Corporis humani cap. 4. in homine; cui tamen id dum viueret, nil obfuit viſioni, numquamue vnica tanquam geminata conſpexerat: Nec aliquam vim habet relatum illorum motiuum; nam ſi ex illa tantum coniunctione neruorum tolleretur quod obiectum non appareret duplum: talem deceptionem ſemper pateretur auditus, cuius nerui non ita connectuntur. *Non fit in connexione neruorum.* Sed aſſerendum eſt fieri viſionem in intima parte oculi, ſcilicet in Cryſtallina: & hoc pergentes in via, quam nobis innuit Ariſtoteles, qui in primo de Hiſtoria Animal. capite 9. ait quod Humor oculi interior, quo videmus, eſt pupilla, quam nigrum ambit: quibus per pupillam proculdubio ſignificauit humorem cryſtallinum etiamſi pupilla dicatur potius pars illa, quæ ducit ad illum: Vnde & Auerroes in Paraphraſi de Generatione Animalium cap. 1. inquit: id exibere tellam Araneam (ſcilicet intimam tunicam ſpecularem) cui cryſtallinus humor inſidet: qua cum careant Talpæ: illæ propterea non vident: Et Galenus in decimo de Vſu partium cap. 1. ac in 14. de Symptomatum cauſis aſſirmauit viſiuam potētiam ſuum exequi munus in illo humore: vt ideo aliquo poſito inter illum humorem, & ſpiritus, vt ibi peruenire non valeant, tollitur viſus: Quod idem protulit Alexander. Et id ſuadetur ex ſituatione humoris illius cryſtallini, qui in medio aliorum omnium, vt in tutiori, ac inſtrutiori loco, poſitus eſt: Quiaue ipſo aliqua iniuria læſo, euertitur viſio, vt docet Ariſtoteles in ſecundo de Anima contextu 83. dum inquit quod vt non audit auris, cuius membrana laborat, ſic non videmus dum pellis, quæ eſt ſuper pupillam, laborat: Inſuper quoniam oculus ibi nullum habet colorem, ex quo poſſit ab alicuius inſpectione retrahi; omninoq; conſpicuus, ac perlucidus eſt: & ad hoc officium optimam videtur habere aptitudinem, & inſtructionem, quæ ei ex miniſterio partium omnium cæterarum paratur: Quod obſeruans Galenus in octauo prędicti operis cap. 6. aſſeruit partes omnes oculi propter humorem cryſtallinum, ſeu vt altrices, ſeu vt continentes, inſtitutas eſſe.

Fit viſio in humore cryſtallino. *Ariſtoteles.* *Auerroes.* *Galenus.* *Alexander.* *Ratio.*

Obiectio. Si vero huic determinationi obijciatur quoniam cum humor ille cryſtallinus habeat colorem, & color conſtet ex commixtione quatuor qualitatum elementorum: ideo pars illa non videtur apta ad videndum: ſed accideret ei id quod ictericis, qui ex interni coloris infectione, eis ſingula eiuſdem coloris apparent: & in 4. etiam contextu tertij de Anima habetur quod intus exiſtens prohibet, ac obſtruit alienum in eorum cognitione. *Solutio.* Reſpondebitur non vbicunque ſunt primæ qualitates, ineſſe & proprium colorem, qui ibi tantum adeſt, vbi eſt denſitas, & ſoliditas, vbiue potiri valeat conditione ex definitione coloris requiſita, quod ſcilicet ſit extremitas perſpicui terminati: humor autem cryſtallinus oculi, qui rarus eſt, ac translucidus, non proprium habet colorem: ac ideo eſt omnibus coloribus peruius. Quod ſi denuo quis inſtet quoniam quemadmodum habens aliquem colorem nequet eiuſdem ſpeciei colorem intueri: pariter & cryſtallinus humor eam lucem includens non valebit alteram lu-

cem

Digitized by Google

cem aprahendere. Reſpondebitur ideo colorem exiſtentem intra ſenſum alterius coloris receptionem prohibere; quia color eſt obiectum quod primo, & per ſe, ac tantum (vt quod) mouet ſenſum viſus: lux vero, ſiue lumen non eſt obiectum viſus principale; ſed ipſum mouens etiam (vt quo) ac propterea in eo receptum non impedit alterius luminis inſpectionem.

Argui etiam ſolet quia iuxta veram doctrinam Perſpectiuorum fit viſio pyramidaliter, adeo vt à re viſibili ad viſum protrahatur actio, quæ ſit veluti pyramides habens baſim in obiecto, & acumen in oculo: Pyramis autem terminatur in puncto, qui punctus non poteſt idem duos oculos attingere: ac ideo vnicum obiectum viſibile non poteſt à duobus oculis perſpici: Cui reſpondetur negando quod quamuis vnicum ſit aliquod viſibile, non valeant ab ipſo duæ pyramides ad duos oculos, quinimo etiam infinitæ ad infinitos (ſi darentur) protrhai: Sed impoſſibile tantum eſſet vt ad eundem oculum eiuſdem obiecti plures pyramides ducerentur. *Obiectio.* *Solutio.*

Nec etiam obſtat quod contingat per ſæpe valido organo, atque potentia præſens obiectum non videri: cauſamq; illam naturalem debite approximatam non edere ſuam actionem in ſubiecto congruo. Id enim procedit ex defectu applicationis potentiæ animalis: quod eſt requiſitum neceſſarium in pluribus actionibus animalibus: ac in illis præſertim, in quibus concurrit iudicium potentiæ cognoſcitiuæ circa obiectum: quod maxime fit in viſione. *Obiectio.* *Solutio.*

De potentia autem viſiua, quæ ipſius partis videntis eſt forma: quinimo veluti anima iuxta id Ariſtotelis in ſecundo de Anima tex. 9 quod ſcilicet ſi oculus eſſet animal; ipſa viſiua facultas eſſet anima eius: dum quæritur quid ſit, non eſt diu immorandum in confutatione illius iam reprobatæ ſententiæ, quod ſit eiuſdem eſſentiæ cum anima ſenſitiua; non enim ſunt idem ſubſtantia, ad cuius prædicamentum redigitur anima; & qualitas, in cuius ſecunda ſpecie ponitur ab Ariſtotele potentia ad operandum. Sed quia potentia viſiua fluit in ſimul ex anima & organo corporeo, ideo eſt quid diſtinctum ab anima, à qua tanquam ex parte dependet. Quinæ ſi id eſſet de potentia videndi; pariter & potentia audiendi eſſet idem cum anima; ac proinde non diſtinguerentur ab inuicem potentia videndi, ac potentia audiendi iuxta regulam illam quod quæcunque alicui tertio ſunt idem, ſunt etiam idem inter ſe: Quæ quidem dicimus loquendo de formalitate ipſius potentiæ viſiuæ quatenus potentia eſt; nam ſi conſideretur ſecundum illius radicem, ac fundamentum eſſentiale: non eſt negandum potentiam viſiuam ſpectare ad eſſentiam animæ, quæ eſt cauſa principalis ſenſationis: quam ipſa potentia conſequitur in ſecundo modo per ſe; eo modo quo potentia materiæ ſe habet ad ipſam materiam: loquendo de potentia materiæ receptiua abſolute: non autem de potentia particulari ad hanc, vel illam formam, quæ ſequitur rationem diſpoſitionis ex actu præcedenti; & eſt materiæ accidens ſeparabile: Vnde cadit etiam in hac potentia viſiua diſtinctio potentiæ tradita ab Ariſtotele in nono Metaphiſices in potentiam abſolute, ac in potentiam bene, ac facile agendi, aut patiendi: primo enim modo potentia videndi eſt inſeparabilis ab anima, & inalterabilis, ac inſeneſcibilis: vnde extat dictum illud Ariſtotelis in primo de Anima con tex. 65. quod ſi ſenes acciperet oculum iuuenis, æque videret vt iuuenis: in ſecundo vero modo dependet ex diſpoſitione organi: vnde ex illius iactura poteſt labefactari, ac deſtrui, remanente tamen in ſuo eſſe anima: cuius propterea apparet eſſe accidens ſeparabile. Subeſtq; eadem potentia in ſeipſa ſecundum eandem ſui rationem; at ſecundum diuerſos reſpectus, & eius munera, diſtinctioni in potentiam agentem & patientem, per relationem enim ad ſubiectum, à quo excitatur, & mouetur, dicitur pati: reſpectu vero iudicij quod de illo obiecto format dicitur agere: vt dici poſſit de Viſione, ac de intellectione: quod ſint paſſiones deſinentes in actionem. *De potentia viſiua.* *Non eſt idem cum anima.*

Opinio

Opinio ac fundamenta illorum, qui putarunt fieri Viſionem per extramiſsionem radiorum ex oculis. Cap. IX.

PRÆHABITA omnia præludia fuerunt ad id, quod ſupereſt: quodue maius negotiũ in hac Quæſtione faceſſit, explicationẽ ſcilicet circa modum viſionis, an fiat per aliquam extramiſſionem ex oculo: vel per ipſius viſibilis, ſeu eius actionis introductionem in eo: De quo primam partem ſumpſerunt Perſpectiui quam plures, vt Macrobius ſeptimo Saturnalium, ac primo de Somnio Scipionis: Hipparchus Nicæus, Proclus, & alij putantes fieri viſionem per radios ex oculis pyramidaliter prodeuntes, qui ſua latiori extremitate viſibile obiectum vbi eſt, ſeu prope, ſeu procul, attingentes: ibidem viſionem cauſent: quos quidem radios alij cenſebant eſſe corpora, ſeu ſpiritus, vel lumen, que pariter corpora arbitrabantur: alij vero ſpiritualem ipſius luminoſi oculi actionem: in qua eadem emiſſione radiorum conuenientes alij per multi addiderunt: ex ipſis obuiatum, illuſtratum, ac ad viſionem diſpoſitum obiectum, induci in oculum, ac ibi eiuſdem reſilientis luminis auxilio viſionem fieri; qui fuerunt poſt Stoicos, Empedoclem, & Pythagoram, Plato, vt apparet in illius Timæo, Seneca in primo lib. Naturalium Quæſtionum: Priſcianus Lydus in libro de Phantaſia, Ptolomeus in Catoptrico: Alexander Aphrodiſ. primo lib. Problematum quæſt. 75. Euclides in Libello de Perſpectiua: & præter alios Galenus in libro de Oculis cap. 6. in decimo de Vſu partium: in primo Prognoſt. ſentent. 19. & potiſſimum in ſeptimo de Placitis Hippocratis, & Platonis capitibus 5. & ſubſequentibus: quos quidem emiſſos radios ab ipſis excogitatos his fundamentis fulcierunt: Primo quia ea eſt conditio omnium ſenſuum vt dum ſenſibile poſitum eſt, ſuper organum ipſorum, non ſentiant; vt docet Ariſtoteles in textibus 74. 75. ac 98 ſecundi de Anima: quod ſi ex oculis non exeant radij, ac virtus obuiantes obiectum viſibile; ſed ipſum intra ſe recipiant, ſequi videtur quod ſenſibile ponatur ſuper organum ſenſus: ac proinde quod non poſſit fieri viſio: Et quia reſpondetur illam regulam Ariſtotelis non obſtare: quoniam quod introducitur in oculum non eſt ipſum obiectum reale; ſed actio, ſeu ſpecies ipſius obiecti viſibilis: Arguunt è contra quoniam exinde ſequeretur: nos non ipſum obiectum viſibile, ſed eius actionem, ſeu imaginem intueri.

Perſpectiui. Stoici. Empedocl. Pythagoras. Plato. Galenus. 1. Argum. Reſponſio. Replica.

2. Argumen. Inſuper quia obiectum organo viſus impoſitum ideo creditur non videri, quia impeditur oculus ab illo ne radios emittat: ac propterea ſine emiſſione radiorum videtur impoſſibilis viſio.

3. Argumen. Adhuc quia niſi ad faciendam viſionem cõcurrerent radij, qui extramiſſi ad obiectum, illud vbi eſt iudicarent: ſed actio ipſius obiecti oculo iudicanda induceretur: quoniam ipſa actio rei viſibilis eſt vbique in ſpatio diffuſa: ideo non obſtaret quod obiectum eſſet poſt dorſum noſtrum poſitum, ne illud intueremur; nam actio illa ſemper eſſet oculis noſtris obiecta.

4. Argumen. Deinde quia natura in oculis noſtris non alia de cauſa igneum lumen accendiſſe videtur, niſi vt obiectum ſuis radijs attingens, defectumq; externi luminis ſupplens, viſionem perficiat.

5. Argumen. Adhuc ſi ea, que videntur deberent in oculo recipi: ſequeretur ipſius obiecti viſibilis magnitudinem, ſitum, ac diſtantiam cognoſci à nobis non poſſe; que enim tam ingentia ſunt impoſſibiliter anguſtiſſimum pupillæ meatum ingrederentur: Ac pariter impoſſibile videtur in perexiguo oculi ſinu tot eſſe ſimulacra rerum; quæ cum innumerabiles fere à nobis eodem tempore inſpectæ ſint: quomodo illuc poſſint coexiſtere; nec in mutua commixtione confundi, ac perturbari, non videtur: eoq; magis cum non appareat id per quod ſecerni, & à confuſa congerie ſeruari valeant.

6. Argumen. Conſimiliterq; idem obiectum quod in aliquo magno ſpatio poſitum ſimul ab innumeris prope modum oculis cernitur, impoſſibile videtur ad eos eodem temporis momento deferri.

Arguun

Digitized by Google

Arguunt etiam quia ſi omnia viſibilia ingrederentur organum ſenſus, qui eodem *7. Argumen.*
tempore contraria, puta albedinem, & nigredinem ſpectat: ſequeretur eundem ocu-
lum ſimul contraria ſuſcipere; ſimulq; motibus contrarijs moueri.

Inſuper quia exinde fieret quod anima in viſione pateretur: paſſio vero turbat, ac *8. Argumen.*
euertit iudicium: vnde aptius ipſe ſenſus in viſione agere, & per emiſſos à ſe radios
obiectum attingere videatur.

Quoniamue agens & patiens vt vnum illorum in alterum agere valeat, debent *9. Argumen.*
commune aliquid includere: & nil commune cum anima videtur habere obiectum
ſenſibile: quod propterea non videtur poſſe in ipſum ſenſum agere.

Mox ſi viſio non fieret prope obiectum; ſed intra oculos: cum ipſi ſint duo: debe- *10. Argumẽ.*
rent omnia, que videntur geminata apparere.

Inſuper eo dato, non videretur neceſſarium quod pro habenda viſione oculus *11. Argumẽ.*
ad obiectum applicaretur, eiuſq; aciem in ipſum conuerteret: ſed quandocunque
apertus eſſet, obiectam ſibi rem viſibilem inſpiceret; eo modo vt de tactu, auditu, ac
de olfactu contingit.

Vlterius niſi fieret viſio per exeuntes radios, in quorum emiſſione, ac obiecti ia- *12. Argumẽ.*
culatione alij oculi vehementiores, & alij hebetiores eſſent: non appareret ratio cur
aliqui diſtantius inſpiciant quam alij: ſi enim quod fertur eſſet obiectum, vel illius
actio: illa æque ad omnes oculos non varie diſtantes duceretur.

Nec etiam ratio aſſignari poſſe videretur: cur oculus proxime ſibi circumfuſam ne- *13. Argumẽ.*
bulam non cernit: diſtantem vero facile videt: quod hinc procedere videtur, quia
emiſſi ex oculo radij, cum à principio validiores ſint: ideo fortiter agentes in propin-
quam ſibi caliginem; ipſam vt quid rarum permeant, & vlterius progredientes, non
vident eam: ad diſtantem vero nebulam, quia iam debiles perueniunt, non valent ip-
ſam penetrare: ac propterea vt quid ſolidum, & terminatum facile vident.

Præterea ſi imago viſibilis ex ipſo obiecto proficiſcitur, quia dum ſpeculum attin- *14. Argumẽ.*
git, illius anterior pars antecedere, primoq; in ſpeculum imprimi, debet: quærunt
cur nobis in illo ſpeculo inſpicientibus non obijcitur pars illius rei poſterior? eo mo-
do, quo qui perſonam ſibi faciem ponit, poſteriorem tantum partem concauam illius
perſonæ videt.

Arguunt denuo quoniam ſi ita inceſſanter (ac oculis etiam non inſpicientibus) eo- *15. Argumẽ.*
rum ſimulacra tanquam exuuiæ quædam manarent: tunc cum obiecta viſibilia, vt
naturalia perſcriptam vim habeant; cito in hoc fluxu deficerent, ac conſumerentur.

Inſtat etiam Galenus ob viſionem, quæ fit in ſpeculo, in quo (inquit ipſe) quam- *16. Argumẽ.*
uis de coloribus dici poſſit quod refrangantur, & retorqueantur; non poteſt tamen
id euenire de magnitudine, ac de figura, quæ cum conſiſtant in quadam partium
concinnitate, & abſolutione: proinde quomodo ipſe refrangi poſſint, non apparet, ita
vt à ſpeculo ad nos valeant ſponte deferri.

Addunt quod ſi viſio fit per viſibilis intromiſſionem: non apparet ratio cur idem *17. Argumẽ.*
obiectum quo magis à longe videtur minoris molis appareat.

Innititur demum Galenus in verbis Ariſtotelis, qui in tertio Meteorologicorum *18. Argumẽ.*
in ſumma 2. concedit ipſius viſus, ſcilicet viſualium radiorum, refractionem: vt vi-
ſus ſit de talium radiorum emiſſione non ambigere. Ibidemq; in capite 3. eiuſdem
ſecundæ ſummæ mentionem faciens de homine illo (qui fuit Antipheron Orieta-
nus) cui ambulanti ſemper ſui imaginem ſibi anteferri videbatur: de quo ipſe Ari-
ſtoteles cauſam aſſignans, dicebat id procedere ex debilitate viſus, ſcilicet viſibi-
lium radiorum, qui in propinquo aere frangebantur, ac ex ipſo tanquam ex opaco
ſpeculo reflectebantur: vnde ipſum etiam Ariſtotelem in hac viſibilium radiorum
emiſſione ab eis haud diſſentientem Galenus, & alij huius doctrinæ ſectatores, pro-
nunciarunt.

Statui-

Digitized by Google

Statuitur vnà cum Ariſtotele radios viſuales ab oculis non extramitti.
Cap. X.

EX oppoſito autem vniuerſa Schola Peripatetica arctiori rationis vinculo deuincta negat aliquos radios viſuales ex oculis egredi: ſed omni obiecti viſibilis actione introducta in oculis:ibi viſionem fieri,aſſeuerando: in quo ducem expræſſum habent Ariſtotelem: qui in ſecundo de Anima textibus 67.& 74.ac etiam in textu 121.adhuc in libro 3.in tribus capit.prioribus: ſed præſertim in lib. de Senſu, & Senſilibus ſuſtinuit viſiuam potentiam eſſe paſſiuam, obiectiq; receptiuam: nec aliquam emiſſionem radiorum ex oculis pro viſione neceeſſariam approbauit: Fundamenta multa ſunt: & primo

Ratio 1. quia ſi fieret viſio per hanc emiſſionem radiorum, & luminis: ſequeretur vt quo ſplendentiores ſunt oculi,eo validius, & acutius inſpicerent: cuius oppoſitum experientia docet; feles enim, & noctilucæ fulgentiores habent oculos, at viſiuam facultatem hebetiorem.

Ratio 2. Sequeretur etiam oculum non eſſe neceeſſarium organum viſionis: quoniam ſecundum talem ſententiam in illo non fieret viſio;ſed tantum eſſet medius quidam locus,per quem lumen,ac potentia viſiua tranſirent.

Ratio 3. Quinetiam ea poſita radiorum emiſſione,per quam fieret viſio:ſequeretur,vt oculi qui nullum lumen emittunt: quales pleriſque perfectis etiam animalibus compe-

Euaſio. tunt,nil viderent:Nec officit reſponſio Platonis,quod ſcilicet cuique oculo lumen in-

Impugnatio. ſit; ſed ipſum in nocte frequenter à tenebris extingui. E contra enim, cum tenebræ ſint mera priuatio, cuius non eſt agere in ſuum actum oppoſitum, ſed tantum diſponere ſubiectum ad illum: ideo nequent extinguere lumen. Quinnimo experientia decernimus: lumen in tenebris potius vigete, quam detrimentum pati: vnde modicum lumen noctilucæ, & conſimilium, quod Sole ſplendente torpeſcit, in obſcuro noctis apparet.

Ratio 4. Præterea ſi cæteræ omnes facultates cognoſcitiuæ ab obiecto mouentur,& per introductionem ſenſibilis cognoſcunt, vt euenit in reliquis quatuor ſenſibus externis, à quibus introducitur obiectum in ſenſum communem,ab eoq; in Phantaſiam:& ab ipſa Phantaſia in mentem:vt quid ſolus ſenſus viſionis debet ſecus ſe habere:& cum nobilior ſit ſenſibus, quibus obiectum iudicandum adducitur, cogitur ipſe ſolus ad ſuum ſenſibile venandum,& mendicandum?

Ratio 5. Comprobat hoc etiam certus exitus ex rebus viſibilibus ipſius actionis viſibilis; quam alij ſpecies, & imagines vocant; ipſa namque euidenter attingit ſpeculum, aquam, & alia huiuſmodi corpora: à quibus (etiam ſecundum Platonem, & Galenum) non extramittuntur ſpiritus viſorij talium imaginum conſtructiui: vnde cum iam ex ipſis obiectis talis actio ad viſionẽ requiſita prodeat: vt quid erat oculis etiam ſuperflue demandanda:quæ quidem ratiocinatio vim recipit ex regula illa Ariſtotelis:nil fieri per plura, quod valeat paucioribus perfici.

Ratio 6. Et confirmatur quoniam dum aliqua duo ad idem opus obeundum concurrunt: rationabile eſt actionem ad illud ſpectare,quod fortius eſt:paſſionem vero ad imbecillius: vnde cum ex duobus ad viſionem conſpirantibus color extrinſeco lumine inſtructus potentior ſit oculo, cui valde inferius eſt lumen: ideo obiecto, non oculo videtur id officium actionis adſcribendum.

Ratio 7. Vrgetur etiam propria redargutione Galenus; nam cum ex ipſius iudicio in libro Quod mores animi ſequantur temperamentum: potentia animæ ſit idem cum ipſa animæ eſſentia: ideo ponens hanc facultatem ex oculo ad viſibilia tranſeuntem per medium aerem effundi: ipſum aerem conſequenter repletum multis animabus, omnium ſcilicet animalium,que in ipſo vident,effingere videtur.

Ratio 8. Exinde etiam acriter ea doctrina torquetur:quia ſpiritus, ſeu radios illos ex oculis emiſſos putarunt aduerſarij corporeos: Plato enim, quem Galenus in præcitato loco refert,

refert,ac inſequitur, in Timero inquit: prodire ex oculis ignem, qui vnitur cum aere illuminato:ex hiſq; duobus vnum corpus confici. Et Galenus in ſeptimo de Decretis Hippocratis, & Platonis oſtendens quomodo viſio fiat: ait emitti ſpiritus animales, qui proximo aeri comixti eum ſibi ſimilem reddunt: & adhuc ait effundi viſiuam aciem ad circunfuſum corpus medium, quod alterando, in ſuam naturam conuertit: In libro etiam de oculis inquit: Tunicam Adhærrentem, ſeu Albam, quæ eſt vltima ex his, quæ cryſtallinum humorem in oculo cingunt; ideo non vbique pupillam tegere: quia ſi hoc eſſet: ſpiritus ex ipſa pupilla emiſſi, non eſſent validi ad eam perforandam:Si itaque radij iſti ſunt corporei: quomodo non impellunt corpus circunfuſum eis proximum? Quomodoue à ventis ex oppoſito flantibus non repelluntur eo modo, quo odores, & ſoni à ventis ne ad nos perueniant frequenter impediuntur, ac diuertuntur?

Ratio quædam etiam educitur eodem modo, quo ab aduerſarijs;ſed rationabilius; *Ratio 9.* ipſi enim dicunt quod ſi ex obiectis viſibilibus aſſiduæ ſpecies, ſeu actiones viſibiles defluerent, ipſa obiecta cito deficerent: tutius vero è contra aſſeritur quod ſi ex parua oculorum pupilla tot radij viſuales, ſeu ſpiritus exirent, qui non intentionales tantum eſſent, vt actiones viſibilium, ſed aliquam corpulentiam realem haberent, quiue tantæ eſſent quantitatis, vt in totum ferè emiſpherium mundi per vniuerſam illius altitudinem, ac latitudinem extenderentur, ineuitabilis eſſet citiſſima oculorum exinanitio, atque conſumptio: Quod confirmatur exemplo maximæ debilitationis, detrimentiue, quod patitur animal in quacumque emiſſione, ſeu ſanguinis, vt in inciſione venæ; ſeu ſpermatis in coitu; ſeu etiam ſpirituum in enixa contemplatione, vt conſimilis etiam extenuatio oculorum in viſione eſſet expectanda quando per ſpirituum extramiſſionem videret. Quod ſi Galenus reſpondeat: non emitti tunc ſpiritus *Euaſio.* vitales: ſed tantum animales, quorum eductio non extenuat. Id non perferrunt prin- *Impugnatio.* cipia eiuſdem Galeni, qui docet ſpiritus animales eoſdem eſſe, ac vitales ex corde aſſidue procedentes, ſed ex frigiditate cerebri alteratos, & pro ſenſatione ellaboratos: vt idem ſit animalium, ac vitalium ſpirituum diſpendium. Nec dicat aliquis: ſemel *Euaſio.* tantum ſpiritus aliquos emitti, ac inde perſeuerare viſionem etiamſi ſpirituum emiſſio non perſeueret. E contra enim cum ſpiritus huiuſmodi fluxiles ſint: propterea niſi *Impugnatio.* inceſſanti emanatione conſeruarentur euaneſcerent: Nec apparet à quo continuus eorum fluxus inhiberetur: Præterquam quod in animali quod circumeundo mouetur, & noua ſemper videt: inceſſans hec emiſſio non eſſet neganda. Nec tute prote- *Euaſio.* gunt Galenum recentiores dicentes: fuiſſe illius mentem, quod exeat ex oculis, non quidem ſpiritus animalis, vel aliud, quod ſit corporeum; ſed tantum lumen, quod accidens eſt. Quibus repugnant clara verba Galeni præcitata, quibus eos emiſſos ſpi- *Impugnatio.* ritus corporeos indicauit. Inſuper quoniam quemadmodum lumen à corpore luminoſo procedens, vt ſuperius in cap. quinto demonſtrauimus, non eſt aliquod ab ipſo luminoſo tranſmiſſum, & ſeparatum: quod ſit ſubſtantia, vel accidens, quod quidem de ſubiecto in ſubiectum migraret, ſed ens quodam ſpirituale, & intentionale, cuius eſſe conſiſtit in præſentia lucidi: pariter & lumen quod ex oculo procederet, non haberet talem entitatem, per quam recte dici poſſet, quod extramitteretur: quodue actiuum viſionis officium haberet: Longeq; minus dicere valent: quod emiſſum id lumen colores attingens vnà cum ipſis ad oculos reuertitur; quando talis motus tranſmiſſionis, & regreſſus fieri nequeat ex ente non per ſe ſubſiſtente, qualis eſt præſentia corporis luminoſi.

Accedit quod ſi tale lumen ex oculis animalium videntium prodiret: fieret vt in *Ratio 10.* nocte, vbi multa animalia congrediuntur, ibi aer illuminaretur.

Patet inſuper quod luminis emanatio ex corpore luminoſo reddit ipſum corpus *Ratio 11.* potius viſibile, quam videns, vt de oculis catorum, animaliumq; ſimilium: quibus creditur lumen, quo micant in nocte conferre magis ad conſpicuitatem, quam ad viſionem.

Inſuper lumen illud quod per radios, ſeu ſpiritus ex oculis egredi dicunt, aut in- *Ratio 12.*

Digitized by Google

ſeruit obiecto, aut medio, aut organo: at obiectum externo lumine nitet, alioquin egre videri poſſet: maxime dum diſtat adeo vt ad ipſum lumen oculorum peruenire non poſſit: intermedium etiam alio ab oculorum lumine fit perſpicuum; & per medium etiam tenebroſum in nocte que diſtantiſſime micant videri ſolent: organum vero, ſcilicet oculus, ſi foueri deberet lumine proprio gauderet eo non egrediente, ſed intra ipſum exiſtente: Quare tale lumen ex oculis fluens haud neceſſarius videtur.

Ratio 13. Rurſus radij illi; quos putant ex oculis emitti: aut obiecta viſibilia attingunt, aut non: ſi: non quomodo poterunt ipſum obiectum illuſtrare, ſeu per quamuis actionem ipſum viſibile reddere: non primo modo: nam vis pertingens vſque ad ſtellas firmamenti oculo non poteſt in eſſe: quemadmodum quamcunque quantumuis ingentem flammam videmus parum extendi, nec radij ſolores ex terra repercuſſi valent vſque ad mediam aeris regionem reflecti.

Ratio 14. Colligitur eadem veritas ex conditione organi, ſcilicet humoris cryſtallini, qui tanto lumine preditus eſt, quantum congrue ei ad viſionem inſeruiat pro illuminandis obiectis intra ſe receptis: ſituſq; eſt in media parte oculi, vbi tute valeat rerum imagines collocare: ac inſuper conſtructum eſt ipſum organum, ex humore aqueo; vt ſua perſpicuitate congruat impreſſioni viſibilium, & tanquam ſpeculum ſit cunctis imaginibus peruium; ſuaq; craſſitie aptius lumen, & imagines retineat: experſq; factus eſt omni colore, vt quamcunque valeat coloris ſpeciem intra ſe concipere: quod ſi viſio fieret per extramiſſionem; vt non eſſet neceſſaria obiecti receptio; tunc nil obſtaret quin oculus, etiam colore preditus, alium extra ſe colorem intueretur; requiritur enim denudatio ab obiecto in recipiente, & paſſiuo: non in agente.

Ratio 15. Pariter ex eiuſdem organi obſeruatione aliam ſuggerit rationem Anatome, quæ in oculo ſuper partem cryſtallinam, in qua fieri viſionem iure creditur, inueniunt planitiem aliquam, ex qua nos coniectari valemus: partem illam ad patiendum, & recipiendum: non autem ad extramitendum inſtitutam eſſe.

Ratio 16. Idipſum oſtenditur etiam ex humore vitreo, cuius non parua moles cryſtallinæ parti eſt appoſita: quod Galenus ideo factum fuiſſe dicebat; vt illius clariori ſubſtantia cryſtallinus humor aleretur: qui ſi alioquin ſanguine nutriri deberet, minueretur exinde perſpicuitas eius; vt fit de humore vitreo, qui ex ſanguine proxime altus fuſcum exinde colorem deducit. At altera, & recta, quæ aſſignatur ratio eſt quod cum pars cryſtallina receptum lumen, ac colores ad proximas partes effundat; ideo ſi proximas haberet tunicas coloratas, ex quibus lumen & colores ad eam reflecterentur: fieret vt omnia apparerent ei colorata colore illarum tunicarum: vt propterea ne id inconueniens ſequatur, inſtituit natura in poſteriori parte cryſtallini aqueum humorem tantæ magnitudinis, vt in illo ſufficientem haberent extenſionem lumen & colores: vnde euitaretur illorum reflexio a tunicis coloratis: Talis autem naturæ ſolertia in aqueo illo humore conſtituendo, ac ibi colocando ſuperflua fuiſſet, ſi viſuales radij non reciperentur in oculo; ſed virtus exterius obiectis occurreret.

Ratio 17. Deducitur etiam ratio ex obſeruatione illa quod idem obiectum ſi ſit valde remotum a viſu videtur paruum: ſi propinquum, magnum: cuius euentus cauſa creditur eſſe: quia dum proximum eſt, cauſat in oculo angulum linearum viſualium obtuſiorem, & latiorem: procul vero exiſtens arctiorem. Quod ſi viſiua potentia extra ſuum organum ad obiectum iudicandum effunderetur: tunc vbi inueniret, eo modo quo eſt ipſum aprehenderet: ac proinde tam prope, quam procul ſemper ſecundum eandem magnitudinem iudicaret. Sic nullatenus ſuſtinenda videtur Perſpectiuorum aſſertio, quod Pyramidis, quæ formatur inter rem viſibilem, & oculum, pars acuta ſit in oculo, & latior in re viſibili, cum è contra pateat quod que ex aliquo manant, initio ſunt latiora, ac ſucceſſiue ſemper anguſtiora redduntur, vt apparet in flammis.

Aduer-

Digitized by Google

Aduerſamq; poſitionem id inconueniens ſequeretur: quod proxime videns non amplius eſſet ipſum animal, ſed aer, ſeu animal per medium aeris. *Ratio* 18.

Id ſuadet vlterius beneficium ingens, quod pro actu viſionis adferunt conſpicilla: ea quidem ratione, quia vehementem actionem viſibilium modificant, ne oculos lædant: quiaue in vitro veluti in quodam ſpeculo clarius obiectum fulgeat: quod ſi viſio fieret per extramiſſionem radiorum, eam potius conſpicilla impedirent, quam iuuarent. *Ratio* 19.

Quod demum abſurditatem illius opinionis inſigniorem reddit eſt obſeruatio viſionis, quæ fit per ſpeculum, in quo videmus nedum nos ipſos, & que ante oculos habemus; ſed & ea, que nobis retro ſunt, queue ex pariete, ſeu alio corpore nobis ocultantur: in qua quidem viſione, niſi ſit ipſum viſibile, quod eius actionem ad ſpeculum, ac exinde ad oculos deuoluat: ſed oculus ſuam facultatem viſiuam ad obiectum emittat: multa, grauiaq; ſequentur inconuenientia: Primo quod oculus in illo ſpeculo nil videbit; cuius tamen falſitatis teſtis eſt ſenſus; & conſequentia currit, quando debeat facultas viſiua vſque ad obiectum, vbi eſt inſpiciendum, deferri. Secundo quod ſpiritus ille viſorius emiſſus ab oculis deberet repercuti a ſpeculo; quod immotum manens non videtur quomodo huiuſmodi repercuſſionem cauſare poſſit. Tertio quia non apparet ratio, cur a ſpeculo: & non a quocunque alio opaco corpore ſpiritus illi viſorij ad obiecta retro exiſtentia conſpicienda reflecterentur. Quarto quia ſi obiecta non viderentur in ſpeculo; ſed vbi ſunt: non apparerent oculo ſecundum illas differentias magnitudinis, ſeu clarioris, obſcurioriſue coloris, vt ex tali, vel tali ſpeculo frequenter euenire comperitur: ſi enim ſpiritus illi reflecterentur ad obiectum, vbi eſt, iudicandum: tunc illud eo etiam modo, quo eſt, iudicarent. *Ratio*. 20.

Argumenta in 9. capite adducta diluuntur. *Cap.* XI.

ADuerſæ rationes: quæ pro Platone, Galeno, alijſq; viſualium radiorum emiſſionem tuentibus allatæ fuerunt, diſſoluendæ ſuperſunt: quarum ad primam optima iam ſuperius eſt aſſignata reſponſio: tollit enim ſenſui cognitionem, appoſitio obiecti viſibilis ſecundum eius eſſe reale, ſeu materiale, ac principale: non autem ſecundum eſſe cognitum, ſpirituale, ac intentionale, qualis eſt actio illa, per quam viſibile ſenſum attingit. Et ad inſtantiam reſpondemus attingere ſenſum obiecti viſibilis actionem, non quamcunque; ſed eam, quæ inſeruit ad ipſum viſui repræſentandum: qualis eſt illius imago; per quam aptiſſime ſenſus ipſum obiectum cognoſcit: eo modo quo etiam intellectus per phantaſma, ſeu per ſpeciem intelligibilem res ipſas intelligibiles iudicat. *Solutio* 1, *argumenti*. *Solutio* 3.

Quod autem viſibile ſuperimpoſitum ſenſui non videatur: non procedit ex cauſa in argumento aſſignata; ſed ex eo quod cum ad efficiendam viſionem, requiratur illuminatio obiecti, ſpacij intermedij, & organi: vt in capite 6. conſideratum fuit: hec omnia deſunt dum viſibile tangit, & operit organum ſenſus. Præterquam quod cum actio obiecti ſenſibilis in principio ſemper a ſuo obiecto rudi quadam minerua, ac nimia concretione prodeat; ac per extenſum ſpacium ſenſim illa craſſitie exuatur, attenueturq;: inde redditur cuiuslibet ſenſus viribus adequatior: quod expreſſius patet in viſibilibus, ex quorum nimia diſtantia, immodica etiam ſequitur illius attenuatio, & exilitas, vt amplius perſpici non valeant. *Solutio* 2.

Tertium argumentum eos potius vrget, qui putant ex viſibilibus prodire ſpecies habentes entitatem realem, ac principalem, ab ipſis obiectis diſtinctas; de quibus, cum eſſent realiter in ſpatio effuſæ rationabilius obijci poſſet quod per eas obiectum etiam poſt dorſum noſtrum poſitum videri poſſet: At parum officit nobis, qui ex viſibili prodire tantum putamus intentionalem actionem, quæ cum (vt

K quæ-

Digitized by Google

quæcumque actio ſpiritualis) directe procedat infert viſionem oculis tantum eius obiecto oppoſitis: niſi ex leni aliquo corpore, vt ſpeculo, aut alio huiuſmodi repercutiatur.

Solutio 4. Lumen autem in oculo non eſt igneum, ſed aqueum, ac modicum, congruens quidem inſpectioni viſibilis, quod exterius illuminatum ei introducitur: at non ſufficiens pro totali illius illuminatione.

Solutio 5. Quintum argumentum ſi valeret; vrgeret pariter aduerſus Phantaſiam, quæ nullo excogitante quod vim cognoſcitiuam extramittat, percipit tamen, ac intra ſe recipit cuiuslibet ingentis ſenſibilis magnitudinem Ad vim autem argumẽti reſpondetur, quod impoſſibile eſſet in exiguo meatu pupillæ ingredi magnum obiectum per ſuum eſſe reale, & materiale: at non eſſe inconueniens, quod recipiatur per ſum eſſe intentionale, & repræſentatiuum, eo ſcilicet modo, quo eſt receptibile a ſenſu, qui cum ex ſecundo de Anima 121. ſit ſuſceptiuus rerum abſque materia: ſine qua quidem materia non eſt quantitas: ideo non recipit obiectum cum quantitate, vel diuiſibilitate, niſi ſecundum repræſentationem. Vnde quemadmodum & Pictura abſque reali magnitudine, & diſtantia, ſed ſola applicatione alicuius obſcuri, aliaue ratione congrui coloris, eas nobis repræſentat: ita non eſt mirum, ſi eas natura abſque illarum realitate formali: ſed per ſolam rationem ſpiritualem ſenſibus reuelat, vt conſtat etiam de Auditu, qui ſitus, & diſtantias abſque illorum realitate, recipiendo cognoſcit: Species autem viſibiles, quamuis non infinitæ quas natura non perficit; in quouis tamen magno numero abſque aliquo inconuenienti, ac confuſione coexiſtunt in ſenſu; quoniam cum non ſint corporeæ, nullaq; contrarietate præditæ, ideo non ſe inuicem impediunt quouis in loco poſitæ: quæmadmodum, & ſpirituales actiones quibus videntur oppoſiti colores, abſque commixtione. ac mutua interuptione recipiuntur in eodem ſpacio medio punctualiter: adeo vt Socrates exiſtens in Oriente videat album Occidentis, & Petrus exiſtens in Meridie videat nigrum Septentrionis: que ambo colorata abſque confuſione ſe obuiant in medio.

Solutio 6. Pariter nec eſt inconueniens, quod ad quotcunque oculos ſimul, ac ſtatim tranſeat idem viſibile; cum id non fiat per illius eſſe reale, & materiatum: ſed per eſſe ſpirituale, & intentionale, qualis eſt actio talis obiecti, quæ propterea facile attingit multorum oculos: ſicuti etiam ſonus quamuis ſit materialior actio rei audibilis; cito, ac ſimul ad multorum aures deducitur: ac idem cuiuſuis generis ſenſibile ex diuerſis Phantaſijs eodem tempore perſpicitur.

Solutio 7. Subſequenti dicimus quod repugnaret quidem ſubiecto inhærrentiæ, receptio, ſeu inexiſtentia contrariorum, quæ ſiquidem in ipſo recipiuntur ſecundum illorum eſſe reale: recipiuntur vero in ſenſu viſus, ac in quacumque alia cognoſcitiua facultate ſecundum eorum, eſſe ſpirituale, in quo non eſt contrarietas, & occaſio pugnæ: ſecundum quorum receptibilium rationem proprie contraria, & incompaſſibilia eſſent exempli gratia: idem eſſe, & non eſſe: ſeu idem eſſe nigrum, & non eſse nigrum: at duorum contrariorum ſimplex inſpectio ſimul abſque vlla inconuenientia ab eodem oculo habetur.

Solutio 8. Alteri reſpondetur turbare quidem, ac peruertere ſenſum actionem vehementem, & violentam: at lenem, & modicam confere, eiq; pro impreſſione, atque excitatione neceſſariam eſſe.

Solutio 9. Nonum argumentum non eſt ſoluendum cum aliquibus dicendo quod communis eſt materia oculo, ac rei viſibili, ſicut & cuilibet obiecto ſenſibili: Quamuis enim materiam habeat ſecundum ſuum eſſe reale, eam tamen non habet ſecundum ſuum eſſe cognitum iuxta id ſecundi de Anima tex. 121. quod ſit receptibile ſine materia: Sed reſpondendum eſt: id commune requiri inter ea, que agunt & patiuntur proprie, vt non ſit in ſenſatione: quamuis congrua etiam adſit conuenientia quædam inter animam videntem per vſum organi materialis, ac obiectum corporeum mouens per actionem eius ſpiritualem.

Quod

Quod ſequitur, ſi efficaciam haberet: etiam conceſſa extramiſſione viſiuæ virtutis concluderet ex duplici oculo vidente, duplicatam imaginem cuiuslibet obiecti: At hoc non ſequitur, quia quamuis duo ſint oculi: conſentiunt tamen, & conſpirant ad idem officium: eidem animæ inſeruiunt: eidem viſiuæ potentiæ miniſtrant: ac eodem ſenſu communi diriguntur. *Solutio 10.*

Obiectorum autem Auditus, & Odoratus, ſcilicet ſoni, & odoris, diſpar eſt ratio, ac obiecti viſibilis; illa enim cum materialiter in aere effundantur: ac in ipſo toto ſecundum eſſe magis reale diſpergantur, ideo ab illorum ſenſibus, etiam eis non applicatis, debiliter tamen, percipiuntur: actio vero viſibilis, cum ſit ſpiritualis, & ſola præſentia obiecti, quamuis aliqualiter, non tamen adeo efficaciter, mouet ſenſum, qui ad ipſum non ſit applicatus. *Solutio 11.*

Cauſa autem cur aliquorum oculi aptius videant a longe, & alij ſecus melius propinqua videant: varie aſſignatur a multis, quos refert, ac refellit Commentator in tertio collectionum capite 38: qui proprium deinde iudicium adducens inquit: hebetiores oculos ſuſtinere non poſſe vehementem motionem: ideo facilius remota intueri, ex quibus mitior ad eos actio peruenit: duriores vero, ac robuſtiores, qui vehementi egent impreſſione, rectius vident propinqua, a quibus fortius mouentur: Media vero temperie conſtructi æque proxima, atque remota inſpiciunt. Alij autem experientijs edocti negant hanc determinationem, quod oculi debiliores ad procul, robuſtioresue ad proxime videndum magis valeant: & dicunt quod aptius videre propinqua, conuenit tum omnibus oculis duris, concauis, & nigris, quia vehementem motionem expoſcunt: tum his qui ſplendentes, & valde aperti ſunt, vt in equis accidit: tum etiam oculis ſenum, qui ob imbecilitatem eis ex ſiccitate prouenientem: vnde deficit illis perſpicuitas, parum ad diſtantia perſpicienda valent: quare euentus ille procedit ex varijs cauſis, ex quibus non eſt ea, quæ adducitur in argumento. *Solutio 12.* *Cur magis aliqui procul, & alij prope videant.*

Cauſa autem cur nebula melius videatur a longe, quam prope: non eſt illa, quam tangit argumentum: ſed alijs derelictis aſſertionibus, dicitur primo cauſam eſſe, quia cum lumen prope nos ob proximam reflexionem ex terra ſit intenſius, ideo penetrat caliginem propinquam, adeo vt facta quodam corpus per raritatem ac lumen, perſpicuum, non videatur: vnde illa, quæ procul adeſt, ex remiſſiori lumine, quod illam penetrare non valet, euadit tanquam corpus opacum illuminatum tantum in ſuperficie: ac proinde facile viſibilis redditur. Adde quod nebula valde a terra elleuata, ex continuato acceſſu exalationis magis coaceruatur, ac condenſatur adeo, vt opacior, ac conſequenter viſibilior reddatur. Inſuper quoniam rei procul exiſtentis meatus, & interuacua, quæ proxime apparebant, non videntur: quemadmodum retis ante oculos poſitæ facile decernimus interpoſita foramina, quinimo ferè nihil ante oculos nobis adeſſe videtur: quod ſi diſtet a viſu tunc deliteſcunt foramina, & retis veluti denſa quædam tella videtur: ita viſus inſpiciens per rariores partes nebulæ proximæ, illius corpulentiam non decernit: diſtantem autem optime videt. Adhuc quia nebula prope nos exiſtens contiguum habet aerem ex impuritate craſſiorem, eiq; ſimilem adeo, vt ægre tanquam quid ab illo differens nebula decernatur: dum autem ſuperius puriori aeri cohæret; tunc ex euidentiori illorum corporum diſcrimine facile denſius ipſius nebulæ corpus apparet. *Solutio 13.*

Imago rei quæ apparet in ſpeculo, ac ex illo reflexa ad oculos noſtros recurrit; ideo ſemper eandem faciem anteriorem oſtendit: quia non (vt perſona illa) diſtinctas habet partes, anteriorem ſcilicet, ac poſteriorem: ſed eſt puriſſima actio in ſpeculum, ſeu ſimpliciſſima præſentia ipſius viſibilis, quod quidem viſibile (& non aliud ab illo diuerſum, vt in capite quinto probare tentauimns) eſt id quod videtur in ſpeculo: ideo ſecundum illam partem, per quam ſpeculo objicitur, ſemper ab illo reflectitur, & demonſtratur. *Solutio 14.*

Decimumquintum argumentum, quod docuit nos viam acrius in ipſos ad- *Solutio 15.*

Digitized by Google

uerſarios diſputandi: quia ſcilicet ſi pro viſione emitterentur ex oculis viſorij ſpiritus, ſeu lumen, que pariter ab eis corpora exiſtimantur; citiſſime oculi deficerent: id non vrget nos, qui actionem per quam obiectum attingit viſum, non ponimus quid reale, quod proprie ex viſibili exeat, ſed meram illius præſentiam, in cuius oſtenſione, ac communicatione, non diſſipatur, vel imminuitur.

Solutio 16. Subſequens etiam argumentum nos contra illius auctores optime inſtruit: cum enim aliquid poſt tergum noſtrum poſitum ſpeculi beneficio, tanquam ante nos exiſtens videmus: ſi non ipſa actio viſibilis ad ſpeculum, & ad nos accederet; ſed fieret viſio per extramiſſionem: mirabile id abſurdum ſequeretur, quod ſpiritus viſorius deberet primo deferri ad ſpeculum; in quo nil videret: ac exinde reflecti ad locum poſt tergum noſtrum poſitum, ſeu poſt aliquod corpus obiectum nobis occultans, ad ipſum inſpiciendum: quæ quidem ſpirituum repercuſſio, cur fieret ex ſpeculo, & non pariter ex quocunque corpore opaco: quis cauſam aſſignaret? Ad argumentum vero dicimus: refractionem, ac reflexionem illius actionis obiecti viſibilis, ſecundum quamuis (etiam ſcilicet communis accidentis rationem) nullum afferre inconueniens, cum non ſit ractio propriæ, quæ tantum corporeis contingit: ſed ſic vocata per quandam ſimilitudinem metaphoricam, quatenus ſpeculum impræſſam ſibi actionem illam, quæ in præſentia ipſius viſibilis conſiſtit obiectis oculis videndam anteponit.

Solutio 17. Cur vero viſibilia quo magis diſtant eo minoris molis appareant: duplex affertur ratio: quarum prima eſt Mathematica: & altera Phyſica: primo enim Alexander Aphrodiſeus in ſecundo de Anima comment. 38. Ludouicus Buccaferreus, & alij multi Perſpectiuos inſequentes inquiunt: quod viſoriæ Pyramidis, quæ inter obiectum & viſum noſtrum formatur, quo magis obiectum diſtat eo acutior fit cuſpis oculum attingens, vt inde minor appareat obiectum: propinquum vero, quia videtur ab oculo per angulum latiorem; proinde minoris molis ſe oſtendit. Ratio vero Naturalis fuit Plotini, & aliorum afferentium quod, quia obiecti propinqui diſtinctim omnes partes percipiuntur, remoti vero partes minores non decernuntur: ideo eadem res dum prope eſt, veluti maiori numero partium conſtans, maior apparet; procul vero, veluti pauciores partes habens exigua videatur: & inde eſt quod corpus æterogeneum diſtans, quamuis eiuſdem quantitatis cum homogeneo aliquo ibidem poſito; quia partes illius omnes diſtinctius, quam partes ſimilares alterius, decernuntur; ideo maior apparet.

Solutio 18. Parum denique officere poſſunt verba Ariſtotelis in tertio Meteorologicorum, in quo non proprio loco determinandi hanc quæſtionem: ſed de Iride, & alijs huiuſmodi agens Philoſophus, loquitur populariter, & ſecundum opinionem Platonis tunc magis aceptam, vt vulgatis terminis ſuam doctrinam vulgo facilius inſinuaret; vt fecit alijs etiam in locis: ſed præſertim in eodem libro, in quo accepit exemplum tonitrui, quod ſit ſtrepitus procedens ex extinctione ignis: quod falſum eſſe nil intereſt in illo loco alieno ab illa ſpeculatione; ideo poſt verba illa principaliter hic obſeruata, inquit quod parum ad id, ſcilicet ad ſermonem de Iride refert, an viſio fiat per intramiſſionem, vel per extramiſſionem: Sed ſi quis Ariſtotelis germanam opinionem de viſione compertam velit, præallegata eius loca huic tractationi propria reſpiciat: ac præſertim opus de Senſu & Senſilib; vbi ex profeſſo de Viſione agens eam ſpirituum emiſſionem reprobauit. De homine autem illo Orietano dicitur id ei accidiſſe ob imbecillitatem viſiuæ facultatis; cum enim omne viſibile in quocunque corpore, veluti in ſpeculo, aliqualem ſui imaginem imprimat: id facit propterea homo (quamuis leuiter) in proximum aerem; quemadmodum,

vt ha-

Digitized by Google

Vt habetur in ſecundo de Anima 80. etiam cuiuſcumque ſoni ſit ſemper in proximo intermedio aliqua repercuſſio, quamuis ob illius tenuitatem non ſemper appareat : Illam autem leuiter impreſſam imaginem non obſeruat oculus vigens : qui ad vehementia ſenſibilia inſpicienda implicatur : at Antipheron, cui hebes erat facultas viſiua, vt maiora ſuſtinere non poſſet, tenuem illam imaginem poterat intueri. Quamuis proprius dicendum videatur, quod homo ille in imbecillitate oculorum paſſus ſit fluxu craſſi humoris, in quo (ipſi oculo ſemper inhærrenti) veluti in ſpeculo ipſius imago imprimebatur : illaq; ab eo videbatur : Non tamen ſpernimus iudicium Alexandri attribuentis id nubeculæ cuidam intra oculum Antipherontis impreſſæ, quæ ab eo tanquam aliquid extrinſecum cernebatur, & iudicabatur.

DE EFFVSIONE.
AC SEDE ANIMÆ IN CORPVS.

Proemium, in quo prænotanda quędam explicantur. *Caput I.*

MAgis quam de gemmis, & auro, de alijſue, quibus enixius affectus hominum inſidet; expetibile eſt de Anima nobiliſſima parte, quinnimo vnica inuariabili eſſentia, atque totali perfectione noſtra, ſcire, vbi repoſita ſit: de quo dum aliorum certamina diſcuſſiorem nobis veritatem parant; eam exinde exprimere connabimur, primo circa partitionem animæ in corpore an verum ſit communiſſimum aſſertum illud; *Duplex quæſitum.* quod ipſa ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: mox quodnam ſit membrum præcipuum; in quo anima, tanquam in ſui ſede, locatur: *Obiectio* Nec ambigere debet aliquis ob incompoſſibilitatem, quæ videtur eſſe inter hec duo Quęſita; quia ſcilicet ſi tota anima eſt in toto corpore, vel in quacunque illius parte repoſita; ſupereſſe non videtur occaſio quærendi in quonam membro, magis quam in alio locetur: *Dilutio.* Tollitur enim facile dubitatio obſeruando quod anima dicitur eſſe in toto corpore per informationem: in membro autem præcipuo tanquam in radice, nimirum in parte, vbi eſt principium motus, aliarumq; illius operationum: Prius itaque de totalitate animæ in corpore, ac in quacunque illius parte quærendo: vt rem magis ab inuolutionibus explicatam ſeruemus a principio eſt adnotanda diſtinctio quæ prolata a Diuo Thoma in prima parte ſummæ, quæſt. 76. artic. 8. ac in Quæſtionibus diſputatis de Anima artic. 10. omnes approbant: *Triplex acceptio totalitatis animæ.* id ſcilicet quæri poſſe de animæ totalitate vel eſſentiali; vel quantitatiua, ſecundum ſcilicet quantitatem illam, quam ex extenſione corporis, vnde & ipſa conſequenter extenditur, per accidens ſortitur: Vel poteſtatiua, & virtuali, ideſt reſpectu ſuarum facultatum: Quod quidem nos ſecundum quamcunque ex tribus his acceptionibus tractaturos, *Obiectio* terrere non debet obiectio Ioannis Gandauenſis, quod nempe, cum ratio totius præſupponat partes, & anima quatenus forma, ac ſimplex ſubſtantia non habeat partes; propterea improbe de illa quæratur an ſit alicubi tota: *Solutio aliquorum.* Cui multæ afferuntur reſponſiones, dicentibus primo nonnullis: rationem totius in hac quæſtione non ſummi in eo ſenſu, vt dicat reſpectum ad partes; cum illas non habeat, ſed ad ſignificandam perfectionem, & abſolutionem rei: Cui dicto obijci ſolet, quod cum anima ſit ſimplex, ac nobiliſſima ſubſtantia non recipiens magis, vel minus; quæ propterea vbicunque eſt, ſemper integram, & abſolutam perfectionem obtinet; non adeſt de ipſa occaſio quærendi an magis in vno loco, quam in alio ſit perfecta: *Solutio alia* Alij reſpondent animam dici totum quatenus habet partes definitionis, quæ ſunt ei quodammodo eſſentiales: Quibus etiam non eſt adhærendum; definitio enim animæ non habetur per illius partes eſſentiales, ſed per

eius effectus in corpore naturali, de quibus ſolis non intenditur; præſertim dum
quæritur an totaliter ſe habeat in corpore etiam eſſentialiter, & quantitatiue: Nec *Solutio alia*
ſequemus dicentes totalitatem animæ intelligi pro aggregato ex animabus diuer-
ſarum ſpecierum ſcilicet intellectiua, ſenſitiua, & vegetatiua eidem indiuiduo inexi-
ſtentibus: vt ſenſus quæſtionis ſit an in quacunque parte corporis vnaquæque ex
his animabus reperiatur, vel aliqua illarum alicubi non ſit: Non inquam: nam
exinde pariter excluderetur ab hac queſtione conditio ipſius animæ ſecundum to-
talitatem eſſentialem, & quantitatiuam, quæ ferè ab omnibus in hac quæſtione
verſantibus eſt accepta, Nec dicimus cum Zabarella in libro de Partitione Ani- *Solutio alia*
mæ cap. 2. quod totalitas non attribuatur animæ, quæ caret partibus, ſed corpori;
vt quæſtio ſit an anima ſit in toto corpore, vel in aliqua illius parte tantum: Re-
ſiſtit enim huiuſmodi gloſſæ ſenſus verborum in titulo quæſtionis, quibus gemina
pronunciatione totalitatis, proponitur expreſſe id quærendum de tota anima, ac
de toto corpore: Sed fatemur quod pro tota anima intelligitur totalitas quocun- *Solutio.*
que modo, etiam ſcilicet eſſentialiter, & quantitatiue ſingularum animarum, ſiue
vnitim in illo aggregato ipſarum, ſiue ſeparatim: tanquam enim adhuc dubium
an anima ſit in partes diuiſibilis, quæritur cum ſit in aliqua parte corporis num-
quid in alijs partibus corporis ſit ſecundum ſuas partes, quas habeat, vel totaliter:
nec mirum eſſe debet ſi in titulo quæſtionis alterum ex duobus membris ſit falſum,
quale eſt id quod implicite continetur in titulo præſentis, ſcilicet animam collo-
cari in diuerſis partibus corporis ſecundum diuerſas ſui partes; quo destructo, re-
ſtat alterum, nempe quod ſit vbique tota: Quæ quidem totalitas, intelligenda non
eſt poſitiue, tanquam conſtet actualiter ex partibus; ſed potius negatiue; quia vi-
delicet cum non habeat partes, ideo nil ei vnquam deficiat, & vbique ſit abſque
partitione.

An anima ſecundum eſſentiam ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte.
Cap. II.

EXordiendo itaque a totalitate primo modo ſumpta quæritur de ani-
ma, an ſecundum eius eſſentiam ſit tota in toto, & tota in quacun-
que parte corporis: circa quod occurrit primo opinio Magni Alber- *Opinio Alber.*
ti in ſecundo de Anima tractatu 1. cap. 7. id negantis, & ſuſtinen-
tis animam ſecundum ſui eſſentiam eſſe tantum in membro præci-
puo; reliquis vero partibus non ineſſe aliud quam potentias exinde tranſmiſſas;
vnde ipſum membrum præcipuum, quod exiſtimauit cor, dicebat eſſe organum
ſubſtantiæ; reliqua vero membra eſſe organa potentiarum animæ, his fundamen-
tis ſubnixus; primo quoniam vbi eſt tota eſſentia animæ, ibi eſt integrum, ac per- *Argumētū 1.*
fectum animal: vnde ſi in quacunque parte animalis eſt tota eſſentia animæ; ſequi-
tur quamcumque partem animalis eſſe integrum animal, eo modo quo quęcunque
pars ignis eſt perfectus ignis: quod tamen eſt falſum; nam portio carnis, aliudue
membrum, ſeu ſimilare, ſeu diſſimilare, non eſt integrum animal: Deinde quia *2. Argumen.*
dempta tota eſſentia animæ perit animal: ideo ſi tota eſſentia animæ eſſet in aliqua
parte corporis, puta in oculo; tunc auulſo ab animali oculo, ac proinde tota eſſen-
tia animæ ei ſubtracta; ſequeretur ipſius animalis deſtructio. Adhuc quoniam ſi *3. Argumen.*
hoc eſſet, tunc membrum abciſum a corpore ſeorſum aliquandiu viueret; nam for-
ma ſubſtantialis non perit niſi præcedente præuia alteratione, quæ fit in tempore:
cuius tamen oppoſitum docet experientia in multis membris, que a corpore reci-
ſa ſtatim intereunt. Præterea ſi in quacunque parte corporis eſſet tota eſſentia ani- *4. Argumen.*
mæ ſequeretur quod dum vna manus mouetur, & alia penitus quieſcit: tunc ea-
dem anima ſimul ſecundum ſe totam moueretur, ac ſecundum ſe totam quieſce-
ret: contradictorium autem eſt quod idem ſecundum ſe totum ſimul moueatur,
& quieſcat. Præterea ſequeretur exinde quod vnum animal eſſet diuiſibile in plu- *5. Argumen.*
ra ani-

Digitized by Google

ra animalia per ſe ſubſiſtentia, quodue animal quodlibet eſſet aggregatum quodam
6. Argumen. ex pluribus animalibus. Prçterea per communiſſimum axioma, extra totum nihil eſt accipere: vnde ſi anima eſt in aliqua parte corporis tota; nil eius relinqui-
7. Argumen. tur, quod poſſit in alia corporis parte reperiri. Inſuper in eſſentia animæ radicantur omnes animæ facultates: vnde ſi in quacunque parte animalis eſt tota eſſentia animæ, opportet vt inibi ſint omnes facultates animæ; vt ſcilicet in digito ſit vir-
8. Argumen. tus viſiua, auditiua, aliaq; huiuſmodi, quod eſt falſum. Vlterius quicquid eſt in alio, ineſt ſecundum modum eius, in quo eſt: Modus vero corporis, cui ineſt anima, eſt vt vbi eſt vna pars non ſit alia: nec totum poſſit eſſe in pluribus locis: quare & vbi eſt vna pars animæ, non eſt alia; ipſaq; tota nequet magis quam in
9. Argumen. vno loco reperiri. Inſuper maior eſt vnio formæ cum materia, quam locati cum loco: vnde cum locatum (etiamſi ſpirituale) non valeat eſſe in pluribus locis; lon-
10. Argumẽ. ge minus anima poteſt in diuerſis partibus corporis reperiri. Amplius animalia inſecta, ſeu annuloſa in partibus inciſa viuunt idcirco, quia in quacunque parte deciſa ſupereſt anima: Id autem non euenit in animali perfecto: vnde videtur quod
11. Argumẽ. ex auctorita. in tali animali non ſit anima in quacunque parte corporis. Vltimo ſunt quædam auctoritates Ariſtotelis, quæ huic aſſertioni officere videntur; in textu enim 11. ſecundi de Anima dicitur anima eſse quarumdam partium corporis actus; vnde non videtur eſſe in toto corpore. Rurſus in libello de communi Motu Animalium cap. 7 inquit, ſe habere animam ad corpus vt Rex in ciuitate, qui in aliqua tantum præcipua parte reſſidens, ad alias partes per varios miniſtros vim gubernandi transmitit: vnde pariter videtur quod anima cordi inexiſtens alijs membris pro eorum obeundis muneribus ſuam tantum virtutem effundat. Pariter et in libro de Iuuentiote, & Senect. capite 2. & 3. habetur: in corde reſidere principium ſenſus, quod quidem non aliud eſt quam anima ſenſitiua: Ac in octauo Phyſicorum tex. 80. aſſignauit locum intelligentiæ non totum Cœlum, ſed partem tantum: vnde arguitur eandem eſſe proportionem intelligentiæ ad Cœlum, vt animæ ad corpus: ac inde intentum colligitur.

Deciſio. Ratio 1. Incolumis tamen ſeruatur oppoſita veritas, infragili fundamento ſubnixa; niſi enim eſſentia animæ ineſſet cuique parti corporis, ſequeretur non totum corpus eſſe animatum; quia partes, quibus non ineſset anima, non eſsent animatæ: anima vero cum ſecundum eius eſſentiam indiuiſibilis ſit; ideo vbique extat, ibi ſecun-
Euaſio. dum totam ſuam eſsentiam adeſt; vt propterea ſi omnes partes animati corporis ſunt animatæ, debet tota eſſentia animæ in quacunque parte corporis reperiri: Nec tutum eſt effugium Alberto dicendo quod, reliqua membra corporis ſunt animata
Impug. per virtutem, ſeu facultatem animæ eis ex corde manantem: Vanitas enim eſt hæc: nam quemadmodum etiam capilli, vngens, & alia huiuſmodi excrementa donec corpori hærrent quamuis ab aliqua virtute animæ attingantur, & roborentur; non tamen ſunt animata; ita & partes animalis cui non animæ eſſentia, ſed aliqua tantum vis eius ineſſet, non poſsent dici partes animatæ: Propterea arguitur quoniam virtutes, ſeu facultates illæ ex anima cordi tantum inexiſtenti ad reliqua membra tranſmiſsæ, vel eſſent animæ conſubſtantiales, quod repugnat menti ipſius Alberti; ac veritati, vt nos in proprio ſermone demonſtrauimus: vel ſunt illius acidentia: quod ſi primo modo, tunc adimpletur intentio noſtra quod animæ eſſentia ſit in quacunque parte corporis: ſi ſunt accidentia, tunc nequent corpus eſſentialiter, & animarie perficere: (vt enim recte animaduertit D. Thomas in prima parte ſummæ quæſt. 76. art. 8.) ſi anima ineſſet corpori tantum vt mouens, ac vt nauta nauſ, liceret tunc dicere reliqua membra dirigi per dependentiam a prçipuo, & a facultatibus animæ exinde influentis moueri: quoniam vero ei hærret vt forma, debet proinde omnes illius partes informare, & animatas reddere: Adde quod cum accidentia nequeant ſeorſum, & abſque proprio eorum ſubiecto conſiſtere; ideo potentiæ, quæ ſunt accidentia animæ non poſſunt eſſe ſine ſubſtantia animæ, quæ proprium eſt ipſarum ſubiectum: vnde vbicunque in corpo rereperiantur,

Digitized by Google

riantur, ſemper ibidem eſſentiam animæ vt ipſarum fulcimentum requirunt.

Eadem Alberti poſitio vrgetur quinetiam ex definitione animæ; cum enim dicatur actus primus corporis naturalis organici; ideo reſpondere ei debet non vnicum tantum membrum præcipuum, ſed totum corpus, cui omnia inſtrumenta animæ inſeruientia inexiſtunt; cor etenim poteſt dici organum, ſed non organicum, quatenus ſcilicet illam multiplicitatem organorum, que ab anima requiruntur, includat. Nec dicatur quod ob varia munera partium diſſimilarium ipſius cordis vocari poſſit organicum. Obſtat enim primo quod illa non ſunt omnia organa, que ab anima requiruntur: Ac inſuper quoniam eadem eſt ratio animæ ibi definitæ in animalibus perfectis præditis corde, ac in animalibus imperfectis, in quibus cum non ſit cor, radicatur anima in aliquo proportione reſpondente cordi, quod eſt ſimplex: quare ſi anima ineſſet tantum cordi, ſequeretur falſam eſſe difinitionem in animalibus imperfectis; in illis enim anima non eſſet actus corporis organici: Propterea Ariſtoteles in textu 6. ſecundi de Anima ſtatim quod attulit definitionem animæ ſubinfert quod in plantis inſtrumenta animæ ſunt illarum partes vt radix, folia, fructus, ac cortex: ſignificans totalem plantam, quæ ſingula requiſita organa continet, eſſe corpus, organicum animæ correſpondens. Clariſſimeq; atteſtatur huic veritati Philoſophus in ſequenti q. contextu, dum inquit quod; vt viſus eſt actus oculi ita ſe habet anima ad totum corpus animatum. *Ratio 2.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

Quod confirmari adhuc poteſt quoniam vbi eſt operatio animæ, ibi exiſtimandum eſt eſſe animam, quæ vbi non eſt operari non poteſt: vnde cum operationes animæ in quacunque parte animalis appareant; conſequens eſt vt in quacunque illius parte ſit anima ſecundum eius eſſentiam: Conceſſo tamen Auerroi quod in aliquo membro præcipuo, veluti in radice, ac principio ſuæ operationis, principaliter inſit. *Ratio 3.*

Oppoſitæ rationes facile diluuntur: quarum ad primam quod fert maior propoſitio negandum eſt; ad conſtituendum enim totum, & integrum animal non ſufficit anima tota ſecundum eſſentiam; ſed requiritur etiam illius totalitas ſecundum potentias, pro quibus omnes, vel ſaltem præcipuæ partes corporis organicæ neceſſariæ ſunt: diuerſa autem ab animali eſt conditio ignis, cuius forma cum non ſit anima requirens corpus æterogeneum, & organicum propterea ſaluatur in minima mole ignis; vnde quæcunque mediocris flamma eſt diuidua, veluti quædam maſſa ſeu aggregatum plurium ignium; ſimplex enim natura illius formæ, ſimplex ac modicum ſubiectum ſatis habet: anima vero, quæ requirit corpus æterogeneum, ac conuenientis magnitudinis ob varias eius potentias exercendas, non valet in quacunque parte corporis, quamuis totalitate ſuæ eſſentiæ prædito, integrum animal conſtituere. Sübſequenti reſpondetur interire animal dum perit tota anima abſolute: in abciſione autem vnius membri non perit tota anima abſolute: nam quamuis ſecundum totam eius eſſentiam inſit vni membro, eſt pariter ſecundum totalitatem eſſentiæ etiam in alijs partibus: vnde niſi illæ omnes corruant, ac præſertim membra præcipua, vbi anima potiſſimum eſt radicata; non ſequitur animalis interitus: ac propterea recte dicitur deſtrui animal ex deſtrutione totius animæ ſecundum quantitatem, de qua in ſequenti capite erit differendum; non autem ob deſtructionem totius animæ ſecundum eſſentiam, ex qua deſtructione non tollitur quod eadem totalis eſſentia in reliquis partibus ſuperſit: Addimus vero quod quamuis in deſtructione alicuius portionis corporis inanimati, vt puta ignis, auri, ſeu carnis, vel ſanguinis, portio illa formæ talis naturæ inanimatæ, quæ illam partem informabat ſimul deſtruatur; vtpotè ea, quæ cum non exigat corpus organizatum, & æterogeneum propterea vt ex quacunque mole talis ſubiecti ſimplicis poteſt educi; pariter & cuiuſuis talis partis interitum ſuo lapſu conſequitur, anima tamē quæ vt nobilioris conditionis non niſi ex corpore organizato, & perfecto apta eſt educi, in abſciſione portionis animalis non perit, ſed (abſque tranſmigratione, ſi quidem in eodem ſuppoſito perſiſtit) retrocedit ad reliquas ipſius animati corporis *Sol. 1. argum.* *Solutio 2.*

Digitized by Google

Solutio 3. aliorum. poris partes informandas. Alteri qui concedunt ad corruptionem partis corporis, partem animæ illi inſitam corruere; vel reſpondent concedentes quod membrum reſciſum a corpore ſtatim intereat; quia animæ eſſentiam habet tantummodo deriuatiue; non autem radicatur, vt in membro præcipuo, quod propterea diutius morti reſiſtit. Et cum id probatur quia tota anima non deſtruitur abſque præcurſſu præuiæ alterationis: Reſpondetur id verificari de anima in reſpectu totius animalis, cuius eſt adequatum perfectibile; ac etiam de anima partis principalis, ſcilicet membri præcipui, in quo habet eſſe principale, & radicale, non autem participatum, & per deriuationem: Et ad inſtantiam de partibus plantarum, quæ diu deciſæ viuunt. Reſpondent id eo procedere, quia membrum præcipuum plantarum proportione reſpondens cordi, in quo radicatur anima, eſt humor quidam homogeneus aqueus, qui per totam plantam effuſus eſt, & diuiſibilis etiam eſt adeo, vt pars reſciſa aliquam illius partem poſſidens, valeat per illam aliquamdiu viuere.

Solu. auctoris Nos vero qui non concedimus partem animę vnà cum parte corporis reſcisâ defluere; ſed eam ad partes incolumes retrocedere arbitramur: dicimus ad argumentum ideo partem illam reſciſam ſtatim ocumbere, quia ſtatim ab anima deſtituitur. Quod vero animalium inſectorum, aliorumve partes a toto reſciſæ aliquamdiu viuant procedit ex illorum animalium humore denſſo, ac glutinoſo, ob quem ſpiritus ex corde, ſiue alio huiuſmodi membro procedentes, non ſtatim effluunt vt ex membris perfecti animalis, in quibus per ſubſtantiam illorum poris refertam facilem egreſſum inueniunt. De partibus vero Plantæ, quæ abſciſe a toto diu vigent, & germinant; iam dictum eſt id prouenire ex ſimplici illarum natura, cuius anima requirit corpus minus organicum, radicaturq; in membro præcipuo ſimilari, cuius pars continens animam illam quæ diuiſibilis eſt, valet ex ipſa aliquamdiu conſeruari, & terræ inſerta, vel alteri vegetanti appoſita, ad integram vitæ perfectionem redigi. Sed rectius inquit Simplicius, in ramo reciſo non ſeruari animam, ſed pro-

Solutio 4. ximam tantum diſpoſitionem ad eam. Subſequenti reſpondemus quod inconueniens, ac contradictorium eſſet, ſi ſimul moueretur, ac quieſceret idem abſolute; vt ſi id accideret toti animæ ſecundum extenſionem, & quantitatiue; non inconuenit autem toti animæ ſecundum eſſentiam; nam vt ſecundum talem totalitatem reperitur in parte corporis, quæ mouetur; eodem modo inexiſtit alteri parti, quæ non mouetur: vnde reſpectu diuerſorum ſubiectorum valet etiam varias affectiones ſubire. Alij dicunt quod inconueniret animam habere oppoſitas actiones per ſe: at ipſam ſimul moueri, & quieſcere per accidens, ſcilicet reſpectu diuerſarum par-

Solutio 5. tium corporis: non eſſe inconueniens. Prout ſpectat ad quintum argumentum; iam dictum eſt ad perfectionem, & integritatē animalis non ſufficere totalitatem animæ ſecundum eſſentiam, ſed vlterius neceſſaria eſſe organa, que varijs illius animalis

Solutio 6. potentijs inſeruire debent, quæ parti tantum corporis non adſunt. Alteri reſpondetur quod quia in parte corporis eſt anima tota ſecundum eſſentiam; propterea nil eius eſt alibi, quod non ſit in illa parte: quemadmodum quia tota ſecundum extenſionem eſt in toto corpore; proinde nil eius eſt extra totum corpus, quod ab illa

Solutio 7. actuatur. Ad ſeptimum dicimus radicari quidem omnes facultates in eſſentia animæ, ſed per concurſſum organorum corporeorum, que cum ſingula prout ad omnes facultates animæ ſpectant non niſi in toto corpore reperiantur; propterea non niſi in anima per totum corpus effuſa, in ea ſcilicet tota ſecundum quantitatem poſſunt

Solutio 8. omnes illius potentiæ radicari pro integri animalis conſtitutione. Ad alterum reſpondetur, verum eſſe quod vnumquodque recipitur per modum recipientis, prout ſpectat ad actum, & modum receptionis, adeo vt recipiatur eo modo, vt fert conditio recipientis, quod ſi eſt materiale, recipit modo materiali, ac ſecus ſi eſt immateriale, vt euenit de ſenſu, qui cum ſit ſpiritualis, recipit obiectum ſuum a materia abſtractum; quia ue eſt materiæ complicatum, ideo recipit illud materialibus conditionibus inuolutum: non tamen eſt neceſſarium, aſſertionem illam ita verificari, vt receptibile ſortiatur conditiones, & proprietates recipientis, adeo vt quia

corpus

Digitized by Google

corpus materiale non poteſt eſſe in diuerſis locis, niſi per diuerſas illius partes, ita & anima ſpiritualis in eo recepta nequeat ſecundum totam ſuam eſſentiam in diuerſis eiuſdem corporis partibus reperiri. Subſequenti prætermiſſis cæteris, que dici poſſent, negamus veritatem exempli allati in minori propoſitione; quamuis enim locatum materiale non niſi ſecundum ſuas partes adæquabile ſit diuerſis locis, ſeu diuerſis eiuſdem loci partibus: ſi tamen ponatur in loco res ſpiritualis, vt intelligentia; cum locum ſit quantum, & ipſa intelligentia non habeat partes; illa erit neceſſario tota in quacunque parte illius loci, in qua reponatur; nõ aliter quã ſe habeat anima ſecundũ eſſentiam in corpore. De animalibus inſectis, & annuloſis dicunt alij quod illorum anima ob imperfectiorem ſui conditionem, ac ob paucas eius operationes, ob quas paruam diſſimilaritatem ſubiecti requirit, cum ſufficientem ſibi diſpoſitionem inueniat etiam in parte illius animalis, propterea partem illam ſeparatam diu in vita conſeruat: Nos vero dicimus quod talium viuentium anima non apta niſi in corpore organizato induci, in partibus reſciſis non ſeruatur; ſed ſolum ob tenacem, ac glutinoſum illarum humorem ſpiritus olim ab anima procedentes, cum non cito egredi valeant, aliquandiu eis agitationem, & quamdam vitæ ſpeciem conſeruant. Ex allatis autem auctoritatibus Ariſtotelis nil officit id quod habetur in ſecundo de Anima 11. vbi non eſt intentio determinandi, an anima ſit in aliquibus, vel in omnibus partibus corporis; ſed tantum quod diuerſimode pro tunc ſe habebant cæteræ animæ ab intellectu, qui nullius partis corporis eſt actus; ad quam differentiam aſſignandam ſatis erat dicere, quod partes animæ, ſcilicet animæ diſtinctarum ſpecierum ſunt actus aliquarum partium: Sed inſuper recte dictum fuit animã eſſe actum non omnium partium, ſed quarumdam: ad excludendas quaſdam, quæ (quamuis improprie) appellari ſolent partes animalis, ad quas etiamſi perueniat aliquis effectus virtutis animæ; eis tamen non inexiſtunt eſſentia, ac potentiæ animæ adeo, vt dici valeant animatæ: cuiuſmodi ſunt animalis accidentia, quatuor humores, adhuc pili; vngues, & alia excrementa, quibus, vt partibus non integrantibus, anima non eſſentialiter ineſt. Auctoritas lib. de Motu animalium nil aliud concludit, niſi quod anima, quæ eſt in toto corpore per eius eſſentiam, & informationem, habet eſſe radicale in membro aliquo præcipuo, ex quo potiſſimum illius actionis inſtrumenta ei ſubminiſtrantur. Nec aliud colligitur ex locis illis de Iuuentute, & Senectute. Intelligentia demum Cæleſtis alterius eſt conditionis ab anima; nam cum illa non informet orbem; ſed ei tantum vt mouens aſſiſtat; idcirco non eſt ſecundum ſuam eſſentiam in quacunque illius parte, vt neceſſarium eſt de anima, quæ corpus informat.

Solutio 9. *Solutio 10.* *Solutio 11.*

An ſecundum Quantitatem Anima ſit tota in toto corpore, & in qualibet parte. Cap. III.

CVm totam animam cuicunque parti corporis ineſſe, iam verum eſſe conſtet quoad eius totalitatem eſſentiæ, explorandum ſubſequitur verificeturne idipſum quoad eius totalitatem quantitatiuam: quod in idem recidit cum quæſito an anima ſit inextenſa in corpore, ſi enim extenſa, ac inde diuiſibilis eſt; tunc adæquatur partibus corporis ſecundum ſui partes quantitatiuas, quæ competere ei poſſunt, non quidem per ſe primo, vt ſpectat ipſimet tantum quantitati: nec in ſecundo modo per ſe, ratione ſcilicet quantitatis in ipſa contentæ, quod conuenit tantum ſubſtantijs corporeis: ſed per accidens, quia ſcilicet iuxta eſt ſubſtantiæ corporeæ, cui quantitas inexiſtit: de quo veritatem quærentibus quatuor ſe offerunt perpendendæ ſententiæ, putantibus primo aliquibus, quamcunque animam extenſam, ac diuiſibilem eſſe: alijs id de quacunque anima negantibus: nonnullis id inficiantibus de animabus tantum animalium perfectorum: reliquiſue affirmantibus hoc de omnibus animabus, intellectiua tantum excepta: Ex quibus prior opinio fuit cuiuſdam Hierardi,

Partes non cõpetunt animæ per ſe. *Quadruplex Opinio.* *Opinio Hierardi.*

Pomponat rardi, de quo mentionem facit Argentinas in primo Sent. diſt. 8. quæſt. 2. art. 1.
Ianduni Pomponatij libro 1. de Nutritione cap. 11. Ianduni in ſecundo de Anima quæſt.
Zabarel. 7. ac tertio eiuſdem quæſt. 5. & Zabarellæ in libro de Partitione Animæ cap. 11.
qui omnem animam (etiam ſcilicet rationalem) extenſam, ac diuiſibilem arbitran-
Fundamen. 1 tes, his rationibus inſtant. Primo quislibet actus in ſubiecto quanto receptus ex-
tenſus, & diuiſibilis eſt, vnumquodque enim recipitur per modum recipientis: A-
nima quælibet informans recipitur in ſubiecto quanto: Igitur quælibet anima in-
2. formans in ipſo ſubiecto quanto eſt extenſa, & diuiſibilis. Secundo id quod quan-
titatem recipit eſt ſubſtantia compoſita, nimirum animal; non enim illam ſola ma-
teria recipit: animal autem ſignificat partes, ſcilicet corpus, & animam ſimul iun-
3. ctas: Ergo anima recipit quantitatem; ac propterea diuiſibilis eſt. Inſuper quod
eſt idem cum extenſo, eſt extenſum, ac diuiſibile: ſed idem eſt anima intellectiua
cum ſenſitiua, & vegetali, ac cum forma corporeitatis; quia in vno indiuiduo non
eſt magis quam vnica forma, & talis forma eſt diuiſibilis: quare idipſum eſt etiam
4. de anima intellectiua. Adhuc quia experientia ſæpe compertum eſt, membra
hominis reciſa aliquandiu viuere; manum enim abſciſam moueri, & auulſi capitis
linguam loqui frequenter euenit: ex quo ipſam animam hominis rationalem, ac
5. cæteras omnes extenſas eſſe ſuadetur. Inſuper quod dat eſſe quantum, includere
debet, ſeu primo, ſeu ſecundo modo per ſe quantitatem: huiuſmodi eſt omnis ani-
ma: quare omnis anima includit quantitatem; ac proinde diuiſibilis eſt, vt ſpectat
6. omnibus habentibus quantitatem. Præterea quæcunque forma debet eſſe propor-
tionata materiæ, adeo vt ſecum in extenſione communicet: anima autem quælibet
7. eſt forma. Rurſus quoniam animæ informantis id eſt diſcrimen ab aſſiſtente, quod
ipſa aſſiſtens non eſt materiæ complicata: proinde videtur in corpore extenſa, ac ex
8. illius diuiſione partibilis. Deinde quia in tertio de Cælo tex. 7. inquit Philoſophus
nullum diuiſibile eſſe in aliquo indiuiſibili; colligitur inde quod pariter nec indi-
uiſibile poſſit eſſe in aliquo diuiſibili. Arguitur adhuc ex Zabarella in præcitato lo-
9. co deſumpto fundamento ex octauo Phyſicorum tex. 78. vbi Philoſophus oſtenſu-
rus primum motorem eſſe formam magnitudine expertem, id iacit fundamentum,
quod forma materialis diuiditur ad diuiſionem materiæ: quod ſi dari poſſet forma
aliqua informans, quæ eſſet inextenſa, ac indiuiſibilis, rueret hoc fundamentum;
quia tunc liceret aduerſario reſpondere: primum motorem eſſe virtutem in magni-
10. tudine; non tamen in ipſa extenſam, ac diuiſibilem. Ac denique quoniam in ſe-
cundo de Anima 9. habetur quod vt ſe habet pars animalis, vt oculus, ad totum a-
nimal; ita ſe habet pars animæ ad totam animam; inde infertur animam habere
partes ſecundum extenſionem, quæ in diſtinctis corporis partibus collocentur.
Euerſio. Obſtat tamen huic opinioni animæ rationalis immortalitas, quam in particulari
Ratio 1. Quæſtione demonſtrauimus: quodue eadem non educta ſit ex potentia materiæ,
vt habetur in ſecundo de Generatione Animal. capite 3. forma enim diuiſibilis, &
extenſa, eſt corruptibilis, ac ex potentia materiæ educta. Quod confirmatur ex ar-
2. gumentatione Simplicij, ac Philoponi in primo de Anima 47. quia ſcilicet mens in-
telligit quæcunque ſunt in omnibus ſenſibus, tum externis, tum etiam internis, vt
ſenſu communi, phantaſia, atque memoria ſenſitiua; illaq; omnia inter ſe com-
parat; quod ſi extenſa eſſet per organa illorum ſenſuum, adeo vt quæ eſt in organo
vnius non eſſet in organo alterius, tunc non valeret ad ea omnia ſimul iudicanda;
quoniam id tantum omnia iudicat, & comparat, quod omnia cognoſcit: quare
3. neceſſarium eſt mentem non diuidi in corpus, ſed in eo totam vbique reperiri. Et
rurſus id eo confirmatur quoniam ſi mens eſſet in corpus extenſa, tunc aliter non
intelligeret niſi per ſpecies ſibi proportionatas, & extenſas; quæ quidem ſpecies
extenſæ non repræſentant niſi res extenſas, ſcilicet cum figura, loco, & quantitate;
cuius oppoſitum habetur ex experientia dum intellectus vniuerſales, ſeu ſingulares
Solutio argu- quiditates, a prædictis accidentibus abſtractas concipit: Quare non videtur in ma-
menti 1. teria extendi. Nec vim habet primum ex oppoſitis argumentis, cui negatur quod
omne

Digitized by Google

omne receptum in quanto ſit extenſum; tunc enim etiam Intelligentia, quę in Orbe, ac in Sphæra cæleſti quantis exiſtit, extenſa eſſet, ac diuiſibilis: ſed verificatur aſſertio illa de eo tantum, quod eſt primum principium recipiendi quantitatem, ſcilicet materia; per eam enim recipitur quantitas a compoſito: ſeu de eo, quod eductum ſit ex potentia quanti; qualis non eſt intellectus: Quod vero recipiatur per modum recipientis, non eſt neceſſarium abſolute; ſufficit enim vt adeo fiat, quod vt recipitur a toto corpore, ſic toti corpori inſit; quiaue recipitur ab eo ſine extenſione; propterea debeat in eo indiuiſibiliter inexiſtere. Subſequenti reſpondetur quantitatem recipi ex ſubſtantia compoſita, ſed ratione materiæ, quemadmodum ab eadem ratione formæ recipiuntur qualitates, & eſſe formale: propterea etiamſi reliquæ formæ, & animæ aliæ ab intellectu recipiant quantitatem, & diuiſibilitatem, hoc eſt illis per accidens, ratione ſcilicet naturę, cum qua coextenduntur: anima vero rationalis non ita ſe habet; aduenit enim corpori iam per præcedentes formas actuato, & iam quantitate prædito: vnde cum nullo modo concurrat ad receptionem quantitatis; ideo nullam habet extenſionem. Propterea ad tertium negamus identitatem realem intellectus cum reliquis animabus, & formis, vt in Quæſtione de Multitudine formarum in eodem: demonſtrare tentauimus. Subſequenti iuxta dicta in præcedenti capite reſpondemus: membra à corpore abſciſa non moueri, aliamue edere operationem animalem per animam, quam intra ſe habeant ſed; per ſpiritus olim ex anima procedentes, qui nondum ex illis euanuerunt, eo modo quo proiectum retinens adhuc impreſſionem proijcientis, a quo eſt iam diuulſum, per illam in ſuo motu perſeuerat. Pro ſolutione quinti eſt adnotandum: aliud eſſe dare quantitatem, & aliud dare eſſe quantum: ſi enim quæratur de quantitate terminis carente: eam dat ſimplex materia: ſi de terminis quantitatis; eos cauſat forma illa, quæ primo materiæ connectitur, ſcilicet forma elementaris, vel mixtionis: eſſe autem quantum eſt duplex, aliud ſcilicet per ſe, quamuis non primo; quod dat quæcunque forma præter rationalem; anima enim exempli gratia ſenſitiua, dat eſſe ſenſitiuum, cui inhærret quantitas; omne enim ſenſitiuum quatenus ſenſitiuum, eſt quantum & extenſum: aliud vero eſt eſſe quantum remote, & omnino per accidens, quale eſt eſſe rationale, quod quatenus iungitur alijs animabus, & corpori quibus accidit eſſe quanta, eatenus dicitur quodammodo habere quantitatem, ſed remotiſſime, adeo vt tale eſſe non quantum, iure reputetur: & hoc dat anima rationalis: Vnde ad argumentum negatur primo id maioris propoſitionis, quod omne dans eſſe quantum habeat in ſe quantitatem formaliter, cum ſatis ſit, vt eam habeat virtualiter: negaturq; mentem dare eſſe quantum, niſi per modum illum accidentalem, & remotiſſimum, qui rationabilius, non quantus, exiſtimatur. Ad alterum reſpondemus ſufficere animæ intellectiuæ, vt tanquam forma proportionetur eius materiæ, nimirum corpori per hoc, quod inducatur in illo per præuiam diſpoſitionem ei inexiſtentem: quod valeat ei dare eſſe rationis humanæ; quodue ſuas ibi edat operationes per modum, & conditionem talis ſubiecti: quod adimplet dum intelligendo ſemper ductum phantaſmatum ex ſenſibus conſtructorum ſequitur: non autem eſt neceſſarium quod corpori proportionetur etiam in extenſione abſolute. Reſpondetur ad aliud: animæ informantis ab aſſiſtente differentiam non eſſe illam, quæ aſſignatur in argumento; ſed in eo conſiſtere quod informans cum eius ſubiecto facit vnum per ſe dans ei eſſe eſſentiale, & ſpecificum; & aſſiſtens non dat eſſe ſpecificum, nec vnitur cum eius ſubiecto ad conſtituendum vnum per ſe: forma autem informans ad hoc vt ſit extenſa oportet vt ſit etiam quanta, & materialis, qualis non eſt mens humana; quæ propterea non dat, vel recipit quantitatem, ſed illam per formam mixtionis in corpore antecedentem præſupponit. Ad aliud dicendum eſt quod ex eo quod diuiſibile non poteſt eſſe in indiuiſibili, non bene infertur illa negatiua reciprocatio; diuiſibile enim, & quantum magis eſt aptum recipere, cum ipſum tam diuiſibilia, quam indiuiſibilia recipere valeat; & indiuiſibile nullatenus aptum eſt diuiſibilia recipere: quod ſi illud aſſumptum argumenti vale

Solutio 2. *Solutio 3.* *Solutio 4.* *Solutio 5.* *Solutio 6.* *Solutio 7.* *Solutio 8.*

Digitized by Google

ret; ſequeretur, quod nec aliæ animę, quæ ſunt indiuiſibiles ſecundum eſſentiam, vt in præcedenti capite determinatum eſt, recipi poſſent in corpore diuiſibili: Ad

Solutio 9. ſubſequens reſpondemus intentionem Philoſophi in illo 78. contextu octaui Phyſic. eſſe tantum probandi primum motorem non eſſe virtutem materialem, & in magnitudine, quod inde deducit quia ſi talis eſſet illa vis, per ablationem partium conſumeretur, vt fit de virtutibus materialibus extenſis, & diuiſibilibus; vnde non poſſet mouere in infinitum: quod quidem non officit ponentibus mentem informantem vtique corpus; at in ipſo inextenſam, immaterialiq; modo, ac indiuiſibiliter

Solutio 10. ſe habentem. Poſteriori reſpondemus quod Ariſtoteles in citato illo loco pro tota anima, quam comparat vni potentiæ, ſignificare intendit totam animam facultatiue, ſcilicet aggregatum ex omnibus potentijs, ad quas ſingulas exercendas quamuis anima vbicunque reperiatur, ex ſe vim habeat; ob defectum tamen organi fit vt ſecundum vnam tantum potentiam ſit in vna parte animalis, ac ſecundum omnes in toto.

Opinio Simplicij & aliorũ. Opinio vero ex diametro oppoſita, quancunque ſcilicet animam inextenſam, ac indiuiſibilem aſtruens, fuit Simplicij in primo de Anima 47. ac in libro ſecundo ſuper textum 20. adhuc & Marſilij Ficini libro ſexto de Theologia Platonis, qui in eiuſdem operis libro 1. cap. 3. ac in libro 8. cap. 1. id attribuit Platoni: idipſum opinati ſunt præter alios Gaietanus Thienenſis in ſecundo de Anima, & Hugo Senenſis

Fundam. 1. referente Pomponatio in primo lib. de Nutritione cap. 10. quorum ea ſunt fundamenta: Dum animal nutritur, vel noua particula animæ in nutrimento aduenientre producitur; vel non; ſed ex eadem anima in proximis partibus præxiſtente illud nutrimentum informatur: ſi dicatur cum nutrimento illo aduenienti nouam etiam partem formæ cum illo productam accedere; inde ſequetur illam non eſſe præexiſtentis animalis nutritionem; ſed aggregatum ex duobus compoſitis per proprias, & diſtinctas illorum formas exiſtentibus, eo modo, quo noua portio ignis ex iuxta poſito combuſtibili genita præexiſtenti igni aggregatur: ſi vero non generetur noua pars animæ, ſed præexiſtens anima ad illud nutrimentum informandum tranſeat; tunc anima illa erit indiuiſibilis; non enim poteſt ſimul informare materiam, quam prius habebat, & aliam materiam de nouo aduenientem eadem anima, niſi ſit in-

2. diuiſibilis, & inextenſa. Secundo niſi anima eſſet indiuiſibilis, non ſentiret vna pars eius id, quod accidit alteri: quod tamen euenire comperitur; nam ſi vermis pungatur in vno extremo, in omnibus alijs partibus ſentit, ac mouetur: Ex quibus colligitur quod in vnoquoque (quantumuis imperfecto) animali anima ſit inexten-

Euerſio. ſa, ac indiuiſibilis. Sed huic etiam poſitioni validæ rationes obſiſtunt; omnis enim

Ratio 1. forma educta ex potentia materiæ quantæ, eſt quanta, & diuiſibilis; quæ enim forma educitur ex potentia materiæ, eſt potentialiter in illa tota adeo, vt ex quacunque parte, non ex vna tantum, educi valeat ſecundum ſe tota: vnde in ipſa extenditur, & ab ea dependet taliter, vt pars formæ reſpondeat parti materiæ: Quæcunque autem forma præter mentem humanam eſt ex materia educta, vt habetur in ſecun-

2. do de Generat. Animalium cap. 3: Quare præter mentem omnis anima eſt quanta, & extenſa. Argui etiam ſolet ad ipſum quoniam actionis diuiſibilis principium debet eſſe diuiſibile: Sed actio cuiuſque animæ præter intellectiuam eſt diuiſibilis; quoniam actio non niſi ſecundum rationem diſtinguitur a ſuo termino: quare ani-

3. ma, quæ eſt huiuſmodi actionum principium, debet eſſe diuiſibilis. Et rurſus quod prorſus eſt indiuiſibile eſt immateriale, quodue eſt immateriale eſt immortale: ideo enim corruit forma, quia materia (cuius opem vt neceſſarium ſui fulcrum expoſcit) corrumpitur, ſeu eſſentialiter tranſmutatur: quod ſi quæcunque anima ad modum rationalis non ſit extenſa in corpus, vnde compati non debeat ad iacturam corporis, præſertim ad diuiſionem, quæ eſt maxima ipſius corporis læſio; ſequetur vt

Solutio argument. 1. quæcunque anima ad modum rationalis ſit immortalis. Facile etiam diruuntur oppoſita fundamenta, quorum ad primum dicimus quod accedens nutrimentum non adfert ſecum portionem animæ, quæ ei de nouo aggeneretur; ſed informatur ex

Digitized by Google

eadem anima præcedenti; quæ quamuis ſit extenſa, & ſecundum quantitatem adæquata corpori in tanta mole conſiſtenti; non inde tollitur quod ex aduenienti nutrimento extenſo ad maiorem molem corpore; ipſius etiam animæ eſſentia in partem aduenientem effuſa, ad ampliores terminos coextendatur; vt deinde habeat quantitatem adæquatam magnitudini nouiter acquiſitę. Ad aliud reſpondetur ab aliquibus quod læſa vna parte animalis, partes animæ in alijs partibus corporis exiſtentes compati valent ob quamdam ſympathiam, vel ob cognitionem doloris, ſeu per quendam illius doloris influxum ad reliquas partes communicatum. Sed nos dicimus quod quamuis anima ſit diuiſa, & adæquata partibus ſecundum quantitatem; eſt tamen tota vbique ſecundum eſſentiam; vnde non eſt mirum ſi quod ipſa ſimplex anima in vna parte corporis ſentit, ſecundum ſe tota ſentiat, ita enim fert partium animalis, ac ipſius animæ connexio, atque communicatio. Addunt aliqui quod commotio cæterarum partium in vnius dolore non neceſſario arguit communicationem in ſenſatione, & dolore; ſed hoc inde prouenire, quia tota anima ad inſtar totius corporis eſt continua, vt ſe habet de aliquo toto ligno, vel lapide: vnde non eſt mirum ſi ad motum vnius partis cæterę omnes ob continuationem inſimul mouentur. *Solutio 2.*

Tertia opinio inter prædictas media indiuiſibiles ponens omnes animas perfectorum animalium, excludendo tantum ab indiuiſibilitate animas plantarum, cæterorumq; animalium imperfectorum fuit Alexandri in ſecundo de Anima cap. 10. Magni Alberti in primo de Anima cap. vltimo: Diui Thomæ in prima parte ſummæ quæſt. 76. art. 8: ac in ſecundo contra Gentes cap. 72. cui accedunt omnes illius ſectatores, præſertim Gaietanus in Commentario illius primæ part. ſummæ loco citato, qui ad illius probationem eas rationes adducit: Primo præaſumit formam per triplicem habitudinem referri ad materiam, quam informat; primo ſcilicet quia ęque reſpiciat tam ipſam materiam totam, quam illius partes, vt eſt forma elementi, quæ tam in tota ſua materia, quam in illius parte, eſt nata recipi: ſecundo quia primo reſpicit totam materiam, ac etiam (quamuis ſecundario) reſpicit & partes ſuæ materiæ, vt ſunt animæ plantarum, & animalium imperfectorum, quæ in parte ſui corporis ſaluari poſſe videntur; ac tertio quia reſpiciat abſolute totum, & nullo modo partes, vt animæ animalium omnium perfectorum, quæ non niſi in toto corpore recipi, & conſeruari natæ ſunt: Inde arguitur quoniam forma illa, quæ diuerſam habitudinem habet ad totam ſuam materiam, & ad illius partes eſt inextenſa: ſed formæ tertij generis, cuiuſmodi ſunt omnes animæ animalium perfectorum diuerſam habent habitudinem ad totam eorum materiam, & ad partes eius; reſpicit enim ipſam totam materiam tamquam proportionatum eius perfectibile, illius vero partem vt perfectibile improportionatum, ſecus ac formæ aliorum generum, quæ cũ ſint extenſæ, & diuiſibiles: propterea æque totam materiam, & illius partem vt proportionatum ſuum perfectibile reſpiciunt: quare animæ perfectorum animalium ſunt inextenſæ. Conſimiliter arguitur quia forma extenſa in parte ſui corporis a toto reciſa ſeruatur, adeo vt pars illa per ſe viuat: Id autem accidit in plantis, & in imperfectis, non in perfectis animalibus: quare animæ tantum imperfæctorum, perfectorũ vero nequaquam, ſunt extenſæ. Arguitur itidem quoniam nobiliori animæ debentur nobiliores conditiones: eſſe autem inextenſum, & indiuiſibile, eſt immaterialius, ac proinde nobilius, quam ſit oppoſitũ. Inſuper forma extenſa validior, vigentiorq; eſt in maiori mole, quam in minori: ſed ſecus experientia docet in animalibus perfectis, que perſępe in ingenti mole hebetiorem vim habent, quam animalia eiuſdem ſpeciei molis exiguioris: quare tales formæ non videntur extenſæ. Cui eidem aſſertioni ſuffragari videtur Ariſtoteles in libello de Iuuentute & Senectute cap. 1. vbi cum dixiſſet diuiſibiles eſſe cunctas animas, eſſeq; vnam ex eis vnicam actu, & plures potentia; ſubdit, in animalibus optime conſtitutis animam quam maxime fieri poſſit eſſe vnam & ſimplicem. Nec talis etiam opinio ſuſtinenda videtur; vt enim in reprobatione proxime opinionis dicebatur, quæ animæ ſunt

Opinio Alex. D. T. Gaietan.
Argumen. 1
2.
3.
4.
5.
Euerſio.
Ratio 1.

Digitized by Google

inextenſæ ac indiuiſibiles ſunt etiam immateriales, immixtæ, ac immortales; quales non ſunt animæ (etiamſi perfectorum) a rationali diuerſæ: quare tales animæ non poſſunt cenſeri inextenſæ. Nec aliqua apparet ratio cur magis indiuiſibiles exiſtimentur animæ perfectorum, quam imperfectorum; cum quinnimo ex oppoſito quia in vtroque genere illorum animalium anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt eiuſdem rationis, nec aliam habent differentiam, niſi ſecundum quamdam maiorem, vel minorem perfectionem, quæ non apta alterare ſpeciem, longe minus genus immutare valebit; illæq; animæ in enthomis, alijſq; animalibus imperfectis ſint extenſæ: hoc idem exiſtimandum eſt de ijſdem in animalibus perfectis: rationali ſemper excepto. Nec vim habent illius opinionis fundamenta; vt enim attinet ad primum, ex eo quod animę perfectorum reſpiciunt vt adæquatum earum perfectibile totum, & non partes: non recte infertur, quod ſint inextenſæ; etiam enim angues, lacertę, & quamplura huiuſmodi animalia imperfecta, & inſecta habent animam, quæ reſpicit vt ſuum perfectibile totum corpus, & non partes, & tamen (omnibus concedentibus) eſt extenſa: Sed quod ex illo antecedenti deduci poteſt, eſt quod ideo nequeat illorum anima reperiri in parte corporis ſeparata: quia quemadmodum non potuit induci niſi in toto, in quo erant inſtrumenta ad omnes ſuas facultates exercendas; ſic nec ſeruari valet in parte, cui cuncta illa inſtrumēta nō inexiſtunt. Exinde ſubſequenti negatur maior propoſitio; falſum eſt enim quod omnis forma extenſa debeat in parte reciſa manere, niſi talis forma ſit corporis homogenei, vt ignis, vel aquæ, in quo quia quæcunque pars nata eſt conferre omnibus illius operationibus, propterea talis forma valet in quacunque minima eius corporis parte ſeruari; quod non euenit in plantis, quarum ramus abſciſus aliquamdiu germinat, cum retineat (non quidem animam) ſed illius effectum, ſcilicet ſpiritus quoſdam ei olim ab anima iniectos, qui nondum euanuerunt: et ſi terræ inſeratur nouam animam facile acquiret ob diſpoſitionem, quam conſeruat ad ipſam, eo modo quo candella nuper extincta, & flammæ appropinquans, etſi non attingens niſi per fumum ex ea adhuc egredientem facilius recuperat formam ignis, quam aliud combuſtibile, a quo iam ignis diutius abſuerit. Ad tertium reſpondetur immaterialitatem vt conditionem præſtantiorem competere menti, quæ inter animas nobiliſſima eſt; cuius tamen nobilitatis gradum cum non obtineant aliæ animæ; propterea non debent eſſe inextenſæ. Quartum argumentum ſupponit id, cuius oppoſitum docet experientia; maiorem enim vim habet Elephans, Camelus, & equus, quam Capra: itidem maior ineſt potentia in boue, quam in vitulo: qui eſt eiuſdem ſpeciei: cauſa vero cur animal ingentis molis minorem vim habeat quam modicum animal eiuſdem ſpeciei, non procedit ex extenſione, vel inextenſione animæ; ſed ex eo quod ſpiritus materiales ex anima per medium cordis procedentes in prægrandis corporibus nequeunt validi ad omnes illorum corporum extremitates peruenire, vt in animalibus breuioris molis euenit. Quod habetur autem in loco illo de Iuuentute, & Senectute eſt quod cum animalium imperfectorum, vt plantarum, partes ſeparatę aliquandiu viuant (quæ vita intelligenda eſt eo modo, vt nuper in ſolutione ſecundi dicebamus) non id contingere in optime conſtitutis animalibus, quorum natura eſt maxime vna, quæ vnitas potiſſimum verificatur in eo, quod habent membrum præcipuum, vnde anima radicatur, non vbique difuſum vt plantæ, ac idcirco in plura animalia, que qualicunque modo diu viuere poſſint, impartibilia ſunt.

Solutio 1. argumenti. *Solutio.* *Solutio 3.* *Solutio 4.* *Solutio 5.*

Opin. Auerr. Scoti Aegidij Rocci

Ex quarum omnium confutatione comprobata remanet quarta opinio, ſoli animę rationali indiuiſibilitatem concedens, vt ſtatuerunt Auerroes in octauo Phyſicorum comment. 78: ac in libro de Subſtantia Orbis cap. 1. Scotus in 2. Sentent. diſt. 16. quæſt. 1. Aegidius in 1. Sentent. diſt. 8. quæſt. vltima: Iandunus in Secundo de Anima quæſt. 7. & ibidem Appolinaris quęſt. 6. Marſilius in primo de Generatione quęſt. 10. & ibidē Saxonienſis: Durandus in primo Sent. diſt. 8. quęſt. 3. & inter recentiores Roccus in 2. de Anima quęſt. 13: vt innumeres prętermittantur,

tur; Gaietanus in 1. parte ſummæ quæſt. *76.* artic. 8. inquit eam communem ſuo tempore opinionem extitiſſe: quæ cum duas habeat partes, primam ſcilicet quod anima rationalis ſit inextenſa, ac ſecundam quod cæteræ animæ omnes extenſæ, ac diuiſibiles ſint: primam tuentur rationes adductæ aduerſus primam opinionem: ac ſecundam partem confirmant rationes, quibus ſecunda, ac tertia opinio confutabantur; quas repetere nugatorium eſſet: *Approbatio.* Sed dubitare quis poſſet quoniam ſi anima rationalis non extenditur in ſuum corpus, vt faciunt animæ in cæteris animalibus; inde videtur corpus humanum non recte animari, vt cætera animalia; cum in nulla eius parte habeat animam extenſum. *Dubitatio* Ab hoc ægre ſe defendere videntur qui ponunt in homine vnicam formam, ſeu vnicam animam nimirum mentem, quam cæterarum animarum, ac formarum facultates virtualiter continere fatentur: quamuis enim ſe explicare conentur dicendo quod anima intellectiua ob eminentem perfectionem ſuæ virtutis, etiamſi non commixta ſuæ materiæ, illi tamen intime exiſtit tanquam ſi commixta eſſet, illam per facultatem vegetatiuam, ac ſenſitiuam, quas includit optime perficiens: adduntq; intellectum, quamuis non immiſceatur organo, ita tamen perfecte vniri, ac per informationem ei inexiſtere, vt optime det ei eſſe, vitam, & operari: *Euaſio aliquorum.* Viget quippe adhuc obiectio inſtans an partes corporis ita perficiantur a mente, vt ipſamet in eis extendatur; vnde haberetur intentum; vel quia in eis extendat ſuas illas facultates vegetatiuam, & ſenſitiuam: quod tute dictum non videtur; non enim ex potentijs, ſed ex ipſa animæ eſſentia debet totum animal proxime informari: vel quia ipſa mens non extenſa, virtualiter tamen immixta corpori, quaſi ei eſſet extenſa, præbeat illi omnem rationem informationis, & animalitatis: quod incongruum videtur; nam ſi cætera omnia animalia ex aliqua anima in eis extenſa recipiunt rationem animalitatis; idipſum & natura hominis, quæ nobilior eſt expoſtulare videtur. *Reprobatio.* Nec valet exemplum quod afferunt de eadem mente, quæ non extenſa in corporeis organis, dat illis vitam, eſſe, & operari: Vitam enim tribuit anima quæ prius animali accedit, quæ eſt vegetatiua, vt habetur in ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. cuiuſue extinctionem mors animalis conſequitur, vt docet Philoſophus in libro de Vita & Morte: eſſe vero non abſolute, ſed rationis humanæ, ſeu humanitatis, ſufficienter tribuit mens non extenſa; quoniam tale eſſe non connotat ipſius mentis extenſionem, ſed tantum inexiſtentiam modo tali animæ proprio: pariter & operari, quod ſpectat ad mentem; ſcilicet intellectionem, quæ fit abſque organo optime ipſa præbet abſque quod extendatur in corpore: at eſſe animalis, vitam, ac operari ſecundum naturam animalis, non videtur poſſe habere animal aliter quam per aliquam animam ei omnimode, ac per extenſionem inhærrentem. *Dilutio.* Nos vero non vrget obiectio, qui in corpore humano, quamuis non mentem, reliquas tamen animas ſcilicet vegetatiuam ac ſenſitiuam eſſentialiter inexiſtentes, ac extenſas ponimus; ex quibus partes animalis proxime, & proprius vitam, & eſſe animalitatis, ac vim ſecundum illam rationem animalitatis operandi recipiunt.

An ſecundum rationem poteſtatiuam Anima ſit tota in toto & in quacunque parte Corporis. Cap. IV.

EXplicandum ſequitur quoad tertium modum totalitatis, nimirũ quoad omnes facultates an anima per quamcunque partẽ corporis effundatur: De quo partem affirmatiuam conſtituunt Themiſtius in primo de Anima ſuper textum 94. Alexander in primo de Anima cap. poſtremo; & Simplicius in ſecũdo de Anima comment 19. & 22. *Opinio Temiſtij. Alexand. Simplicij.* quibus primum fundamẽtum iecit textus 20. ſecũdi de Anima, vbi habetur quod exemplo animalium inſectorum, reliquarum animarum potentiæ non ſunt ab inuicem ſeparabiles; ſed in quacunque parte corporis ſunt ſimul: *Ratio 1.* quod cum in ſubſequenti textu 21. animaduertiſſet Philoſophus id non eſſe manifeſtum de potentia ſpeculatiua; ſtatim in 22. vt prædicta ſtabiliret repetit: reliquas omnes potentias ſeparabiles non

Digitized by Google

2\. eſſe loco, ſed tantum ratione. Arguitur etiam quoniam vbicunque eſt eſſentia animæ, ibidem inſunt & illius facultates, quæ vel ſunt eiuſdem ſubſtantiæ animæ, ac proinde vbique inſeparabiles ab ea: vel affectiones illius ſubſtantiam conſequentes, quæ propterea debent omnes illius ſubſtantiam vbique conſequi, eo modo, quo vbicunque eſt ignis, eſt etiam calor & ſiccitas, ac veluti lumen ſolem vbique comitatur. Et reſpondentibus non vbique omnes potentias inſequi animæ eſſentiam; non procedere ex defectu ipſius animæ, ſeu potentiarum, ſed ex eo quod non vbique in animali ſunt omnia organa: Inſtatur non eandem eſſe rationem de potentijs animę, ac de inſtrumentis corporis; iſta namque cum ſint corporea, quorum penetrationem natura non perfert; propterea nequeunt ibidem reperiri: at potentiæ, quæ ſunt incorporeæ abſque impedimento poſſunt ibidem coexiſtere.

Opinio Philoponi. *Ratio 1.* Secus vero Philoponus in ſecundo de Anima ſuper contextum 22. & alij cum eo arbitrati ſunt non ineſſe cuique parti corporis omnes potentias animæ: ex quorum rationibus altera fuit quod vbi non eſt neceſſarium organum pro alicuius potentiæ operatione, ibi reputandum eſt non eſſe illam potentiam; non enim exiſtimandum eſt ibi eſſe potentiam, vbi eſt impoſſibilitas operandi: ſed omnia organa potentijs animæ inſeruientia non ſunt in omni parte corporis: non enim oculus eſt

2\. in nare, nec olfactiuum inſtrumentum in aure: quare non omnes potentiæ videntur vbique cum anima reperiri. Cui quidem ratiocinationi vim addere videtur Philoſophus in ſecundo de Cœlo textu 50. inquiens quod ſi ſtellæ haberent poteſtatem mouendi ſeipſas motu progreſſiuo; natura vtique eis dediſſet ad talem motum inſtrumenta, quod cum non fecerit; ſignum eſt quod Stellæ huiuſmodi facultatem nõ habeãt: Ac pariter in tertio de Anima 44. ait quod cum ſtirpes non habeant organa

3\. pro motu locali, ſequitur quod nec habeant potentiã ad ipſum; indicans ex eius mente, potentias & organa illis inſeruiẽtia ſemper eſſe correlatiua. Quod confirmatur arguẽdo ex eo quod natura nihil fruſtra facit: vnde quia fruſtratoria eſſet inexiſtentia omnium potentiarũ in quacunque parte corporis, cum ex defectu organorum non in omnibus habeat virtutem operandi: propterea non videntur omnes vbique reperiri.

Gandauenſis aſſertio. Ioannes Gandauenſis propterea in eius de hac re quæſtione vtrinque ex vi rationum diſtractus ancipitis ſe præbet ſententiæ inquiens vtranque partem eſſe probabilem, quamuis magis ipſe ad affirmationem inclinet: Sed rectius quam hæſitare conciliandæ videntur pugnantes aſſertiones, & cum anima, quæ eſt ra-

Conciliatio. dix potentiarum, non recipiat magis, & minus; ſed quod ſecundum ſe ſemel, ſeu in vno ſtatu habet, idem ſemper habere debeat; vt proinde cum eius eſſentia ſit vbique in corpore, debeant & omnes illius facultates ipſam vbique in corpore comitari: Ex alia vero parte non videatur ineſſe facultas, vbi non poteſt exerceri, quod eſt in parte vbi non ſunt ei congruentia inſtrumenta, que non in quacunque parte corporis pro omni potentia reperiuntur, vnde conſtat eos perfecto modo non poſſe cuique parti corporis ineſſe:

Duplex acceptio potentiæ. Dicendum propterea, conſiderari poſſe ipſas animæ potentias ſecundum duplicem ſui conditionem, vel ſcilicet ſecundum eſſe illarum entitatis realis, ſed abſque diſpoſitione proxima ad actum operandi, ſeu, vt dicunt quidam, ſecundum earum eſſe originale: vel ſecundum ſuum eſſe formale, ſcilicet in perfecta illarum ratione,

Reſolutio Quæſtionis. & prout habent proximam diſpoſitionem ad operandum, quod alij vocant illarum eſſe ſubiectiuum: tunc ſubinferendo quod potentiæ quoad earum entitatem realem, ſeu (vt cum alijs loquamur) originaliter, ſunt omnes in quacunque parte corporis nam cum ſint inſeparabilia accidentia animæ, cuius eſſentia in qualibet corporis parte effunditur; debent idcirco eam omnes vbique conſequi: Quo vero ad illarum eſſe formale, & perfectum, ſeu proxime ad operandum paratum; ſcilicet (vt alij dicunt) ſecundum perfectionem ſubiectiuam ibi tantum adſunt, vbi organa illarum actionis congrua reperiuntur, vt in oculo eſt virtus viſiua, & in naribus olfactiua: in alijs vero partibus non habentibus talia organa, vt in manu virtus viſiua, & auditiua, non adſunt, ſeu non vigent, non quidem ob defectum

realitatis

Digitized by Google

realitatis earum originalis, ſed tantum ob defectum organorum, ſine quibus ſuam perfectionem, & ſui exercitationem attingere nequent: vnde eſt quod in ſecundo de Anima contex. 82. inquit Ariſtoteles quod, non vndique audit animal, quia non habet vbique aerem deferentem ſonum, & organum auditus, ſicut non vbique videt, quia in quacunque loco non adeſt humidum pupillæ: & in hoc ſenſu verificatur id, quod habetur in ſecundo de Anima 9. quod nimirum potentia videndi ſit veluti forma oculi, adeo vt diſtingui ab oculo debeant cætera membra vt talem potentiam non includentia; non quidem quia ipſa careant abſolute; ſed ſolum quia illam non habent ſecundum perfectionem formalem, & validitatem operandi. Per quod dictum omnis prædictorum argumentorum iniuria vitatur; quoad primum enim ex illo 20. ac 22. contex. tertij de Anima colligitur tantum quod in quacunque parte corporis ſunt omnes potentiæ animæ quo ad earum realitatem, quæ ex eſſentia animæ dependet: ex quo tamen non ſequitur quod adſint vbique ſecundum omnimodam perfectionem, ac diſpoſitionem proximam ad operationem, quæ requirit organa non apta ſingula in qualibet parte reperiri. Et ſic explicatur etiam ſecundum argumentum, cuius ad Inſtantiam ſubadductam reſpondemus quod, quamuis potentiæ ex ſe ſint immateriales, reſpectu tamen organorum, ſine quibus in eſſe perfecto exiſtere nequent, euadunt conditionis materialis, adeo vt non poſſint plures ineſſe, vbi non valent plura illarum organa reperiri. Alterum argumentum ſcilicet primum ex negatiuis id tantum efficaciter infert, quod vbi non eſt organum, ibi non ſit potentia ſecundo modo ſumpta; quod tamen non verificatur de eadem in primo modo: quod ſi illo modo intenderet maior propoſitio: eſſet neganda, dicendo ad probationem, non poſſe exiſtere potentiam vbi non poteſt operari abſolute in illo indiuiduo: poſſe tamen eſſe in vna parte in qua non valeat operari, dummodo ad id valeat in alijs partibus eiuſdem ſuppoſiti; ſimplex enim eſſentia animæ eadem ſemper manens, ac vbique in corpore exiſtens ſuas omnes præſefert poteſtates, ibi ſecundum quamcunque illarum operatura, vbi requiſitum organi miniſterium adinuenerit: Nec obijciat aliquis quia in cœco nullibi eſt organum, per quod poſſit anima ſuam facultatem viſiuam exercere: Reſpondebitur enim in ſcientijs attendi id quod eſt ſecundum naturam; præter cuius intentionem, & per accidens eſt quod aliquis cœcus ſit: Ac inſuper in ſcientijs obſeruantur vniuerſalia, nec reputatur praua, & accidentalis diſpoſitio alicuius ſingularis: Et inde apparet quid cogant ſequentes auctoritates; neceſſaria enim eſſent inſtrumeta ad motum progreſſiuum in Cęlo, ac in plantis quando aliqua pars illorum corporum eſſet apta illi motui; quod quia nulla pars talium corporum eſt ei motui apta; propterea natura nulli ex eis huiuſmodi organa præſtitit: argumentatio autem a negatione ſecundum totum ad negationem ſecundum partem eſt ineficax, & fallacia. Ad poſtremum iam ex ſolutione tertij patet reſponſio; non enim potentia eſt fruſtra in illo corpore, cuius in aliqua parte nata ſit exerceri: in alijs enim partibus quamuis non exiſtat per occaſionem operandi; adeſt tamen per neceſſariam conſequentiam ad eſſentiam animæ, quam vt inſeparabile eius accidens vbique conſequitur.

Sol. 1. argum. (margin, at "Per quod dictum omnis…")
2. (margin, at "bet parte reperiri…")
3. (margin, at "uis id tantum…")
4. (margin, at "praua, & accidentalis…")

De Sede Animę adducuntur opiniones aliorum cum ſuis fundamentis.
Cap. V.

QVam animam præhabita ſtatuerunt effuſam in corpore adeo, vt quoad eſſentiam, & inchoactam rationem potentiarum vbique tota; ac quo ad quantitatem per partes partibus adaptetur, conueniunt fere omnes alicubi, tanquam in fonte, ac radice firmius inſidere: quæ ſeu vnica pars, ſeu multiplex, membrum animalis præcipuum, & animæ ſedes nuncupetur: Variant in hoc aſſignando Philoſophi, quo plura præferentes eo faciliorem

faciliorem verioris iudicij electionem parantes; vt enim prius agatur de anima ex materia educta, ac poſterius de rationali: putarunt nonnulli ex ſecta Stoicorum *Opinio Stoicorum quorundam* eam reſidere in ſpiritibus ex corde fluentibus: quibus appropinquauit Diogenes reponens illam intra arteriam cauam cordis, ſcilicet intra ſanguinem puriorem, qui in ipſa continetur: & id ob maximam conformitatem, quam anima cum ſpiritibus *Diogenis & Aliorum* habere videtur. Inſuper quia ad omnia animę officia exercēda potiſſimū inſtrumentum eſt calor, quem ſpiritus præſeferunt: vnde Ariſtoteles in ſecundo de Generatione *Fundamentū* Animal. cap. 3. ait quod omnis ſeu virtus ſeu potentia animæ participat aliud corpus, ſcilicet alterius generis a corpore ſolido animalis, quod diuinius eſt quam illa, quæ appellantur elementa, quod cauſat fœcunditatem in ſemine; & quamuis calor vocetur, non eſt ignis, ſed ſpiritus: ac in ſecundo de Partib. Animalium cap. 7. ait: cum nonnulli ſtatuant animam eſſe ignem, aliquamue huiuſmodi vim; rectius eſſe fateri eam in aliquo eiuſmodi corpore ſitam eſſe, eo quod ad exequenda animæ officia calor maxime omnium adminiſtrandi vim obtinet: Alij ipſam non in puro dumtaxat, ſed in toto ſanguine collocarunt: inde ſuaſi quia ſanguinis effuſionem interitus animæ ſequitur: Et alij attribuerunt ei pro ſede calorem ob prædictam rationem. *Euerſio.* Quos omnes a veritate abfuiſſe eadem reprobatione comperitur: ſedes enim animæ debet eſſe aliquod ex membris principalibus animalis, qualis non eſt ſpiritus, ſanguis, vel calor. Quoniamue illa carent ſenſu, quo quidem, ſaltem tactiuo, prædictum eſſe debet id membrum, quod eſt ſedes ſenſuum. Ac quia tale membrum debet eſſe aliquid conſtans, diuq; permanens, non vt prædicta, quæ continenter variantur, & tranſmutantur. Debentq; eſſe quid ſolidum, & ſtabile, non tenuum, & fluxile. Nec debet cum ſit præcipua pars animalis ex alia parte procedere, ac fluere, vt illis contingit, ſed in ſeipſo manere. Ex illis vero rationibus, ac ex auctoritatibus Ariſtotelis ſolum infertur quod calor, & ſpiritus ſint commune animæ inſtrumentum, vt omnes concedunt: ex quo non ſequitur quod ſint præcipua membra, in quibus ſit animæ ſedes. Alij propterea ſolidioris naturæ neceſſitatem cognoſcentes, ipſam veluti in arce repoſuerunt in capite, *Zenocrates Hippocrates Herophilus Eraſiſtratus Strato Parmenides Epicurus Plato Galenus* vt Zenocrates in parte eius ſuperiori: Hippocrates in cerebro. Herophilus in baſi, ſeu caua parte cerebri: Eraſiſtratus in ſinu Cerebri: Strato Phiſicus in inferiori parte frontis: Parmenides, & Epicurus in toto pectore: quarum omnium poſitionum irrationabilitas ex futura confutatione liquido demonſtratura, pro nunc ad ſuperfluam repetitionem euitandam prætermittetur inſequendo noſtris diſputationibus ſententiam Platonis, & Galeni, quæ præcipuum huius quæſtionis negotium faceſſere ſolet: Plato enim, vt habetur apud ipſum in Thimęo, ac vt de eo refert Galenus in quinto, & ſexto de Decretis Hippocratis & Platonis, & Alcionus in libro de doctrina Platonis cap. 23. exiſtimauit in animato corpore: præſertim in homine tres diſtinctas animas in tribus corporis partibus eſſe conſtitutas, iraſcibilem nimirum, ideſt ſenſitiuam in corde; concupiſcibilem, quæ eſt vegetalis in Hepate; ac rationalem in ſuperiori parte, quæ eſt cerebrum. Platonem inſecutus eſt Galenus, qui ſe explicans in libro Quod Animi mores ſequantur temperaturam corporis, ac in ſeptimo de Decretis Hippocratis & Platonis cap. 3. inquit Vegetalem virtutem eſſe temperamentum Iecoris: Iraſcibilem, ſenſitiuam, ſeu vitalem Cordis: ac de rationali poſtquam aliquamdiu hæſitaſſet: in progreſſu tamen expreſſit *Auicenna* eam eſſe temperamentum cerebri quem Auicenna, & alij inſecuti tribus his membris quartum addiderunt, ſcilicet Teſtes, quibus ineſt cauſalitas generationis: Quibus etiam prætermiſſis, vt de quibus in ſubſequenti capite valida apparebit reie-*Argumētū. 1.* ctio: Platonica, atque Galeni ſententia his fundamentis ſubnititur. Primo quoniam vt Plato in quarto Dialogo de Republica docet, facultas concupiſcibilis, & iraſcibilis diſtinctæ ſunt, quoniam ſunt diuerſorum motuum principia, inter ſe pugnant, ac ſeinuicem turbant, & impediunt; vt ideo membra varijs temperamentis prædita pro ſede expoſtulare videantur. 2. Probatur deinde principatus cerebri inter membra varijs rationibus, & præſertim ex maxima illius correſpondentia, ac pro-

ac proportione cum officijs, & actionibus animę; ſi quis enim memoriam excitare connatur; naturali quadam directione caput inclinat, partemue poſteriorem confricat; & ſi immaginationem quęrit frontem extollit: & inde videtur eſſe, quod lęſa parte capitis poſteriori, hebeſcit memoria, lęſa anteriori lęditur ſenſus communis; quod euenit de phantaſia ſi iniuria afferatur parti medię: Ac pariter totum caput facile langueſcit, & opprimitur illorum, qui aſſidue contemplantur, & immaginatione vtuntur: Quoniamue quemadmodum leditur caput ex ſpeculatione, ita, & præcordia maxime agitantur ex feruore iracundiæ; ac Iecore ægrotante reliquę partes nutrimento deſtituuntur: vnde confirmari videtur præhabita facultatum diſtributio, vt ratio in cerebro iraſcibilis in corde, & vegetalis in iecore tanquam in ſede locentur. Arguitur inſuper quoniam id videtur fons, & ſedes animæ, quod eſt fons inſtrumentorum ei inſeruientium: Hoc autem eſt cerebrum; cum illud per ſpinalem medullam emittat neruos, qui ſenſus, & motus ſunt inſtrumenta: quod cum ſit ſedes ſenſus, conſimiliter ſe habere videtur ad intellectum, qui ſenſui iungitur, & motum dirigit. Conſimiliter quia in capite, & non in corde repoſita ſunt organa ſenſuum externorum, qui internis inſeruiunt: & anathome comperiuntur procedentes a cerebro nerui vim deferentes his organis pro ſenſitiuis muneribus obeundis Idipſum probare nituntur ex conſenſione ſubſtantiæ cerebri cum facultate ſenſus, cuius, vt habetur in ſecundo, ac tertio de Anima, eſt pati: cui quidem paſſioni magis congruunt mollia, & humida, qualis eſt ſubſtantia cerebri, quam dura, & arida, vt cor. Ac pariter quia frigiditas ſenſus contemperans admodum confert iudicio, prudentiæ, atque ſapientiæ, ſecuſue calor ingens iudicium turbat, ſenſus confundit, ac iracundiæ obducto furore ipſam perſæpe rationem euertit: vnde rationabile videtur quod relicto pro ſede iraſcibilis corde, cui calor inſidet, cerebrum frigore præditum ſuperiori animæ attribuatur. Suadentur itidem cerebrum eſſe ſedem animæ ſenſitiuæ, atque motiuæ ex neceſſaria correſpondentia; ac communicatione, quam cum ipſo cerebro membra omnia pro ſuis ſenſationibus, atque motionibus obeundis requirunt; vnde eſt quod ſi obſtruantur viæ que a cerebro ducunt ad alia membra, illa omnia ſenſu, ac motu deſtituuntur, vt contingit in ſomno: non ſufficiẽdo membris inferioribus apertam tunc eſſe viam cordis vt motiua, ac ſenſitiua anima frui valeant: vnde eſt quod Apoplexia, & aliæ huiuſmodi ægrotationes, quæ ſenſum, & motum auferre ſolent, proueniunt ex vaporibus, qui non cor; ſed cerebrum petunt, ac obſtruunt. Demum Vegetatiuæ probant ſedem eſſe, non cor. ſed Hepar, quoniam ipſum eſt principium venarum, & ſanguinis potiſſimi nutritionis inſtrumenti; conſpicitur enim Anathome, quod Medicorum aſſertiones tradunt: ita ſe habere venas vt ſtirpes, quarum radices iniectæ ſint iecori: vnde expertes ſunt agitatione illa, cui obnoxiæ ſunt arteriæ, quæ ex corde nimio feruore prædito dependent; Sic & venæ cauæ, quæ potiſſimus eſt veluti ſanguinis aquæductus, latior truncus eſt in iecore, exilior vero in corde, per quem parum tantummodo ſanguinis decurrit, vt ibi perficiatur adeo, vt arterijs inſeruiat; ſed fere totum per venas ad ennutrienda ſingula membra emittitur ex Hepate, quod vere officina ſanguinis eſſe depræhenditur ex illius colore, qui ſanguini ſimillimus eſt; ipſe enim ſpeciem habet ſanguinis cuiuſdam congelati: & ad illius læſionem deficit, deprauaturq; ſanguis. Ideo obſeruant congruam huic perſuaſioni ſtructuram cordis, cuius interna foramina ſemper clauduntur, vt ſanguis ex Iecore acceptus non effluat, cum ſecus orificium venæ cauæ ſemper pateat, vt cordi dilatato nunquam ſanguinis alimentum deficiat: Ex quibus deducunt animæ vegetalis ſedem eſſe Iecur.

Margin numbers (in order): 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Aduer

Aduerſus Platonem, & Galenum probatur vnitas membri præcipui. Cap. VI.

DIlucidatio rei propoſitæ, adductarumq; opinionum reprobatio exordiri debet a conſtitutione numeri membrorū præcipuorum, quorum *Ratio 1.* non magis quam vnum ratio perſere videtur: Vnitas enim animalis requirit vnitatem animæ, etſi non quoad eſſentiam; ſaltem quo ad ordinem; qui quidem requirere videtur quod ſi plures ſunt animæ in vno indiuiduo ad vnicam tantum ſedem redigantur; eſt enim ordo ex quinto Metaphiſicorum contex. 16. diſpoſitio multorum inter ſe; & ad vnum primum; vnde ſi membra in vnius animalis conſtitutione ſunt ordinata, neceſſarium videtur vt ad vnum primum redigantur: Eoq; magis quod cum in omni genere deueniendum ſit ad aliquod primum ſe habens vt cauſa cæterorum illius generis, vt Ariſtoteles in ſecundo Metaphiſic. textu 6. docere videtur: inde apparet quod in genere *Euaſio.* membrorum aliquod vnum omnium primum reperiatur. Reſpondent aliqui primam, ac principaliſſimam ſedem animæ eſſe vnicam, ſeu vnicum membrum, quod volunt eſſe cerebrum, ſubordinataq; ei eſſe alia membra principalia correſpondētia varijs facultatibus animæ; quibus varia etiam organa miniſtrant; varieq; origines *Impugnatio.* adſunt: Sed non videntur effugere vim rationis; animalis enim abſoluta vnitas requirit abſolutam vnitatem principij, tam in membris, quam in partibus animæ, vnde partium omnium connexio, conſenſio, ac incluſio vnius in altero dependeat: ſi enim pro vnitate animalis animarum eſſentiæ; ſeu facultates ita inuicem includi debent, vt iuxta dictum Ariſtotelis in ſecundo de Anima 31. comprahendatur vegetatiuum in ſenſitiuo vt triangulus in quadrato, neceſſe eſt propterea taliter eos *Ratio 2.* coordinari, vt omnium vnica ſit ſedes, ac membrum præcipuum. Preterquam quod vel plura membra ſunt ſimul colligata, & connexa, vel non: ſi non; euerteretur vnitas animalis, ſi ſic; tunc requiritur forma aliqua ea colligans, & vniens; quæ cum ſit vna; vnicam proinde ſedem requirit in aliquo vno membro, quod ſo- *Ratio 3.* lum, & abſolute erit omnium principale. Quod idem ſuaderi videtur ex ſubordinatione omnium facultatum tali, vt inferiores ſingulæ, & quoad determinandam rationem animalis, & quoad earum operationem, ac modum operandi, ſuperioris conditionem, ac præſcripta ſequantur: vnde vnitas fundamenti neceſſario requiſita videtur: Si enim multa eſſent membra præcipua, & hoc iuxta opinionem Galeni, qui putauit, varias animas ſeu animarum facultates non aliud eſſe quam varia temperamenta illorum membrorum, que poſuit earum ſedes: tunc ex temperamentis illis diſtinctis, oppoſitiſq; & inuicem pugnantibus, niſi vnius eſſet imperium in alijs, nequaquam conſenſio, ſed diſſidium, diſtractio, ac confuſio in potentijs animæ ſequeretur: Vnde recte eſt dicendum quod quemadmodum in ciuili regimine optimum eſt vt omnia ad vnum redigantur, ſic & in imperio naturæ expedit vt omnes facultates animales alicui eminentiori ſubijciantur: quod non ſemel Philoſophus in Moralibus, ac in calce duodecimi Metaphys. protulit: Et confirmatur ex eo quod in octauo Phyſicorum contex. 17. habetur, animal eſſe veluti paruum mundum; vnde ſcilicet illius ſpeciem, ac ordinem comprahendere debet: quod cum ipſius magni mundi vnicum ſit primum mobile ſe habens vt ſedes primi mo- *Euaſio.* toris, idipſum eſſe debet in animali. Nec valet reſponſio dicentium, diſparem eſſe conditionem magni, & parui mundi; quoniam vt habetur in ſecundo de Cælo contextibus 60. ac 62. agentia quo ſublimiora ſunt, pauciora ſuarum actionum, ac perfectionis inſtrumenta requirunt: ac ideo animal pluribus egere membris præci- *Impugnatio.* puis, quam mundus. Non valet inquam; nam plures ſunt operationes totius mundi; quam animalis; & tamen illæ omnes in vnica ſede principij ſaluantur: Nec ipſarum animalium actionum multiplicitas eximit illas a neceſſitate vnius primi prin- *Ratio 4.* cipij, ex quo vnitas illarum ſuppoſiti pendeat: Et tandem id eo probari ſolet quoniam

Digitized by Google

niam facultas animalis geniti debet ſua conditione correſpondere facultati formatrici, ac principio ipſius formatricis facultatis, ex quibus producitur: facultas autem formatrix vnica eſt, inexiſtens ſemini, in ciuſq; ſpiritus vigens, ac vnicum eſt illius facultatis principium; vnicum ſiquidem ſemen prodire non debet a principijs diuerſis: Quare ipſius etiam geniti animalis facultas requirit vnitatem ſuijpſius, ac proinde principij ſui ſpiritualis, ac etiam materialis, membri ſcilicet, quod principij ſpiritualis eſt ſedes; Nec ingens eſt robur rationum, quibus ad pluralitatem præcipuorum membrorum, ac ſedum animæ conſtituendas ſuaderi profitentur, arguunt enim primo ex pluralitate facultatum; quaſi
propterea plures eis ſedes ſint adhibendæ. Cui reſpondetur plures quidem eſſe *Argumētū. 1.*
facultates, at ſubordinatas adeo, vt vna includatur in altera, eo modo quo eſt *Solutio*
trigonum in tetragono ex nuper citato 31. textu ſecundi de Anima: quare vbi eſt
ſedes vnius, ibi radicari debet & altera. Et cum ſecundo arguitur ob varieta- *Argumen. 2.*
tem temperamentorum ex diſtinctis facultatibus requiſitorum, que varios fontes expoſtulare videntur. Reſpondetur quod varia ſunt temperamenta, ſed ſubordinata, & communiſſimum eſt vnicum, a quo cætera omnia dependent, ſeu diriguntur, ac perficiuntur, quod eſt calidius temperamentum ex corde proce-
dens: Sed obijcitur eo quod ſpiritus ex corde procedentes cum nimis æſtuent ex *Inſtantia.*
frigiditate cerebri contemperantur, diſponunturq; vt ſenſum & motum cauſare
ſint apti: Quod nil valet, talium enim ſpirituum ſenſui inſeruientium principium *Solutio*
præcipuum eſt magis id, quod dat eis rationem eſſentialem, quam id quod illos accidentaliter tantum diſponit: vnde cum cor per calorem ab ipſo in puriori ſanguine emiſſo producat eſſentiam ſpirituum, quos cerebrum contemperat tantum, & accidentaliter alterat: propterea potius cor, quam cerebrum videtur
eſſe præcipuum. Cum tertio arguitur ex diſtinctione organorum varijs potentijs *Argumen. 3.*
miniſtrantium, ac ex diſtinctis fontibus procedentium; venæ ſiquidem nutritiuæ
inſeruientes ex Hepate: nerui ex cerebro, & arteriæ ex corde dependent. Re- *Solutio*
ſpondetur recipiendum eſſe fontem non inſtrumentorum inferiorum, ſubordinatorum, & propriorum; ſed eminentioris, & communis, quales in animali ſunt arteriæ ſpiritus deferentes, quæ cum originem habeant in corde, propterea ibidem conſtituunt & originem cæterorum inſtrumentorum, que ex ipſis arterijs
dependent, vt in poſterius dicendis apparebit. Et cum deinceps ſumitur funda- *Argumen. 4.*
mentum ex actionibus animalis, quæ in varijs illius partibus habentur, inter ſe diſtinctæ, oppoſitæ, ac pugnantes adeo, vt ex diuerſis fontibus ſe exortas indi-
cent. Neganda eſt conſequentia; nam etiamſi diſtinctæ ſint actiones; omnes ta- *Solutio*
men habent primariam originem in vno loco, quod eſt cor, ex quo ſpiritus arterijs incluſus vt commune principium inſtrumentale omnium actionum animalium procedit: Nec refert quamuis actiones inter ſe pugnent; ex quo potius licet inferre diſtinctionem proximorum organorum, & temperamentorum, ex eodem tamen communi principio dependentium; ſicut ex ſola diuerſitate obiectorum duæ etiam actiones ad eandem facultatem ſpectantes inuicem pugnant, vt duę cupiditates, quarum tamen originem nullus in diſtinctas ſedes locaret.

Membrum præcipuum animalis non eſſe aliquod ex ſuperius propoſitis a corde diuerſum. Cap. VII.

CVm ex præhabitis manifeſtum iam ſit vnicum eſſe membrum animalis pręcipuum, in quo conſtituta eſt animę ſedes; ſubſequens eſt intueri quod nam ex ſuperius adductis vere ſit illud vnicum membrum: quod quidem cum ex ſententia Ariſtotelis ſit Cor, propterea ad illius comprobationem conferet excluſio ab hac ratione, cęterorum membrorum, que a Platone, Galeno, & illius ſectatoribus propoſita ſunt; ex quibus primo facile remouetur error aſſerentium ipſum eſſe Teſtes, quibus generatiua

Digitized by Google

Membrũ præcipuum non eſſe Teſtes. neratiua facultas ineſſe videtur: Eos enim coarguit proxima determinatio quod membrum id debeat eſſe vnum, non gemina, vt iſta ſunt: Quoniamue quodcunque
Ratio 1. exiſtimatur membrum præcipuum, tale creditur eoquod ſit principium alicuius ex pręcipuis inſtrumentis animalis; ex quibus pręter arterias, neruos, & venas
2. non aliud adeſt inſtrumentum, cuius principium poſſit Teſtibus attribui. Inſuper
3. quoniam membrum pręcipuum (omnibus conuenientibus) conſtituitur per reſidentiam in eo alicuius animę, ſeu ipſius animæ partis principalis; non autem per ſolam facultatem illius partis; vnde cum facultas generatiua, quæ in Teſtibus viget, ſit tantum facultas animæ vegetalis, quam aduerſarij radicatam ponunt in Iecore: ideo nunquam valet membrum ſibi ſubiectum reddere præcipuum, ne ſequatur
4. duas eſſe eiuſdem facultatis, ſeu partis animæ ſedes. Quibus accedit totam fæcunditatem ſpermatis genitalibus inexiſtentis procedere, non ex ipſis genitalibus, ſed ex corde, quod virtualiter, ac ſecundum facultatem eſt totum animal, cuius omnia
Fundamenti reprobatio. officia ſpiritibus per arterias effuſis diſponit. Nec valet id fundamentum aduerſum, quia ſcilicet in illis membris adſit virtus generatiua: Cuius (vt dictum eſt) principium principalius eſt in Iecore, ac principaliſſimum in corde.

Membrũ præcipuum non eſt Iecur. Opinio etiam conſtituens ſedem animæ in Iecore accerima confutatione torquetur, & præſertim ex reflexione præcipui illius fundamenti in eo conſiſtentis quod ex Iecore conficitur ſanguis potiſſimum nutritiuæ facultatis inſtrumentum: Cui
Ratio 1. obſtat quod opus id Iecoris ſanguinis conſtruendi; eſt officium famulatiuum: vnde arguitur quoniam quemadmodum ex duabus artibus, quarum vna præparat, ſuppeditatq; materiam alteri, ſemper nobilior, princpalis, & architectonica eſt illa, cui materia paratur: pariter & ex duobus membris animalis, illud ſemper eſt inferius, vilius, ac inſeruiens, quod altero tanquam architectonico, ac principali materiam præparando miniſtrat: Et tale eſt Iecus, quod poſtquam ſanguinem ſuum impuriorem, ſcilicet alimentalem conſtruxerit; alteram, & maiorem quidem partem emittit per venas ad cętera membra refocilanda; ſed partem per venam cauam tranſmittit ad cor, a quo per eius calorem ſanguis ille attenuatur, ellaboratur, & perficitur adeo, vt fiat ſanguis arterialis, qui deinde per arteriam magnam, ſeu (vt eam vocat Ariſtoteles) venam ortam, vbique effuſus, ſpirituſq;, & calorem inſe contentos afferens, cuicunque membro vim ad motum, & actionem inducit: Quare actio Iecoris conficiendi ſanguinis reſpectu cordis videtur eſſe ſeruilis; officiumq; nobilius, conſtruendi ſcilicet ſanguinem perfectiorem, in quo magis ratio præcipui membri conſiſtere videtur, ſpectat ad cor: vnde eſt vt recte commentatur Auerroes ibidem quod Ariſtoteles in tertio de Partibus Animalium cap. 4. producendi ſanguinis officium aſcribit cordi, intelligendo ſcilicet de puriori illo ſanguine arteriali, qui quamuis poſterior ſit in generatione, intentione tamen naturæ, & perfe-
Confirmatio. ctione eſt prior. Accedit quod eiuſdem etiam operis, imperfectioris ſcilicet ſanguinis alimentalis producendi ipſum Hepar non eſt cauſa principalis, ſed ſecundaria, ac ignobilior; ipſius enim eſt tantum addunare materiam pro tali productione; cauſa vero agens, quæ eſt calor, procedit a corde, a quo intra ſpiritus arterijs incluſos, vt ad omnes partes animalis, ita ad ipſum Iecur, vt agendi principium emittitur: cuius rei magnum ſignum percipiunt Anathomici inſpicientes ipſummet Iecur totaliter arterijs refertum, & inuolutum, quod temere feciſſet natura ſi membrum illud ſeipſo ad ſuum munus obeundum valeret: inde videtur quod actiuum officium cuiuſque ſanguinis conſtruendi conſiſtat in corde: quod cum ex Ariſtotele in tertio de Anima 19. honorabilius ſemper ſit agens patiente, & materia, ac vt ipſemet docet in octauo Phyſicorum, agens primarium nobilius ſit ſecundario, & inſtrumentali; inde videtur præcipuum officium nutriendi, & quencunque ſanguinem conficiendi aſcribendum eſſe cordi, non Hepati, cuius virtus perficitur, & ro-
Confirmatio. boratur a corde. Inſuper quoniam vbicunque veæ ſanguinem ex Iecore fluentem tanquam materiam nutritionis deferunt, vbique comites habent arterias præbentes naturalem vim ad nutritionem, & ad motum: vnde cum magis præcipuum, for-

maliuſq;

Digitized by Google

maliuſq; ſit id quod dat principium actionis, quam præbens materiam; proinde cor principium arteriarum, non Iecur eſt nutritionis principium. Nec tutum inuenit ſubſidium talis poſitio in ratione Galeni, quod Hepar ſit principium venarum; nam ſi pro principio venarum intelligatur de principio magnitudinis, eo modo quo caput vel pes eſt principio corporis animati, hoc non eſt ſuſtinendum; quoniam cũ multæ venæ, & præſertim caua abſque interruptione totum Iecur permeent, tranſeantq; vſque ad cor, in quo ſolo continetur ſanguis ſine venis; propterea magis ſuperficies cordis, quam Iecur eſt dicendum principium venarum: Si intelligatur de principio producendi venas; tenue hinc ſumitur fundamentum; nam loquendo de vena caua, quæ & cor, & Iecur attingit, non conſtat an incipiat generari prius in parte propinquiore Iecori, vel in parte quæ eſt prope cor: Conceſſo tamen quod venæ prius generentur, quam cor: hoc nihil refert; mos eſt enim naturæ prius parare, ac in eſſe conſtituere illa; que inſeruire debent alicui enti nobiliori, & ab ipſa prius intento, quam ens illud nobilius producere: Quod vero valde refert, & ad rem facit eſt, quodnam ex his membris prius conſtituatur in eſſe perfecto, & animato, quod non poteſt euenire de venis, vel de Iecore, de quo quãuis ſcribat Galenus ſe ex Anathome cuiuſdam abortiui fętus cognouiſſe Hepar prius quam cor genitum: non tamen cognoſcere valuit illud eſſe viuens ante vitam cordis, in quo primum anima radicatur: Si autem intelligatur de principio difuſionis ſanguinis, qui in venis recipitur: hoc quidem conceditur quoad ſanguinem alimentalem, & imperfectiorem; at non inde ſequitur ipſum eſſe membrum præcipuum, tum quia illa eſt confectio ſanguinis impurioris: tum etiam quia in illo opere Iecur agit per virtutem mutuatam a corde. Reliqua etiam fundamenta Galeni ad id tuendum iam leuia apparent; nam quod ex Iecore ad cor fluat ſangis, qui ad ipſum non refluat; denotat ſuperioritatem, & conditionem architectonicam cordis, quod non ellaborat ſanguinem illum receptum vt miniſter Iecoris, ſed ab ipſo tanquam ei ſubiecto tributum illius ſanguinis purificabilis recipit. Quod etiam vena caua ſit maior in Hepate, quam circa cor: ſignificat potius ipſam oriri ex corde; cum ſingula in initio productionis exiguioris molis eſſe ſoleant. Pręterquam quod eſt cura naturæ proportionare magnitudinem rei officio, cui inſeruire debet: vnde cum illa vena prope Hepar adhibita ſit officio diſpenſationis ampliorem illius molem requirenti: propterea, & non ob primatum Hepatis, in illa parte eſt amplior.

Comprobatio.

Fundamenti reprobatio.

Alterius fundamenti reprobatio.

Quod autem nec cerebro hoc dignitatis, ſeu virtutis faſtigium in animali competat, vt membrum eius præcipuum ſit exiſtimandum, probatur potiſſimum argumento deſumpto ex qualitate talis membri, quæ (omnibus conuenientibus) eſt frigiditas; membro autem præcipuo competit nobiliſſima qualitas, quale non eſt frigus, quod vile eſt adeo, vt non deſint qui ſuſtineant ipſum non eſſe quid poſitiuum, ſed meram priuationem caloris, eſtq; affectio vitæ contraria, & deſtructiua. Et pariter talis debet eſſe qualitas membri principalis, quæ validum ſit inſtrumentum pro muneribus animæ obeundis: omnes autem ſuas actiones habet anima per medium caloris, & ſpirituum: quare cerebrum, quod ſubiectum eſt frigoris abeſt a conditione membri principalis: Non tute effugiente Galeno per reſponſionem, quod cerebrum non eſt frigidum abſolute, ſed aliquem continere calorem, intenſſioriſq; gradus quam quislibet calidus aer: Nullus etenim negat reperiri in cerebro calorem; ſed ipſum quiſque frigidum putat reſpectu cęterorum membrorum; vt ideo iure excludatur a ratione illius membri, cui magis conuenit calor. Eoq; magis quod, quem calorem obtinet cerebrum, non habet ex ſe, ſeu ex ratione formali cerebri, ſed mutuatur ipſum a corde, quod ſuis ſpiritibus principium id vitæ, & actionis cuicunque membro communicat. Ac inde alia ad idem efficaciſſima ratio deſumitur: quem enim ſpiritum, ac vim operandi habet cerebrum, habet per virtutem cordis ſuos ei ſpiritus, vt reliquis membris impertientis: De quo expreſſum inde ſignum habetur quod nerui ſenſationis principia, qui a cere-

Membrũ præcipuum nõ eſſe cerebrum.

Ratio 1.

2.

3.

bro tanquam a ſtipite quodam per ſpinalem medullam vbique in corpore diffun-
duntur, vbique coniunctam habent arteriam præbentem ei vim, ac formale prin-
cipium actionis, ſine qua nerui nequaquam ſenſationem, vel motum cauſare vale-
Euaſio rent: Galenus nititur euadere vim rationis per diſtinctionem duplicis ſpiritus, vi-
Duplex ſpiritus. talis ſcilicet procedentis a corde, & per arterias effuſi: atque Animalis, qui eſt idem
ſpiritus Vitalis a corde miſſus ad cerebrum, ibiq; actione frigoris ellaboratus, ac in
naturam ſpiritus animalis conuerſus, per cuius quidem Animalis ſpiritus cauſalita-
Impugnatio. tem defendere profitetur primatum cerebri. Sed vanum hoc apparet obſeruanti-
bus in illos ſpiritus vitales in animales conuerſos non aliud per talem ellaboratio-
nem induci, niſi quod ex frigiditate cerebri per correctionem, ſcilicet per tempe-
ramentum quodam alterantur, adeo vt temperatæ naturæ ipſorum ſpirituum cauſa
ſit tum cor præbens calorem, tum cerebrum frigiditatem ingerens: quod cum ex
duabus cauſis ad idem per diuerſas actiones conſtituendum concurrentibus, id no-
bilius ſit, ac principale, quod officium habet nobilius; propterea cor calorem his
ſpiritibus præbens exiſtimandum eſt illorum cauſa præcipua, non cerebrum, quod
partem ignobiliorem (frigus ſcilicet) præſtat. Adde quod ijdem ſunt ſpiritus vi-
tales calidi à corde prodeuntes, & vbique illorum productionis gloriam de corde
ennuntiantes, qui ex cerebro refrigerati inſeruiunt ſenſui, qui in Hepate aliter af-
fecti ſanguificant, quiue in mammis ellaborati lactificant, in teſtibus diuerſimode
diſpoſiti ſperma conficiunt, ac in alijs membris iuxta illorum membrorum condi-
tionem varie præparati, & determinati carnem, aliamue partem a natura animalis
requiſitam conficiunt: vnde niſi cęterarum illarum productionum efficientia de
corde negetur, illorum etiam ſpirituum a cerebro alteratorum productio eſt cordi
4. principaliter attribuenda. Eidemq; veritati atteſtatus videtur Galenus in ſeptimo
libro de Decretis Hippocratis & Platonis, vbi dependentiam actionis cerebri, ex
ſpiritibus a corde procedentibus innuit inquiens: ex inciſione cerebri non lædi ſen-
ſum animalis, niſi vulnus peruenerit ad aliquem cerebri ventriculum, quod cum
multum contineat ſpiritus, ex cuius deſtitutione animal priuatur ſenſu & motu:
cum deinde eundem ſpiritum a corde per arterias emiſſum illud ventriculum recu-
perat, ad priſtinum ſtatum animal redigitur: Quibus docere videtur non eſſe ſe-
dem animę in cerebro, ex cuius læſione animal non amittit ſenſum, ipſumq; ex læ-
ſione ventriculi intrinſecioris amiſſum recuperare valet: cuius oppoſitum eſt de cor-
de, de quo dicetur in ſubſequenti capite quod ex quacunque ei illata iniuria totum
5. animal nedum aliqua facultate, ſed & vita penitus deſtituitur. Præterea patet hoc
ipſum ex varijs imperfectioribus conditionibus ipſius cerebri, ex oppoſito enim
cordis, eſt ſine motu, qui maximum eſt ſignum, primuſq; effectus vitæ, ac vlte-
rius caret ſenſu, præcipuo animalis officio: vnde illatas ei iniurias non percipit; re-
pletumq; eſt vaporibus, & excrementis, quę cor à ſe valide repellit; & ſe habet in
animali per comparationem cordis vt materia iners reſpectu formæ, & agentis:
Et confirmatur principalis intentio adæquatiſſimo exemplo principis in regno,
qui communiſſime cunctis muneribus in regno contingentibus preſidens ſingulari-
bus officijs non applicatur: quod non eſt de cerebro, quod ſingulari, ſeu ſpecifico
operi adhibitum in multis officijs animalibus, vt nutritionis, auctionis, ac genera-
Fundamenti reprobatio. tionis, nullo modo concurrit. Nec aliquod fulcimentum recipit talis poſitio ex eo
quod cerebrũ eſt origo neruorum ſenſui, motuiq; inſeruientium (vt enim oſtenſum
iam eſt) nobiliora inſtrumenta pro ijſdem actionibus procedunt ex corde ſcilicet
ſpiritus omnibus officijs animæ communes; qui etiam in ſpecialibus illis actio-
nibus ſenſationis, & motus principaliter concurrunt: vnde ex origine potius illorum
Alterius fundamenti reprobatio. quam neruorum, eſt deſumenda ratio ſedis animæ. Nec etiam valet id in quo niti-
tur Galenus, quia ſcilicet per conſtrictionem neruorum, muſculi ſtatim motu pri-
uantur: Agunt enim nerui in muſculis, & roborant illos admodum, ſed hoc ex vir-
tute eis præſtita a ſpiritibus, qui quamuis ſint principalia agentia illius motus, non
tamen apta ſunt agere ſine intermedijs inſtrumentis, qui ſunt nerui.

Digitized by Google

Statuitur Anima Sedem eſſe Cor. *Cap. VIII.*

QVæ ex aliorum confutatione ſola inter principales ſententias de membro præcipuo, animę ſede approbanda relinquitur aſtruens ipſum eſſe cor: prodita ex Ariſtotele in libello de Iuuentute, & Senectute: & de communi motu Animalium: in librisq; de Partibus, ac de Generatione Animalium: validiſſimis adhuc rationibus comprobatur: *Ratio 1.* Primo enim cum ſedes ab anima in quocunque animali expoſtuletur; eſſe debet propterea in tali membro, quod natum ſit in quocunque animali reperiri: & tale non eſt cerebrum, vel Hepar; quibus animalia quamplurima carent; ſed cor tantum; cuicunque enim animali ſeu cor formaliter, ſeu quid cordi proportione reſpondens, neceſſario ineſt; nam in quocunque animali neceſſarius eſt calor, qui ex corde procedit: Quare ſedes animæ cenſendum eſt cor, ſeu aliquid gerens vicem cordis: Quale quidem membrum cum proculdubio in plantis ſit ſedes animę vegetatiuę, & illa anima in cuiuſuis generis animali idem membrum pro ſede requirat: propterea quemadmodum eſt in corde, ſeu tanquam corde plantarum, conſimiliter collocata eſſe debet in quocunque animali; ac conſequenter omnes animæ (quarum vnica debet eſſe ſedes) debent in corde reſidere.

Probatur idipſum quoniam vniuerſalis animæ ſedes exiſtimanda eſt illa, in qua eſt origo communiſſimi ipſius animæ inſtrumenti, caloris ſcilicet, & ſpirituum, per quos principaliter & adæquatiſſime anima operatur: hi autem proxime, ac proprie procedunt ex corde. *Ratio 2.* Quod non tute effugere videntur quidam ex aduerſarijs dicentes, duplicia eſſe animæ inſtrumenta; alia ſcilicet que opera animæ perficiunt, *Euaſio.* quales ſunt ſpiritus; & calor, qui ex varijs membris contemperantur, recipiuntq; vim agendi, deſumendo tantummodo ex membris illis rationem quandam formalem: Alia vero per que vis animæ defertur; quæ ſunt arteriæ, nerui, & venæ ducentes ex varijs membris abſolutam originem, adeo vt ex eis nedum eſſe formale, ſed & materiale recipiant. E contra enim eſt quod attendenda eſt principalitas *Impugnatio.* membri ex inſtrumento animæ principali, ac communiori, qualis eſt calor ſpirituum, qui omnium illius actionum eſt principium; & proculdubio procedit a corde; ſi enim ſpiritus ab alio præter cor producantur, id fit vel abſolute, vel per alterationem tantum: non primo modo; nam cum omnia agant virtute caloris, qui a corde prouenit: ſitq; cauſa cauſati quod eſt cauſa cauſæ: propterea illa productio referenda eſt in corde: Si ſecundo modo; vel id faciunt illa membra vt miniſtra cordis; vnde ſequetur principale in illa actione eſſe cor: vel vt principales: vnde ſequeretur quod nedum cerebrũ, & Hepar, ſed & Mammæ teſtes, & quecũque membra, quibus ſpectat ellaborare ſpiritus, vt congruant productioni ſui ſimilis, eſſent præcipua membra, vt cor: ſed quinnimo eſſent præſtantiora; ſic enim ſpiritus eis tanquam materiam ſubminiſtratos a corde perficerent; quod eſt officium facultatis ſublimioris: Inſuper quia cerebrum non ageret in ſpiritus, niſi illos per ſuum frigus contemperando; ſequeretur exinde nobilius eſſe principium frigefactionis, quam principium calefactionis, quod ex corde procedit; nobiliori enim modo in ipſorum ſpirituum procreatione, frigus, quam calor concurreret: Verum quia ſpiritus per meram alterationem, ac contemperationem non alterantur in ſpecie: pariter nec alterandum eſt iudicium de illorum principio, vt ipſum vnquam aliud a corde ſit exiſtimandum.

Introducunt Galenus, & alij cum eo, ſpiritus quoſdam intra pulmones ex inſpirato aere productos: haud probabiliter tamen; quoniam ſpiritus ſunt, vel immediate procedunt ex ſanguine tenuiſſimo, qui fabricari, & concoqui valet tantum in corde. Eſtq; ſpiritus mixtum quodam, quamuis ſubtiliſſimum, quod ex vnico tantum elemento aeris conſtare non poteſt. Præterquam quod in vnico animali inconueniens videtur quod plura genera ſpirituum producantur. *Spiritus ex attracto aere in animali non gigni.*

M 2 Alijq;

Non gigni pro prios ſpiritus a Iecore. Alijq; putantes naturales ſpiritus in Iecore produci, pariter errare videntur; cum nil ſit in natura ſuperfluum, & Iecori pro eius officio exercendo ſufficiens ſpirituum miniſterium cor præbeat. Quiaue ſpiritus conficiuntur ex tenuiſſimo ſanguine, qui Iecori non niſi rudis, & craſſus ineſt.

Inſuper reijcitur principalis euaſio eoquod de inſtrumentis illis, nempe de venis, & neruis non certum eſt quod originem habeant ex alijs membris non ex ipſo corde tantum. Sed hoc etiam aduerſarijs permiſſo, omnimode ratio ſedis animæ deſumenda eſt ex origine illius inſtrumenti, quod maiorem habet complicationem cum anima, quales ſunt ſpiritus ita eam inſequentes, vt ipſa recedente deficiant, vt ideo eadem animæ eſſentia ab aliquibus cenſeatur, cuiuſmodi non ſunt nerui, venæ, & arteriæ, que anima etiam recedente ſeruantur.

Ratio 3. Habetur itidem ratio ad principalem probationem ex lib. de Iuuentute & Seneƈt. eo quod idem ſecundum ſe eſt animal, & viuens, vitamq; habet ex anima vegetatiua & animalitatem ex ſenſitiua; vt ideo ſimul, ac ibidem radicatas habere debeat animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, ſeu principium per quod viuat, & principium per quod ſit animal; vnde cum principium vitæ habeat in corde, vt tradunt Medici, ac vt confirmant omnes effeƈtus animæ nutrientis, qui fiunt per calorem, & ſpiritus ex corde procedentes: propterea in eodemmet corde eſt etiam principium animæ ſenſitiuæ. Quæ quidem ratiocinatio confirmatur ex vnione animarum tali, vt vna includatur in alia, non aliter, quam triangulum in quadrato, vt habetur in ſecundo de anima contextu 31. vnde cum principium animæ nutritiuæ, ſcilicet vegetalis ſit in corde, ſequitur vt ſingulæ animæ ſedem, habeant ibidem.

Ratio 4. Propterea falluntur etiam cum dicunt concupiſcibilem, ſeu vegetatiuam habere ſedem in Iecore, & iraſcibilem, ſcilicet ſenſitiuam in corde; cum enim concupiſcentia ſit appetitio ſenſus, nec conueniens ſit; vt vna facultas cognoſcat, & appetat alia, vnde magna ſequatur imbecillitas appetitus ſi ſegregetur a ſuo principio, quod eſt cognitio ſenſitiua; fiatq; per plures facultates quod vnica tantum valet abſolui: propterea ſedes concupiſcibilis debet eſſe idem cor, quod ſedes eſt iraſcibilis ſcilicet ſenſitiuæ: ideo Ariſtoteles in tertio de Anima contex. 42. inquit quod voluntas eſt in ratione, & concupiſcibilis, ac iraſcibilis in anima irrationali, a quibus ipſas ſegregare valde irrationabile eſſet.

Ratio 5. Arguitur ad idē inſuper quoniā ſedes animę videtur abeſſe debere a vaporibus, & excrementis, quæ vt maxime affluunt in cerebro, & Iecore, ita procul extant a corde: Quoniamue læſa facultate vitali, quæ eſt in corde; reliquæ omnes facultates animæ labefactantur: quod non pariter euenit è contra. Vnde eſt quod non infertur iniuria cordi abſque lue vniuerſi animalis: Et propterea cum reperiantur Monſtra varijs defeƈtibus paſſa in ceteris omnibus membris: que tamen ſint corde vel carentia, vel in eo deformata, ac vitiata, nunquam inueniuntur: quia nimirum pars illa principaliſſima prauam qualemcunque diſpoſitionem non patitur: ac ideo in tertio de Part. Animalium capite 3. inquit Philoſophus, nulli graui morbo obnoxium eſſe cor; ſecus ac arteria pulmonis, qua iungitur Hepar cum vena maiori, quam aliqualiter (abſque occaſu) lædi contingit. Inquit Galenus in quinto de Locis affeƈtis capite 2. ſe vidiſſe hominem quendam in corde vulneratum, aliquandiu viuere. Et Cremonenſis Anathomicus inquit, ſe hominem diſecuiſſe, in cuius corde erat vlcus: Alijq; conſimilia fatentur: Quæ tamen ſunt meræ aſſertiones, quibus teſtes, vel probationem non adhibent: Sed bene aduerſantur ipſimet Galeno, qui in primo cap. præcitati operis ait quod, læſionem ſtatim interimere verificatur tantum de læſione cordis: Adduntq; alij id intelligendum eſſe de graui, non de exigua læſione: in quo ſaluatur vis argumenti, quæ conſiſtit in comparatione cordis cum cæteris membris, que etiam ex graui læſione non ſtatim intereunt.

Euaſio.

Impugnatio.

Confirmatio. Et inde etiam principalis ratio confirmatur, quia animalia quedam, vt pica, teſtudo, & alia dempto eis capite aliquamdiu viuunt, ſentiunt, & mouentur; quod non contin-

contingit de animali, cui auulſum ſit cor; Nec valet quod obijciunt de eadem teſtudine, & alijs animalibus, que etiam auulſo eis corde viuunt. Id enim prouenit in illis animalibus ex eo quod compacta ſunt ex ſubſtantia, ſeu humore tenaci, ac glutinoſo, vnde ſpiritus iam ex corde producti non facilem egreſſum inueniunt, vt ſtatim euaneſcant, vt fit in perfectis animalibus, in quibus calidis, ac poris repletis, ſi ſpiritus non habeant cor, a quo inceſſanter emanent, cito deficiunt. Sed omnimode vim habet ratio, quoniam comparatis inuicem abſciſionibus horum membrorum, ſemper citius moriçtur animal per priuationem cordis, quam per ablationem cuiuslibet alterius membri. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Ellicitur eiuſdem veritatis comprobatio ex confeſſione ipſiuſmet Galeni in ſexto libro de Decretis Hippocratis & Platonis aſſerentis quod, cor tantum inter viſcera extractus a corpore naturalem ſuam facultatem retinet, & mouetur: quibus illius a quocunque membro independentiam declarare videtur: vnde & Ariſtoteles in tertio de Partibus Animalium capite 3. ait quod cor animalibus, quibus ineſt, appoſitum eſt velut aliud quodam animal; quod eo fortaſſis dictum eſt quoniam ipſum tanquam aliquod paruum animal ſeipſo vitæ, ſenſus, ac motus eſt compos; ex quo prouenit vt (quemadmodum qui experiuntur affirmant) dum fœtus primo formatur, ſtatim quod genitum eſt cor quamuis nondum confectum ſit cerebrum, ſentit, vt eo comperitur, quod in aliqua parte læſus contrahitur, & ad locum tutiorem mouetur. Leuiſq; prorſus eſt euaſio quorumdam Anathomicorum dicentium etiam cerebrum moueri per contractionem, & extenſionem. Id enim ſi in cerebro accidit, non aliunde procedere poteſt quam ex arterijs à corde in membranas cerebri inſertis. Et valde id confirmat obſeruatio de corde in morientibus, in quibus cęteris membris deficientibus ipſum vltimo moritur: vnde experiri volentes de aliquo an viuat, manum ei prope cor apponunt. *Ratio 6.* *Euaſio.* *Impugnatio.* *Confirmatio.*

Arguitur inſuper ad principale quoniam conuenientiſſimus locus pro ſede animę in animali eſt medius, in quo valde munita, proximaq; ſit reliquis omnibus partibus viuentis, vt apte ſuam vim vbique effundere valeat. Occurunt aduerſarij negantes cor poſitum eſſe in medio animalis, vbi vmbilicū, aliæq; partes viliores locātur, cor enim eſt ſupra medium inclinans ad ſiniſtram: adducuntq; Ariſtotelem in tertio de Partibus Animal. capite 3. aſſerentem quod nobilior in animali eſt locus ſurſum, in quo quidem eſt cerebrum: Ac proinde inquiunt primum Motorem non in medio mundi: ſed in ſphæra ſuprema, ſe habente veluti cerebrum in animali, reſidere. Contra autem eſt quod cor reuera eſt in medio; non vtique molis, in quo proprie ſunt vmbilicus, & alia inteſtina; ſed in medio munitiori, ſcilicet in Thorace, qui quidem locus eſt in parte ſuperiori quoad molem; at media quoad eſſe munitam: Docet enim Philoſophus in ſecundo de Cœlo 74. duplex eſſe medium, magnitudinis ſcilicet, ac naturæ, ideſt perfectionis, que media inter ſe magis propinqua ſunt in animali, quam in mundo; in animali enim medium naturæ parum diſtat a medio molis: at in mundo medium eſt in parte ſublimi: vnde non obſtat exemplum de Primo Motore; formæ enim materiales, quæ a ſuo corpore contineri, & cuſtodiri debent, ab iniurijſq; ſeruari, quæue egent inſtrumentis, per quę in omnes partes ſuas uires effundant, locum propterea expoſcunt medium, & munitiorem; at formæ, ſeu ſubſtantiæ a materia abiunctæ, quæ magis ſua corpora continent, quam ab eis contineantur, quæ læſionibus non ſunt expoſitæ; vnde non indigent conſeruatore, & abſque organis, & aliqua dificultate ſuam virtutem vbi eſt opus effundunt; in parte ſuperiori, quæ eſt continens, & conſeruans aptius collocantur: Præterquam quod diſpar eſt ratio de Mundo, in quo (cum ſit ſphericus) colluuies ignobiliorum rerum compellitur in centrum; ac de animali recta figura prædito, in quo locus, etſi non medius abſolute; ei tamen valde propinquus purior, ac munitior eſt. *Ratio 7.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

Adeſt & ratio Ariſtotelis in quarto de Generatione Animalium capite 4. ex dependentia vnitatis animalis ex vnitate cordis: & non cerebri; vnicum enim ani- *Ratio 8.*

mal poteſt duobus capitibus eſſe præditum: at duo corda ſemper duo animalia conſtituunt: quemadmodum etiam duo capita poſſunt quidem ſaluari cum vnico corde; & duo corda cum vnico capite nequaquam; quoniam ſcilicet cum cor ſit illud, cui ineſt ſedes animæ ab ipſo abſolutio, & numerus animalium dependet.

Ratio 9. Præterea exiſtimanda eſt ſedes animæ illa, in qua maxime vigent animæ paſſiones: Sed amor, ſpes, dolor, & huiuſmodi, quæ ſunt affectiones animæ ſenſitiuæ, verſantur, vigentq; in corde: Quare ipſum cor eſt ſedes animæ ſenſitiuæ, ac proinde etiam motiuæ; docet enim Philoſophus in 29. textu tertij de Anima, non niſi ratione differe appetitum a facultate cognoſcitiua; ac deinde in textu 54. oſtendit appetitum eſſe motum quendam: vt itaque illarum facultatum eadem debeat eſſe ſedes. *Euaſio.* Nec rationabilis videtur reſponſio quorumdam dicentium, paſſiones illas non attingere cor per propriam illius ſenſationem, ſed per conſenſum tantum, ac proinde non ex eo inferri quod ſit ſedes animæ ſenſitiuæ, ſed quod habeat connexionem, ac conſenſum cum illa ſede, quæ eſt cerebrum, a quo ei vis ſentiendi confertur: *Impugnatio.* E contra enim eſt quod cum facultas appetitiua, atque motiua ſint idem cum ſenſitiua: ideo cum in corde ſit appetitiua, ibidem eſſe debet & ſenſitiua, in qua ſunt paſſiones; mirabile enim eſſet quod in vno loco ortum haberent ſenſatio, ac animæ perturbationes, & appetitus in altero; cum enim appetitus animalis inſequatur cognitionem, propterea ibidem cum cognoſcitiua facultate ſuam ſedem expoſcit: vnde cum natura repoſuerit in corde ſpiritus, qui ſunt inſtrumenta his animæ affectionibus inſeruientia; inde illud talium affectionum locum conſtituiſſe videtur.

Ratio 10. Fulciri etiam ſolet eadem veritas ex prioritate originis ipſius cordis; quod in genito animali vel primo conſtruitur; vel ſaltem ante cætera membra habet eſſe viuens, animatum, & perfectum: de cuius rei veritate in ſubſequenti digrediendum erit.

Si Cor, vel aliud membrum Animalis primo in generatione formetur. Cap. IX.

Aliquorum Opinio Poſterius adducta ratio determinatum optat an cor vel aliud membrum in generatione animalis primo formetur: circa quod inter varia iudicia nonnulli, de quibus mentionem facit Galenus in eius opere An omnes partes animalis exiſtentis in vtero ſimul fiant, opinati ſunt nullius membri conſtitutionem alterius conſtructionem præcedere, ſubnixi præſertim Hippocratis aſſertioni in initio libri de Alimento; quod ſcilicet omnia membra animalis indiſſolubili quadam vnione connexa ſint adeo, vt ſibijnuicem, ac communis corporis beneficio ſemper inſeruiant: vnde inferunt quod vnum ſine cæteris in eſſe reperiri non debeat; cum enim cerebrum ſenſum præbeat cordi, & Iecori; Iecus cordi, & cerebro alimentum paret: ac cor Iecori, & cerebro vitam ellargiatur; propterea vnum illorum ſine alijs exiſtens, otio, quod natura deteſtatur, deditum eſſet. Et cum obijcitur experientia in diſſectione fœtus, cuius aliquod membrum ante alia compertum eſt gigni; Inquiunt alicuius delineationem poſſe vtique prius apparere; non tamen generationem vnius priuſquam alterius incipere. *Reprobatio.* Talis autem opinio leuis eſt in concluſione, in fundamento, ac in propulſatione rationis aduerſæ: Quo enim ad ipſam ſententiam, cum mos ſit naturæ in animati corporis conſtitutione, ex rudiori illius initio ad prouectiorem, & abſolutiorem eius perfectionem progredi; pariter rationabile eſt vt in ordine conſtruendorum membrorum, citius, priuſq; in vno quam in alio procedat; quemadmodum & ars imitatrix naturæ mos habet ſuorum artefactorum partes ſigillatim producere: Et ſicut in auulſis plantis dum primo formari incipiunt, cernuntur prius in eis fibræ, ac radices, mox truncus, ac deinde rami ante

Digitized by Google

mi ante corticem, frondes, & fructus: idipſum & in animalium conſtitutione fieri credendum eſt. Et quod pro fundamento ſumunt, vanum eſt; repugnaret enim intentioni naturæ ſolertiam in rebus naturalibus inſtituentis ſi membrum aliquod non haberet vſum ſuæ facultatis in animali perfecto, & completo; non eſt autem inconueniens illud nondum operari in animali, nondum completo, & eius partibus abſoluto: Quinetiam (vt notat Ariſtoteles in ſecundo de Generatione Animalium cap. 1.) vanum eſt ſubterfugium illud ab oppoſita ratione dicendo, quod experientia de partibus fętus, quarum vna ante alias efformatur, ſit oculorum deceptio; cuiuſmodi quidem reſponſione omnis ſenſata ratio redderetur inanis.

Putarunt alij primo confici caput, vt Alchmeon: nonnulli maiorem digitum pedis: & alij venam vmbilici, vt Democritus, & Medici quamplures addentes, ipſius non primo incipere, ſed prius quam cęterorum abſolui generationem: Sed qui maius negotium ingeſſit fuit Hippocrates in libro de Natura pueri præferens in prioritate formationis Iecur, quem ſecutus Galenus in libro de Formatione fętuum cap. 3. inquit cum eo, in exordio generationis apparere in Embrione tres, veluti bullulas, quæ ſeptima die ex actione formatricis facultatis inchoactam quandam viſcerum ſpeciem obtinent: tunc ex compactiori materia confici Hepar: mox ex minus craſſa cor, ac tandem ex tenuiori, quæ vt leuior ſublimem locum petit, cerebrum coagmentari: de quo pro fundamento tradit præcitato loco Hippocrates, ſe in fętu ſex dierum, in quo nulla cordis ſpęcies apparebat, obſeruaſſe quid rotundum, & rubeum quibuſdam, quaſi veniculis refertum, quod erat Iecur. Arguunt deinde quoniam fętus cum primo habet eſſe, eget nutrimento: etiam enim Ariſtoteles in ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. docet quod homo antequam habeat animam rationalem, vel ſenſitiuam viuit vita plantæ, cuius vitæ inſeparabilis eſt nutritio: Nutriri autem nequet ſine Iecore, quod alimenti, ſcilicet ſanguinis eſt officina. Inſuper quoniam cum mos ſit naturæ in ſuis productionibus auſpicari a facilioribus, cuiuſmodi eſt formatio Iecoris, quod cum ſimillimum ſit ſanguini, indicat, ſe ex illo parum immutato coaleſcere; propterea ob facilitatem videtur natura ab illius conſtructione exordiri.

Opinio Hippocrati Galeni — *Fundamēt.* 1 — 2. — 3.

Ex oppoſito autem tutius ſuſtinet Ariſtoteles, quod primo in generatione animalis producitur, eſſe cor: quod habet in tertio de Partib. Animalium cap. 4. in ſecundo de Generatione Animal. cap. 1. & 4. & in libro de Iuuentute & Senectute cap. 2. quem ſequuntur Auicenna Fen. 21. canone 3. tract. 1. cap. 2. Plinius in libro ſexto de Hiſtoria Animalium cap. 32. & adhuc Alexander Aphrodiſienſis in primo lib. de Anima. Magnus Albertus libro 13. de Animalibus cap. 4. & Diuus Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 122. artic. 2. ac de Potentia quæſt. 3. artic. 18. præter innumeres alios, quorum primum fundamentum eſt quod inquit Ariſtoteles in præcitato loco de Iuuentute, & Senectute ſe inſpexiſſe in animalibus ſanguine præditis primo fieri cor: vnde colligi debere quod in carentibus ſanguine id primo fiat, quod proportione reſpondet cordi: Qui vero effugiunt per negationem experientiæ Ariſtotelis dicentes quod delineationes etiam Iecoris ibidem exiſtentes ob illarum exiguitatem non erant viſibiles: Hi conuinci tantum poſſunt per nouam experientiam: Quamuis confeſſio quod appareat cor quando nondum viſibilia ſunt lineamenta Iecoris confirmare videtur quod cor prius ceperit efformari. Et inſuper ſententia Ariſtotelis exinde ſuadetur quod rationabile eſt id prius habere eſſe, quod vltimo eſſe deſinit: tale eſt cor, quod Iecore extincto, & motu deficiente adhuc palpitare percipitur: ac cum deſinit illius motus, tunc animal obijſſe comperitur: Nec rationabilis videtur reſponſio Galeni in ſecundo de Decretis Hippocratis & Platonis quod ſcilicet colligatur exinde, cor eſſe principium motus, non cuiuſcunque, ſed illius tantum, quod conſiſtit in pulſibus. Contra enim eſt quod omnium motuum animalis idem eſt principuum, quod eſt cor, ex quo calor, ſpirituſq; arterijs incluſi procedunt, & primam motus originem deferunt. Arguitur inſuper quia nulla pars corporis viuere valet ſine calore vitali, cuius, ac totius

Reprobatio Ariſtotelis ſententia. — *Ratio* 1. — *Euaſio.* — *Impugnatio.* — *Ratio* 2. — *Euaſio.* — *Impugnati:* — *Ratio* 3.

Digitized by Google

animalis extinctio ſeinuicem inſequuntur; & talis calor procedit a corde, quod
Euaſio. propterea prius in producto animali requiritur: Nec ſatis effugere videntur dicentes calorem proprium cordis eſſe neceſſarium in genito ad perfectionem redacto, cui competit reſpiratio: fœtui vero habenti eſſe inchoactum tantum & imperfectum ſufficere calorem, quem ei cor matris communicat, vt valeat alimentum ſcilicet ſanguinem ab eadem matre fluentem pro ſui formatione recipere: exemplo plantarum, quæ per inſitum calorem cæleſtem viuunt & nutriuntur.

Impugnatio. Contra enim eſt quod pro nutritione magis eſt neceſſaria genito intrinſeceitas caloris, per quem attrahere, retinere, & concoquere valeat alimentum; quam ipſius alimenti, cui magis proprium eſt extrinſecus aduenire: vnde comparatis inuicem calore & ſanguine, ſeu illorum principia vt genito animali ſpectant, rationabile videtur vt prius ei cum ſuo principio proprius calor, quam proprium alimentum cum Hepate inexiſtat. De plantis vero quamuis non omnino ſit par ratio ob imperfectiorem illarum conditionem: dicimus tamen ineſſe eis proprium calorem ob illud earum membrum, quod cordi proportione
Ratio 4. reſpondet. Et demum quia comparatis inuicem officijs cordis & Iecoris, primo in animali, quod generatur requiritur officium cordis, quod eſt producere arterias & ſpiritus ad vitam admodum neceſſaria, quam officium Iecoris, cuius eſt conficere ſanguinem alimentalem, quem fœtui ſatis ipſa mater ſubminiſtrat: Itaque primum, quod formatur eſt cor.

Sol. 1 argum. Ex oppoſitis vero rationibus quam vim habeat prima ex experientia deducta, indicat diuerſum experimentum Ariſtotelis, cui potius de hoc fides adhi-
2. benda videtur. Subſequenti reſpondet Auicenna in præcitato loco quod fœtus in exordio illo generationis nondum ſuæ ſubſtantiæ diſpendium patitur; ac proinde non eget tunc alimento refocilante: quod tamen non approbandum videtur; ab initio enim vitæ ſemper animal ex actione caloris, ac conditione rerum transmutabilium in fluxu poſitum eſt; vnde aliquid deperdit; ac propterea inceſſante reſtauratione per nutrimentum eget: Sed dicendum ad argumentum: tunc fetum abſque ſanguine, quem proprium ei Iecur conficiat, ſufficienter nutriri ex ſanguine matris, quem per vmbilicum recipit: Et quod prius viuat vita plantæ, infert quod anima ei primo aduenìens ſit vegetatiua; non autem quod eam formam adeptum ipſum animal ante officium, ac inexiſtentiam cordis nutriatur. Ad poſtremum reſpondetur, ſepe vtique naturam a facilioribus inchoari: at quoniam aliquando pars dificilior magis eſt requiſita, natura tunc potius vtilitatis, quam facilitatis reſpectum inſequitur.

Quæritur quæ ſit ſedes Animæ Intellectiuæ. Cap. X.

Opinio Platonis Galeni NOn eſt prætermitenda ſedes animæ rationalis dum ſolliciti ſumus in illa exploranda de ignobilioribus, & mortalibus: circa quod occurit ſententia Platonis qui in Timæo eam conſtituit in capite, cui adhæſit Galenus, qui in libro Quod animi mores ſequantur corporis temperamentum ſuſtinens ipſam intellectiuam non eſſe ſubſtantiam quandam, vt cenſuit Plato, ſed temperamentum cerebri, proinde cerebrum il-
Auicenna lius ſedem exiſtimauit: Quod idem ſtatuit & Auicenna conueniens tamen quoad
Argumẽt. 1. rationem illius eſſentiæ cum Platone: quorum ſententiæ ea fundamenta inſeruiun: Primo quia inquiunt coniungi nobis intellectum per phantaſmata, & per illorum effectus: phantaſmata vnà cum illorum ſenſu, & organo ſunt
2. in capite, in quo ſunt etiam omnes ſenſus externi. Deinde quoniam non videntur in eadem ſede locandæ pars animæ caduca, & pars immortalis, quæ cum diſtinctæ ſint naturæ, & conditionis, diſtinctas etiam ſedes expoſtulare videntur: Sed pars caduca ſedem habet in pectore: quare non ibidem,
3. ſed in capite collocanda eſt æterna. Ac pariter pars animæ agens per cognitio-

Digitized by Google

gnitionem, & libere, alibi eſt reponenda ab illa, quæ agit per naturam; vnde cum hec reſideat in pectore; illa propterea eſt in capite reponenda. Conſimiliter cuius officium eſt dirigere, & imperare, ei locus ſublimior competit vnde in 12. textu ſecundi de Cælo habetur ſurſum eſſe principium motus: intellectus vero eſt id, quod regit, diſponitq; motum, & omnes actiones animalis: quare collocatus eſſe debet in illius parte ſuperiori. Ac etiam cum calor turbet admodum iudicium, Prudentiam, & Scientiam; propterea anima rationalis, cui talia officia ſpectant, abeſſe debet ab ingenti calore; qui cum recipiatur in corde; ideo ibidem incompatibilem reddit illius animæ ſedem: Inde eſt quod confundi ſolet officium intellectus dum dolore, vaporibus, ſeu agitatione læditur caput; quod non euenit dum æſtu febris cor, ſeu pectus afficitur: Ad quem ſenſum loqui videtur Ariſtoteles in Problematum particula 18. problem. 1. inquiens: Vbi mens conſtiterit, & quaſi fatigata ſuccubuerit caput aggrauat, vt potè quæ ſita in eo ſit, ſomnumq; inducit: Ac pariter ex varijs temperamentis, magnitudine, ſeu configuratione cerebri, non autem pectoris deſumitur potiſſimum ſignum validitatis ingenij maioriſue, ſeu minoris aptitudinis ad ſpeculandum: vnde in eiuſdem operis particula 30. problem. 3. legitur inter animalia prudentiſſimum eſſe hominem, quia ad proportionem corporis minimum habet caput; prudentiores namque naſci homines illos, qui minoris ſunt capitis: Ex quibus in capite mentem reſidere deducunt. 4. 5.

Euerſio ſecũdum doctrinam Ariſtotelis. *Alexander.* *Ratio 1.*

Ex oppoſito autem quod anima etiam rationalis ſedem habeat in corde rationabiliter ſuſtinet Alexander in calce primi eius libri de Anima inſequens Ariſtotelem, qui præter alia loca ſe explicans in ſecundo de Generatione Animalium cap. 4. ait quod homo calorem cordis puriſſimum obtinet, quod temperamentum intellectus planè ſignificat, quia homo omnium animalium prudentiſſimus eſt: quibus ſignificare videtur intellectus ſedem eſſe cor: Quæ quidem veritas ex præhabitis ſtatuta videtur; cum enim probatum fuerit vnicum eſſe membrum principale, quod eſt animæ ſedes; illudq; eſſe cor: proinde ſequitur ipſius etiam animæ rationalis non aliam eſſe ſedem quam cor. Et confirmatur ex ſubordinatione, ac ſerie animarum ita ſe habentium vt ſemper inferior paret pro ſubſequenti: vnde cum animam rationalem in corpore antecedat vegetalis, & ſenſitiua, vt docetur in ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. illæq; ſint in corde, vt ex præhabitis innotuit: propterea in eodem corde parare debent ſedem rationalis. Quoniamue nobiliſſimæ animæ, qualis eſt rationalis, debetur pro ſede locus nobiliſſimus, quale iam ſuperius apparuit eſſe cor. Ac inſuper quoniam eadem debet eſſe ſedes vnius partis, ac totius, ſeu omnium partium animę: vnde cum intellectus ſe habeat tanquam pars animæ, vt habetur in proœmio tertij de Anima: proinde reſidere debet in corde, vbi aliæ partes animæ collocantur. Inſuper cum intellectus ex duplici munere, contemplandi, ſcilicet & agendi diuiſionem ſubeat in intellectum Theoricum, & praticum; vtriuſque ex illis, qui tantum ratione diſtinguuntur eadem debet eſſe ſedes: in corde autem eſt ſedes Practici; qui vel exercetur in efficiendo, ſcilicet in artibus, quę requirunt motum, ac ideo vim, ſpiritus, & calorem ex corde prouenientibus: Vel per ſimplicem actionem, ſcilicet in vſu prudentię, & virtutum moralium, quæ conſiſtunt in coercendis paſſionibus, ſcilicet perturbationibus exiſtentibus in corde: Igitur in eodem corde eſt etiam ſedes intellectus ſpeculatiui, ac totalis ipſius animæ rationalis: & propterea dici ſolet: ex corde homines loqui, eſſeq; voces notas paſſionum, quæ ſunt in corde; per cuius abbundantiam os loquitur. 2. 3. 4. 5.

Sol. 1. argum.

Occurendo autem contrarijs argumentis ad primum concedentes aliqualem nexum intellectus cum nobis, ac cum cæteris animabus per operationem in phantaſmatibus conſiſtentem; dicimus tamen quod coniungitur etiam nobis per naturam,

ram, adeo ſcilicet vt antecedens paret introductionem ſubſequentis, vnaq; inſerta, ſeu connexa ſit alteri eo modo, quo trigonum in tetragono continetur: qua quidem ratione communicare debet in ſede, non cũ effectibus, ſcilicet phantaſmatibus, ſed cum eſſentia cæterarum animarum: Et ſi obſeruetur intellectus quoad eius operationem, tunc dicimus primo quod illius obiectum, nimirum phantaſma, non arguit coexiſtentiam ſedis ipſius animæ, quemadmodum & viſus diſtantia obiecta intuetur, quæ nedum a ſede animæ ſenſitiuæ, ſed & ab illius animæ eſſentia, & a facultate viſiua longe abſunt: Sicut etiam ſol varias edit operationes in his inferioribus ab ipſo diſtantibus: Sed addendum eſt duplex eſſe principium operationis intellectus; alterum ſcilicet principale, quod conſiſtit in corde, & alterum ſecundarium ab ipſo remotius, quale eſt phantaſma; quod quidem eſt in cerebro; quamuis terminatio ſpeculationis fiat in corde, vbi proprie, & quoad eſſentiam reſidet anima. *Solutio 2.* Subſequenti neganda eſt maior propoſitio: haud enim incompatibilis videtur pars animæ mortalis cum parte incorruptibili, pro cuius introductione ſubiectum parat; cuiue miniſtrat phantaſmata ſuggerendo: vnde eandem ſedem poſtulare videtur cum illa anima, quæ ei phantaſmata ſubminiſtrat; nec ei officit niſi accidentaliter, dum ſcilicet ſit praue diſpoſita. *Solutio 3.* Reſpondetur ad alterum iuxta id quod docet Ariſtoteles in libro de communi motu animalium: quod, vt ars præſupponit, fundaturq; in natura: ita & agens per cognitionem conuenit, ac innititur agenti per naturam: vnde etiam in eadem ſede adæquatiſſime collocatur. *Solutio 4.* Ad quartum dicitur quod pars animæ dirigens, & imperans proprie conſtituitur in medio, vt in munitiori loco, & a quo facile, & æque poſſit ad omnes partes ſuam virtutem, ſuaſq; leges effundere; ſufficienſq; eſt quod in loco ſuperiori, veluti in arce, excubias oculorum, & aliorum ſenſuum conſtituat, & quod ipſa anima exiſtens in corde ſit in loco quamuis medio quoad rationem partis munitioris, ſuperiori tamen quoad rationem molis, quæ ſi in duas partes diuidatur, cor reperitur in parte ſuperiori. *Solutio 5.* Quod vero ingens calor, & agitatio turbent iudicium, & prudentiam quatenus officiunt inſtrumentis intellectus remotis ſcilicet phantaſmatibus, cauſa fuit vt prouida natura in loco remiſſioris caloris, nempe in cerebro ipſorum phantaſmatum productionem inſtituerit; non tamen erat occaſio illuc conſtituendi ſedem etiam animæ rationalis; quæ cum ſpiritualis, & inextenſa ſit; propterea quoad eius eſſentiam ab iniurijs motus, & caloris eſt immunis: Et ſi reputanda ſint verba Problematum, que tamen ibi ab Ariſtotele populariter, & ſecundum mentem aliorum frequentiſſime proferuntur: littera illa 18. Problematis nil obeſt ſi accipiatur textus Grecus, in quo habetur, quod: Cum mens ſteterit, & veluti laborauerit aggrauat caput his, que in eo ſunt, ſomnum inducens: quibus ſignificare videtur quod ab excrementis, & vaporibus, que includit, caput grauetur: non autem quod in illo ſit intellectus: Et omnimode verificatur tantum quod ſit ibi quoad operationem, nimirum quoad ipſius operationis obiectum, quod eſt phantaſma: non quoad ſedem eius eſſentiæ: Nec etiam aliud ex tertio illo Problemate licet inferre, niſi quod inſtrumentum illud obiectiuum, quale eſt phantaſma, habet officinam in capite; ex cuius diſpoſitione maxime illius formatio, ac conditio dependet.

Argumentis pro Platone. & Galeno in V. capite adductis occuritur. *Cap. XI.*

Solutio 1. argumenti. RAtionum vi iam comprobata veritate, & quacunque anima in corde tanquam in ſede conſtituta: reliquum eſt oppoſitæ ſententiæ fundamenta diuellere; quorum vt ſpectat ad primum, dicimus tantum abeſſe quod per ſe facultates illæ ſibijnuicem aduerſentur, quod quinnimo ſe reciproce fouent, & perficiunt; ſenſitiua enim parat ſubiectum pro introductione mentis, eiq; phantaſmata neceſſarium eius actionis inſtru-

Digitized by Google

inſtrumentum ſubminiſtrat; & hec ſenſitiuam exornat, diſponit, & ad agendum dirigit: diuerſæ autẽ actiones, ac etiam cõtrariæ, quæ fiunt diſtinctis temporibus, nedũ non arguunt varietatem ſedis; at nec in eſſentia animæ, nec in facultate; eadem enim facultas concupiſcibilis modo vnum contrarium, modo aliud expetit: quinnimo viſiua inſimul album, & nigrum intuetur; auditusq; graue, & acutum eodem tempore percipit; oppoſitorum namque eadem ſolet eſſe facultas; ob diſtinctionem enim obiectorum eueniũt diſtinctæ operationes eiuſdem cauſæ: actiones vero animę inuicem pugnantes, & ſibi mutuo aduerſantes arguunt vtique diſtinctam eſſentiam animarum; rationalis ſcilicet, & mortalis: diſtinctionem autem illarum ſedis nequaquam.

Subſequens infert tantum cerebro inexiſtentiam obiectiui inſtrumenti, nimirum phantaſmatis, ex quo dependent actiones animę excogitandi, ac memorandi; quodue inibi fiant illæ actiones: ex quo tamen non ſequitur quod ibi ſit anima, quemadmodum nec ſol vbicunque agit illuminando, calefaciendo, ac liquefaciendo, ſeu indurando, ibidem ſecundum illius ſedem, vel per propriam eſſentiam reperitur: nec anima ibi eſt radicata, vel per ſuam eſſentiam peruenit, vbi viſibile obiectum inſpicit; Sic etiam cum intellectus pro contemplando vtatur phantaſmatibus ibi exiſtentibus: propterea mirum non eſt ſi compatiatur illius facultas ex læſione cerebri; ac ſi grauetur caput dum ex aſſidua contemplatione fit agitatio phantaſmatum in eo exiſtentium; quod etiam prouenit ex eo quod intenſe ſpeculantis ſpiritus ad cor reuocati; ac inde caput deſerentes, ipſum vaporum iniurijs expoſitum derelinquunt; vnde grauatur, & dolet. *Solutio 2.*

Pariter & ex ſequenti non aliud colligitur, niſi quod in illis partibus fiant aliquæ operationes animæ; ſeu quod pro illis operationibus ibi conſeruentur inſtrumenta, & organa quedam neceſſaria; ex quorum defectu, vel deprauatione talia officia animalis euertuntur. *Solutio 3.*

Quoad quartum argumentum reſpondetur ad maiorem propoſitionem negando quod ex cerebro dependeat inſtrumentum ſenſus & motus: ſi enim dicatur tale inſtrumentum eſſe neruos; vel intelligitur de materia tantum neruorum, quæ procedit a cerebro, de quibus neruis non erit verum dicere, quod ſint inſtrumenta ſenſus, & motus; cum potius ſint viæ per quas ducuntur ſpiritus ad tales actiones cauſandas: vel intelligitur de ipſis neruis ſimul cum ſpiritibus, qui ad illas actiones concurrunt: & tunc quia puri nerui, qui ſunt pars materialis, & vilior dependent a cerebro; ſpiritus vero, qui ſunt pars actiua, formalis, & principalior, procedunt ex corde: propterea origo huiuſmodi inſtrumenti motus, & ſenſationis, magis eſt cordi attribuenda, quam cerebro: Inſuper quoniam comparatis inuicem his duobus generibus inſtrumentorum: ſedes animæ deſumenda potius videtur ex origine illius, quod eſt communius, & eſt principium omnium officiorum animalis quales ſunt ſpiritus; quam ex origine inſtrumenti minus communis, vt ſunt nerui: Alij etiam penitus negant, neruos eſſe inſtrumenta ſenſus; habet enim Ariſtoteles in tertio de Hiſt. Animalium cap. 5. reperiri animalia, de quibus incertum eſt, an habeant neruos: adſuntq; partes carnis ſentientes, quę tamen neruis carent: adduntq; quod partes neruis refertæ ideo magis ſentiunt: quia per neruos illos maiorem habent connexionem cum corde. *Solutio 4.*

Ex eo quod in capite extent organa ſenſuum externorum, ſeu etiam internorum, colligi poteſt animam ſenſitiuam ibi habere ſuas actiones, ac ſuam eſſentiam: nec tamen eſt neceſſarium quod illuc habeat ſedem; tunc enim quia in toto corpore eſt organum ſenſus tactus; deberet in toto corpore ſedes animæ reperiri: De neruis vero iam dictum eſt, non eſſe principium, ſeu inſtrumentum ſenſationis principale; nam tales ſunt ſpiritus a corde procedentes. *Solutio 5.*

Humiditas autem, mollities, atq; frigiditas, vt conferunt ſpecifico illi officio facultatis ſenſitiuę; ita nullam habentes cauſalitatem in cæteris actionibus animalis, non ſunt tales, vt ex illorum ratione vniuerſæ animæ ſedes ſit inferenda; quæ cum *Solutio 6.*

(ex ſu-

Digitized by Google

(ex ſuperius ſtatutis) ſit in quocunque animali vnica; propterea arguenda potius eſt ex qualitate, quæ ſit principium commune omnium facultatum actionibus congruens, qualis eſt calor manans ex corde.

Solutio 7. Ad ſextum reſpondetur quod multo magis priuarentur membra nedum ſenſu, & motu; ſed & facultate ad quamcunque actionem animalem ſi eis obſtruerentur viæ, quæ ducunt a corde: deprauatio autem neruorum ideo officit motui, & ſenſui, quia vnà cum illis deprauatæ ſunt etiam venæ, & arteriæ: ac quia per talem neruorum læſionem tollitur in eis tranſitus ſpirituum a corde procedentium, qui ſunt inſtrumentum principalius ſenſus, & motus, quiue neruis tanquam ſubalternis inſtrumentis vtuntur: Et ideo in Apoplexia priuatur animal ſenſu, ac motu, non quidem quia læſa ſit ſedes animæ, ſed quia praue affectum eſt inſtrumentum, ſine quo anima non valet operari; quemadmodum amiſſis pedibus nequet animal ambulare, quamuis anima mouens non habeat in pedibus ſedem.

Solutio 8. Circa vltimum argumentum negatur primo quod venæ producantur a Iecore, cuius ſubſtantiæ tenuitas, ac mollities non videtur poſſe ſoliditatem præbere neruis: quiaue in corde tantum eſt ſanguis ſine venis; & ideo inſpiciuntur venæ per totum Iecur tranſeuntes, non autem per cor, cui tantum propinquum eſt caput magnæ venæ cauæ, a qua veluti ramuli quidam cæteræ omnes venæ procedere videntur; vt ideo Veſſalius præclariſſimus Anathomicus venarum productionem referat in corde. Cum vero dicitur de venis quod ſint immobiles: id negari debet ſecundum doctrinam Ariſtoteles in 15. capite libri de Vita & Morte aſſerentis: Et pulſant venæ omnes ſimul inuicem, propterea quod pendent omnes a corde: Nec valet reſponſio dicentium Ariſtotelem ibi nomine venarum, intelligere tantum arterias: Abſolute namque nomem venarum profert: Præterea quod venæ minus quam arteriæ moueantur: non eſt quia non procedant ex corde, ſed quia ſubſtantiam habent molliorem, minuſq; aptam motui; quiaue ſanguinem rudiorem includunt, & craſſiorem, quam ſanguis arteriarum, qui cum feruentiſſimus ſit: propterea eſt maxime ad motum procliuis: Ac quia magna vena Caua (vt Anathomici experiuntur) in illa parte, per quam hæret cordi, ex ipſo agitata magis mouetur. Quod vero amplior ſit truncus talis in Iecore, quam prope cor, quamuis Anathomici quidam oppoſitum experiri profiteantur: hoc tamen conceſſo nil nobis officit; cum frequenter res in principio ſuæ molis anguſtiores fiant: ac quia parum ſanguinis continere debet apud cor, & multum in Iecore, propterea ex prouido naturæ inſtituto talis diſtinctio magnitudinis procedere poteſt: Ex confectione vero ſanguinis alimentalis, quod eſt officium animæ ſpecificum, & ſingulare, non licet inferre in eodem Iecore inexiſtentiam ſedis animæ, quæ cum ſit vnica omnibus animabus communis; propterea potius eſt inferenda ex principio communiſſimo, quale procedit a corde, quod per ſuos ſpiritus ad quaſcunque operationes animales vt cauſa principalis concurrit; ac præſertim ad productionem illius ſanguinis alimentalis: Præterquam quod ipſum per ſe ſanguinem arterialem perfectiſſimum, & eminentiſſimum officium in animali exercentem efformat, pro qua quidem actione Iecur ei alimentalem ſanguinem in materiam ſubminiſtrans, habet officium membri famulantis, & inferioris: Ac inde ſuffragatur, quam officiat nobis id, quod obijciebatur de duobus orificijs cordis; ex eis enim fit vt ex Hepate tanquam ex facultate miniſtrante oblata materia, ſcilicet ſanguine alimentali, cordi, ab eo facile recipi, retineri, ac perfici valeat.

DE SEN-

DE SENSIBVS INTERNIS.

Adnotanda quædam præſentis tractationis præmittuntur. *Caput I.*

SVnt veluti aquæductus, veſtibula, atque vehicula quędam humanæ mentis ipſi ſenſus; qui vt prius quam illa cognoſcunt, non merentur ab eadem poſtremo cognoſci, prętertim interni, qui in comparatione externorum nobiliores, & quamuis intellectui eorum operationis immaterialitate, vniuerſalitate, ac propinquitate, magis conſimiles; magis tamen ſunt abditi at facilis inueſtigationis; quippe quorum exiſtentia operationibus innoteſcit, & certa ratione deducitur; cum enim ſenſus dicatur per reſpectum ad ſenſibilia eo modo, quo intellectus ad intelligibilia refertur; ſenſibiliaq; obiecta appræhenſibilia ſint tum ex ſeipſis immediate; vt color a facultatę viſiua, ſonus ab auditiua, odor ab olfactiua, & alia huiuſmodi a proprijs eorum ſenſibus, qui ſunt externi, non niſi præſens obiectum percipientes: tum etiam per illorum ſpeciem prius ab intermedijs ſenſibus externis formatam; inde requiruntur ſenſus interni; qui omnes (excepto ſenſu communi) etiam in abſens obiectum verſantur: Nec ideo tales ſenſus ad contra diſtinctionem aliorum dicuntur interni, quia aliorum omnia organa ſint externa: etiam enim illis competit pro organo cor, quod eſt pars animalis intima; ſed ita dicuntur reſpectu organi proximi, ac proprij, quod vnicuique ex illis externum competit: Et quamuis Philoſophus in libro de ſenſu, & ſenſilibus, ac in libris de Partibus Animalium dixerit etiam de ſenſu communi, ipſius organum eſſe cor; tunc intellexit de organo originali, quod omnibus animæ facultatibus ſecundum ipſum eſt cor, vt ſecundum medicos eſt cerebrum: non intellexit autem de organo ſubiectiuo, & proprio. Inſuper quia perceptibiles a ſenſu ſunt nedum formæ ſenſatæ (propria ſcilicet, atque communia ſenſibilia) quæ ſenſibus etiam externis innoteſcunt; ſed etiam inſenſatæ, quædam ſcilicet rerum proprietates vim ſenſuum externorum effugientes, vt beneficientia, hoſtilitas, & huiuſmodi perceptibilia ex ſolis ſenſibus internis; per quos putandum eſt bruta etiam animalia naturali inſtinctu directa rerum intimas conditiones diſcernere: vnde ouis hoſtilem lupi, proficuam vero ſibi canis naturam comperit; & hirundo materiam pro nidi conſtructione congruentem cognoſcit, retiſq; hoſtilem aſpectum formidat. Adhuc eſt exacta cognitio ſenſibilium communium, quæ externorum ſenſum facultatem excedere videtur. Quinetiam cum animalia carentia intellectu aliqualem habeant diſcurſum; pro quo neceſſaria eſt conſeruatio cognitorum, pro qua non valent ſenſus exteriores; proinde internorum ſenſuum neceſſaria eſt exiſtentia, Præterea quoniam cum externi ſenſus ab eorum obiectis patiantur; aliquamue ſenſuum circa eadem obiecta actionem, imaginatiuæ ſcilicet, ac reminiſcentiæ, ipſa experientia denotet, exinde interni ſenſus perſuadentur. Ac

Neceſſitas ſenſuum internorum.

Digitized by Google

demum comprobatur idipſum ex diſtinctis, quę requiruntur, organis, ac tempe-
ramentis externorum, atque internorum ſenſuum; organorum enim diſtinctionem
Anathomes detegit; complexionum autem ratio, qua ex eo quod humidi eſt appræ-
hendere, ac ſicci retinere, deducitur humidiora inſtrumenta inſeruire ſenſationi
externorum; aliquibus vero ex internis, quorum eſt retinere, & ſeruare, tempera-
mentum, in quo ſiccum præualeat, exigi: Vt euidens appareat neceſſitas ſenſuum
Diuiſio quæſtionis. internorum: Ad quorum dilucidationem determinandum eſt primo quot ſint:
mox quę illorum obiecta, & munera ac quemnam locum habeant in animali: dein-
de quibus animalibus inſint: ac demum appetentis facultatis conditiones erunt
explicandæ.

Quatuor opiniones, illorumq; fundamenta circa numerum internorum ſenſuum adducuntur. Cap. II.

IN determinando numero ſenſuum internorum, vt in re non ipſi ſen-
ſui patente, varia fuerunt philoſophantium iudicia, putantibus pri-
mo nonnullis vnicũ tantum eſſe ſenſum internum, qui ob multipli-
1. Opinio citatem officiorum diſtinctas rationes, & nomina ſubeat: his funda-
Fundamẽt. 1 mentis: primo quoniam obiectum, ex cuius ratione pendet conditio
facultatum, vnicum tantum (genus ſcilicet ſenſibilium) competit interno ſenſui,
qui propterea videtur non magis eſſe, quam vnus. Inſuper quia fundamentum,
2. ſeu præcipuum organum interni ſenſus, ſiue cum medicis dicatur eſſe cerebrum,
ſiue cum Ariſtotele cor; omnimode eſt vnicum, vnicoq; ſpiritu ad hoc genus ope-
rationum vtens, ex quo vnitas ipſius etiam internæ facultatis ſuadetur. Tertio
3. quia iiſdem officiis, quibus communis ſenſus incumbit, pariter apta videtur &
phantaſia; vt natura ſuperfluam rerum multiplicationem abhorrens non debuerit
tales facultates diſtinctas inſtituere. Adhuc quoniam eadem vtrique ex eis com-
4. petit definitio tradita ab Ariſtotele in ſecundo de Anima contextibus 160. ac 161.
de Phantaſia; quod ſcilicet ſit, motus factus a ſenſu in actu: vt idem videantur &
facultates illæ ob neceſſariam conſimilitudinem in vnitate definitionis, ac definiti.
Ac demum quoniam in libro de Memoria, & reminiſc. cap. 1. habetur quod phan-
5. taſiari & memorari ſunt paſſiones primi ſenſitiui, nimirum ſenſus communis; inde
colligitur illarum facultatum identitas.
2. Opinio Altera fuit opinio ſtatuens internos ſenſus eſſe duos, aliquali tamen diſcordia
authorum, quorum dicunt alii illos duos ſenſus eſſe ſenſum communem, & po-
tentiam cogitatricem: ad quorum primum redigunt phantaſiam, & ad ſecundum
memoriam: Et alii fatentur eos eſſe poteſtatem iudicatiuam, ac poteſtatem con-
ſeruatiuam; Ad quod ſuadentur ex eo quod duo hec munera, ſcilicet iudicandi,
Fundamen. 1 ac iudiciorum ſpecies conſeruandi, videntur eſſe cuncta, quę ex ipſis internis ſenſi-
bus procedunt. Quiaue duplicis generis eſt temperamentum ad illorum obeunda
2. munera requiſitum. Ac quia bipartitus eſt ventriculus cerebri, per quod ſenſus il-
li ſuas exibent ſenſationes.
3.
3. Opinio Fuit altera opinio Commentatoris in tertio de Anima comm. 6. ac in ſecundo
ſuarum Collectionum cap. 20. ac Diui Thomæ in prima parte ſummæ quæſt. 78.
artic. 4. & in Opuſculo 43. cap. 4. aſſerentium ſenſus internos eſſe quatuor nimirum
ſenſum communem, imaginatiuam ſeu phantaſiam, cogitatiuam, atque memo-
riam: ex quibus officium primi ſit cognoſcere operationes ſenſuum externorum,
4. eſſe internos ſenſus, & quę nam ſint illorum officia. diſcrimen ſtatuens inter diſtincta, diſparataq; illorum ſenſibilia, ſpecieſq; ſenſatas
bene recipere, ſeu concipere, ſed non diu conſeruare: Phantaſiæ vero munus ſit
ſpecies ſenſatas recipere, illaſq; intellectui offerre, ac imaginatas formas connecte-
re; Cogitatiuæ ſit educere ex ſpeciebus ſenſatis intentiones inſenſatas, vt amici-
tiæ, vel inimicitiæ, ſed ſecundum rationes tantum ſingulares, & illas recipere, cum
illius ſit cognoſcere indiuiduales intentiones omnium prædicamentorum; & talem
facultatem,

facultatem, quæ in homine vocatur cogitatiua, in brutis eſſe Exiſtimatiuam, inter quas ſecundum D. Thomam diſcrimen eſt tum eo, quod eaſdem inſenſatas intentiones cogitatiua homini inexiſtens percipit per aliqualem diſcurſum, qui dicitur ratio particularis, & exiſtimatiua brutorum id facit tantummodo per inſtinctum naturalem: tum etiam quia cogitatiua hominis cum ſit coniuncta intellectiuæ cognoſcit indiuiduum vt ſub natura communi contentum, puta hominem vt eſt hic homo; exiſtimatiua vero non niſi vt eſt principium, aut terminus alicuius operationis, vt agnus cognoſcit herbam non vt hanc herbam, ſed vt comeſtibilem: Et per hanc facultatem cogitatiuam inquit Auerroes in tertio de Anima comment. 20. hominem a brutis ſecerni, ac ex diuerſis illius conſtitutionibus varia hominum ingenia, varioſq; mores dependere. Memoriæ demum, inquiunt eſſe ſpecies ſenſatas, ac inſenſatas ſeruare: quam in brutis, ac in homine in eo differe inquiunt, quod bruta memoriam exercent per immediatam recordationem preteritorum, at homo ſuam exercet reminiſcentiam inquirens memoriam præteritorum ſecundum intentiones indiuiduales modo quodam ſyllogiſtico. Talis autem poſitio cum non egeat probatione de inexiſtentia communis ſenſus, phantaſiæ, ac memoriæ; quippe de quibus Ariſtoteles conſpicuo ſermone diſeruit, omnis propterea illius argumentatio ennititur in perſuadenda præter eas tres, facultate cogitatiua, ſeu exiſtimatiua prout reperitur in brutis, quod primo fit per hoc quod cum inter operationes ſenſuum internorum adſit excitatio appetitus, ac directio animalis ad motum; nec id procedere valeat a phantaſia quoniam habetur in ſecundo de Anima contex. 154. imaginationem non mouere, & nos per illam non ſecus diſponi ac illi qui picturas inſpiciunt: inde neceſſaria videtur cogitatiua, per quam tales actiones habere valeant. In cuius confirmationem conſideratur ad ſolam rei imaginationem non ſequi motum aliquem proſecutionis; aut fugæ, miſerationiſue, aut triſtitiæ; quorum aliquis exiſtimationem conſequi ſolet: Ac inſuper quod exiſtimatiua, ſeu cogitatiua magis actiua eſt quam imaginatiua, cum magis actio ſit ellicere intentiones, quam imagines tantum contemplari. Quod idem deducitur ex Ariſtotele in ſecundo de Anima cõtex. 153. vbi ait imaginationem non fieri abſque ſenſu, ac ſine eo non eſſe exiſtimationem: quibus inferre videtur, vim exiſtimandi, ſeu facultatem cogitandi eſſe ſenſum ab imaginatiua diſtinctum. Adhuc quoniam ex tertio de Anima tex. 57. duplex datur phantaſia, vna ſcilicet ſine ratione, & alia cum ratione: hanc ſecundam inquiunt eſſe cogitatiuam competentem homini, cui ineſt anima rationalis.

Fũdamẽtũ. 1 — 2. — 3.

4. Opinio

Quarta autem opinio circa numerum internorum ſenſuum fuit Auicennæ in ſexto Naturalium parte 4. cap. 5. Magni Alberti in ſecundo de Anima tract. 4. cap. 5. Algazelis in libello ſuo de Anima tract. 4. cap. 4. & Ioannis Gandauenſis in 2. de Anima quæſt. 37. aſſerentium ipſos eſſe quinque: qui quidem in numero concordes, diſſident tamen in eorum ordinatione, ac officijs aſſignandis; Auicenna enim ponit primo ſenſum communem, ſecundo phantaſiam, quæ ſeruet formas ſenſibilium; tertio cogitatiuam, quam ita vocat in homine, in quo eſt coniuncta rationi; in brutis enim eam nuncupat imaginatiuam; cuius ait eſſe receptas, ſeu conceptas formas ſenſibiles componere, atque diuidere, quarto exiſtimatiuam, cuius ſit ex formis illis ſenſibilibus ellicere ſpecies non ſenſatas, vt hoſtilitatis, vel amicitiæ, illaſq; componere, ac quinto memoratiuam, quæ illa omnia conſeruet. Magnus autem Albertus, & Algazeles ponunt poſt ſenſum communem imaginatiuam ellicientem, ac conſeruantem ſpecies ſenſibiles, eaſq; etiam in abſentia ipſorum ſenſibilium iudicantem: deinde exiſtimatiuam, quæ inſenſatas ſpecies, vt amicitiæ, ac inimicitiæ percipiat: quarto Phantaſiam aptam varias ſpecies adinuicem connectere, tum ſcilicet ſenſatas cum ſenſatis, vt albedinem lactis cum dulce; tum ſenſatas cum inſenſatis, vt calorem cum vtili; tum etiam non ſenſatas cum non ſenſatis, vt dum turtur concipit ſociam vt amicam, ac proficuam; quam eandem facultatem in homine poſitam, vocat cogitatiuam: ac demum memoriam. Horum *Fundamẽtũ.*

fundamentum conſiſtit in quinque his operationibus, quæ æqualem numerum facultatum, ſcilicet ſenſuum internorum expoſtulare videntur: Et inquiunt apparere diſtinctionem facultatis imaginatiuæ ab exiſtimatiua ex eo, quod quamplures apti ſunt ad imaginandum; & non ad recte iudicandum; vt dormientibus libera eſt imaginatio: at iudicium, in quo conſiſtit exiſtimatio, nequaquam.

Præhabitæ poſitiones improbantur, & illarum fundamenta ſoluuntur. Ca. III.

Impugnatio prima opinionis. *Ratio 1.* QVamcunque ex præallatis ſententijs haud leuis impugnatio refellit, vt ſpectat enim ad primam, quod vnicus tantum in animali ſit ſenſus internus, aduerſam habet rationem deſumptam ex varietate munerum varijs internis ſenſibus competentium; eſt enim inter eos qui actiuum in ſenſibilibus habet officium iudicando, componendo, ac diuidendo; & qui paſſiuum tantum opus exibet, ſpecies ſcilicet ſeruando; ex quo multiplicitas ipſorum ſenſuum neceſſaria ſuadetur. 2. Adduntq; alij phantaſiam moueri ex ſenſu communi: vnde cum nequeat eadem facultas eſſe mouens, & mota; proinde inter hos duos ſenſus eſt neceſſaria diſtinctio. 3. Inſuper quoniam diſtinctæ videntur duæ facultates, quarum dum vna impeditur, altera viget: vnde quia dum ſenſus communis ex ſomno opprimitur, tunc phantaſiæ opus non impeditur; videntur propterea illæ facultates eſſe diſtinctæ. 4. Præterea varietas operum illorum, vnde ipſorum diſtinctio ſuadetur, in eo conſiſtit, quod ſenſus communis valet tantum in obiectum præſens; & alij etiam circa ipſum abſens operantur. 5. Quod itidem colligitur ex varietate inſtrumentorum, ac temperamentorum, quę a diſtinctis ipſis internis ſenſibus requiruntur. 6. Adhuc quoniam non ſunt idem facultates adinuicem (ſaltem ſecundum actionem) ſeparabiles: at deeſt memoria quibuſdam animalibus, quibus perfecte competit ſenſus communis: patiturq; ſępe læſione memoria abſque eo quod iniuria inferatur phantaſiæ: & aliqui reperiuntur homines, quibus viget memoria, ſed imaginatiua torpet, vel è contra: quare videntur facultates diſtinctæ. Ac ideo Philoſophus eas varias reputat, diſtinctimq; conſiderat: vnde in tertio de Anima context. 41. inquit Phantaſiam per eſſentiam ab alijs eſſe diſtinctam.

Solut. 1. fundamenti. Nec aliquid cogunt illius aſſertionis fundamenta; quo ad primum enim, quamuis obiecta omnium ſenſuum internorum; quinnimo etiam externorum quo ad prędicationem conueniant in vniuerſali genere ſenſibilium; ſubſunt tamen illi rationi genera ſenſibilium ſubalterna propria, & adæquata particularibus facultatibus, ex quibus ipſarum facultatum diſtinctio, ac multiplicitas pendet. *Solutio 2.* Quoad ſecundum pariter nil refert quod omnium internorum ſenſuum vnicum ſit organum fundamentale, & commune; nam cum illud ita etiam ſe habeat ad quaſcunque, ſeu ſcilicet internas, ſeu externas cuiuſuis animæ facultates; ſequeretur vniuerſas facultates eſſe tantum vnam; ex proximis enim organis, inſtrumentis, temperamentis, atque officijs illorum diſtinctio procedit. *Solutio 3.* Tertij argumenti falſum videtur aſſumptum, cum enim varia ſint officia iudicandi, recipiendi, & ſeruandi, ac recolendi, quę internis ſenſibus competunt, inde neceſſaria videtur illorum diſtinctio: & præſertim cum officium phantaſiæ ſit vt moueatur a ſenſu communi: inde videtur eam non valere ad vtrunque officium; adeo vt ſimul ſit mouens, & mota. Præterquam quod cum organa, inſtrumenta, ac temperamenta phantaſiæ diuerſa ſint ab his, quę alijs internis ſenſibus competunt; vt liquido ex eo comperitur, quod læſis perſæpe illis nullam iniuriam patitur phantaſia: nec ob deprauationem illorum, quę inſeruiunt phantaſiæ, alij proinde ſenſus deficiunt: certum inde redditur phantaſiam non valere ad opera illorum ſenſuum; quippe cum quibus in organis, inſtrumentis, ac temperamentis non communicant. *Solutio 4.* Ad quartum reſpondetur quod in citatis his textibus pro ſenſu in actu, ex quo procedit motus phantaſiæ, intelligitur

Digitized by Google

gitur ab Ariſtotele ſenſus communis ſimul cum externis: vnde talis definitio non eſt adæquabilis ſenſui communi per ſe ſumpto, qui ſiquidem non poteſt eſſe motus a ſeipſo. Ac quo ad poſtremum argumentum dicitur in libro de Memoria, & Re- *Solutio 5.* miniſc. quod paſſiones communis ſenſus ſunt memorari, & imaginari, non quia realiter ſint illius paſſiones, ſed ob neceſſariam dependentiam, quam habent ab ipſo ſenſu communi, cuius eſſe, & actionem in eorum actionibus præſupponunt, adeo vt ſine ipſo operari non poſſent.

Secunda etiam opinio duas tantum internas facultates ſenſitiuas admittens ir- *Impugnat. 2.* rationabilis videtur, aduerſatur enim primo Ariſtoteli, qui maiorem numerum in- *opinionis.* ternorum ſenſuum memorat, ac declarat: Idq; potiſſimum innuit in 149. contextu *Ratio 1.* ſecundi de Anima in cuius poſtremis verbis quaſi ſigillo adnotat, ſe iam egiſſe de ſenſu communi, ſtatim in ſubſequentibus ad explicationem imaginatiuæ tranſiens: quo quidem diſtincto ſermone aperte denotat ipſam imaginatiuam, ſeu phantaſiã eſſe a communi ſenſu diſtinctam; nec conſonat huic opinioni redigendi phantaſiam ad ſenſum communem. Et quod non idem cũ ſenſu communi ſit phantaſia patet ex *2.* diuerſa huiuſmodi facultatum conditione; Phantaſiæ enim operatio eſt in noſtra libera poteſtate, quod non eſt de operatione ſenſus communis; vnde dormientis, in quo torpet ſenſus communis, phantaſia eſt libera: Quæ quidem dicitur attingi ex ratione, quæ non attingit ſenſum communem; qui a Philoſopho attribuitur vnicuique animali, vt non facit de Phantaſia, quæ vt perfectioribus animalibus competens, propterea dici ſolet intellectus brutorum; quæ ſiquidem per talem facultatem multa admirabilia moliuntur: Quiaue maiorem abſtractionem habet quam ſenſus communis. Inſuper quia ſenſus ipſe communis magis quam phantaſia ad- *3.* nexus eſt externis ſenſibus, ad quos ſe habet veluti centrum, adeo vt illius actio ſit tanquam terminus, & complementum ſenſationis ipſorum ſenſuum externorum: vnde eſt quod vnà cum illis non niſi in preſens obiectum agere valet; vt itaque ſi non dicitur idem cum ſenſibus externis, longe minus ita ſe habeat cum phantaſia: Addunt quod cum phantaſia moueatur a ſenſu communi, tollitur exinde omnis il- *4.* lorum identitas, cum nequeat idem ſeipſum mouere. Et demum delinquere vide- *5.* tur talis poſitio in eo, quod pro altero ex duobus internis ſenſibus aſtruit cogitatiuam facultatem; de qua Ariſtoteles inter ſenſus internos nullam mentionem inſerit.

Nec vim habent illius opinionis fundamenta; præſertim primum, quod quamuis *Sol. 1. Fundamenti.* bene concludat quecunque opera ſenſuum internorum ſub rationem iudicandi, ac conſeruandi, tanquam ſub genera communia, non exinde tamen tollit quod ob ampliorem numerum operationum diſtinctorum generum ſubalternorum, quæ ipſis internis ſenſibus competunt, non plures quam duo ſint ipſi ſenſus interni illis actionibus adæquati. Pariter & temperamenta illis facultatibus inſeruientia ſunt *Solutio 2.* quidem duo in genere, que tamen per differentias ſecundum ſpecies ſubalternas adæquantur maiori numero facultatum. Ita etiam quamuis duo ſint ſinus in cere- *Solutio 3.* bro; illi tamen habent magnitudinem includuntq; ſpatium, in cuius diſtinctis partibus intercipiuntur ſpiritus varij, diſtinctis temperamentis anexi, qui ſunt propria inſtrumenta, ac fundamenta, ex quibus actio, diſtinctioq; talium facultatum dependet.

Tertia etiam ſententia, quæ quadruplicem internorum ſenſuum numerum inſti- *Impugnat. 3.* tuit, a ratione, atque ab Ariſtotele aliena videtur; facultas enim, ſeu vis cogitan- *Opinionis.* di, quæ Græce Dianoetica dicitur, non eſt virtus ſenſus, ſed intellectus: & hanc *Ratio* Auerroes reponit inter quatuor ſenſus internos, quamuis Ariſtoteles de ipſa nunquam hoc dixerit: Nec recte Auerroes in ſecundo de Anima comm. 6. inquit id feciſſe Ariſtotelem in libro de ſenſu, & ſenſilibus; cum ibi Philoſophus non niſi de ſenſu communi, & phantaſia locutus fuerit: Nec recte defenſores: Auerrois inquiunt eum ſub nomine libri prædicti ſignificaſſe Opuſculum de Memoria, & reminiſc. in quo id Philoſophus habuerit: Etiam enim in illo opere id non apparet;

Digitized by Google

vbi docet ſolummodo Reminiſcentiam non competere niſi vtentibus ratione, ac proinde ſolis hominibus mente preditis: Nec pariter tuta eſt euaſio quædam Auerroiſtarum dicentium quod facultas hec cogitatiua non aliud eſt quam exceſſus quidam, quo phantaſia hominis ſuperat in perfectione phantaſiam brutorum: Si enim cogitatiua non aliud eſſet quam phantaſia perfectior, adeo vt non diſtingueretur a phantaſia; ſequeretur tres tantum eſſe ſenſus internos ſecundum Auerroem; qui tamen expreſſe eos quatuor eſſe determinauit, quatuor eis diſtinctas ſedes, ac munera aſſignans: Ac inſuper quia tum ipſe Commentator, tum D. Thomas cogitatiuæ potentiæ hominis putarunt in brutis reſpondere, non phantaſiam, ſed exiſtimatiuam; vnde ſecundum ipſos eſt ſenſus a phantaſia omnino diſtinctus.

Solut.1.Fundamenti. Fundamenta etiam talis opinionis facile ſoluuntur: Quo ad primum enim, ſi conformari velimus Ariſtoteli, qui nullam poſuit facultatem inter phantaſiam, & mentem; ſed paſſim ex ipſa phantaſia offeri menti phantaſmata profert: quinnimo in 56. ac 57. textibus tertij de Anima principium motiuum animalis attribuit imaginationi, ac concupiſcentię; ſcilicet phantaſiæ, & appetitui: dicere propterea tenemur, procedere appetitum, ac motum animalis ex phantaſia; non quidem per primam illius actionem, quæ eſt ſimplex rei ſenſibilis appręhenſio; ſed per actionem ſubſequentem, per quam iudicat rem vt expetibilem, gratamue, aut effugiendam, ſeu moleſtam: ad quem ſenſum loqui videtur Ariſtoteles dum in 28. textu tertij de Anima ait: Sentire igitur ſimile eſt ipſi dicere ſolum, & intelligere; cum vero iucundum aut moleſtum vt affirmans, aut negans proſequitur, aut fugit: quibus verbis indicare videtur: eidem facultati competere ſimplicem appræhenſionem obiecti, affirmationemq; aut negationem, quę vtile, vel infeſtum decernunt. Et in poſtremo tex. ſecundi de Anima habetur quod animalia intellectu carentia, ac etiam homines, quibus intellectus, paſſione, ægritudine, aut ſomno obrutus ſit, multa per imaginationem, ſcilicet per phantaſiam operantur: vnde patet quid dicendum ſit de textu illo 154. in quo loquitur Philoſophus de primaria tantum operatione phantaſiæ, prætermiſſa ſubnotione illa, per quam eadem facultas amicitiam, aut inimicitiam obiecti iudicat. Pariter & confirmationi reſpondetur, motum miſerationis; vel triſtitiæ, non immediate ſequi primam illam actionem phantaſiæ; at apte conſequi eiuſdem facultatis poſteriorem operationem; quæ etiam ſecunda operatio, vt vigentior, & actiuior valet ad opus exiſtimationis ſuplendum.

Solutio 2. Ac exinde prout ſpectat ad ſecundum argumentum principale reſpondetur quod in illo tex. 153. recte dictum eſt non fieri exiſtimationem ſine phantaſia, cum hec ſit vna ex actionibus ipſius phantaſiæ; non autem inde neceſſitas diſtinctæ facultatis colligitur.

Solutio 3. Conſimiliter & ad tertium dicendum eſt illo textu 57. tertij de Anima denotari non quidem duplicem potentiam; ſed duplicem ſtatum eiuſdem phantaſiæ, quæ ſcilicet vel formatur, & dirigitur ex ratione, vt in homine, in quo cohærret intellectui, vel ducitur ex ſola vi ſenſitiua, & ex obiecto ſenſibili: quæ non ſunt potentiæ diſtinctæ, ſed eadem alio, vel alio modo ſe habens.

Impugnat.4. opinionis. Nec quarta opinio quinque ſenſus internos conſtituens ſuſtinenda videtur; eo præſertim quia duas inſtituit memorias, alteram ſcilicet ſpecierum ſenſibilium; & alteram ſpecierum non ſenſibilium, nimirum intentionum; quarum hec ſecunda

Ratio 1. ſuperflua, ac inanis videtur, cum nequeat ſenſus appręhendere intentionem ſeiunctam a ſpecie ſenſata, de qua tantummodo poteſt habere ſubnotionem quandam, concipiendo ſcilicet tale obiectum vt vtile, vel nocens: vnde & memoria ſeruat præcipue ſpecies ſenſatas; ſecundario autem, & per conſecutionem ſubnotiones

2. conſeruat. Inſuper quoniam ſolus intellectus eſt aptus concipere intentiones illas amicitiæ, vel hoſtilitatis ſeparatas ab ipſis rebus ſenſibilibus talium intentionum ſubiectis: vnde non recte talem ſubnotionem a principali ratione ſeparatam ſenſi-

3. bus aſcribunt. Præterea cum imaginari non aliud ſit quam formas ſenſatas concipere, iudicare, acruminare; propterea non merito ei tantum officium conſeruandi attribui-

attribuitur. Et denique non recte diſtinctas facit Auicennas phantaſiam, & facultatem imaginatiuam, cum illa ſint quidem duo nomina; ſed quorum huius latine, ac illius græce, eadem eſt ſignificatio.

Et huiuſmodi poſitionis leue fuit fundamentum; nam variæ illæ operationes non ſunt diſtinctæ rationis taliter, vt pro vnaquaque diſtincta facultas requiratur; ſed quarum plures (vt in ſequenti capite conſiderabitur) valent ab eadem facultate prodire: præſertim operationes concipiendi ſpecies, ac ipſas iudicandi, iuxta id quod habetur in 28. contextu tertij de Anima, eiuſdem ſcilicet facultatis eſſe percipere obiectum ſimpliciter, ac noſcere ipſum eſſe iucundum, vel moleſtum, quamuis tamen id fiat prius, & hoc poſterius: ac ideo ſi ipſa imaginatiua facultas ſit praue diſpoſita, vt etiam eſt in oppreſſis ex ſomno: illi apti ſunt primo officio, ſed non ſecundo: quamuis plerunque ad vtrunque ſint imbeciles. *Solutio fundamenti.*

Rectior in propoſita re ſententia adducitur, & comprobatur. *Cap. IIII.*

TVtior in re propoſita videtur Græcorum ſententia ternarium numerum ſenſuum internorum inſtituens, quæ fuit Themiſtij, Aphrodiſienſis, Simplicij, Io. Gramatici, Theophraſti, & aliorum nedum qui antiquitus, ſed qui recenti tempore ſcripſerunt: quod quidem maxime conſentire videtur cum Ariſtotele, cui frequenter de internis ſenſibus locutus, nunquam eius ſermonem ad numerum ampliorem extendit; in ſecundo enim de Anima communem ſenſum; & Phantaſiam explicauit: in libro de Senſu & Senſilib. vberiorem ſermonem de ſenſu communi repetiuit: ac in libro de Memoria, & Reminiſc. de interno ſenſu conſeruatiuo tractauit: nec præter illos tres ſenſus, ſcilicet ſenſum communem, phantaſiam, & memoriam: alium memorat; Et iure quidem, nam ſi ſuper illos ampliandus eſſet numerus, hoc eſſet quia apponenda eſſet eis vel facultas imaginatiua a phantaſia diſtincta, vel cogitatiua, aut exiſtimatiua, ſeu alia virtus conſeruatiua a memoria diuerſa: Non primum quoniam (vt dictum adhuc eſt) imaginatiua, ac phantaſia ſunt quidem variæ voces in diſtincto idiomate; ſed quarum eadem eſt ſignificatio: non cogitatiua, vel exiſtimatiua; nam quæ his aſcribuntur officia imperfecto modo, & vt ad animal ſpectat; ſatis exibet phantaſia; cui competunt ſubnotiones: perfectiori autem modo non habentur niſi per rationem; vnde ſpectant ad intellectum: Nec credibilis eſt duplex facultas conſeruans; tum ad euiandam rerum ſuperfluitatem: tum etiam quia haud recte dicunt, requiri vnam facultatem ſeruantem pro ſpeciebus ſenſibilibus, & alteram pro nõ ſenſatis; etenim, ipſis etiam cõfitentibus, valet eadem facultas, ex ſpeciebus ſenſatis non ſenſatas educere, & illas varie connectere, atque componere. Inſuper quoniam vis eadem in actu reminiſcentiæ obeundo frequenter ex obiectis ſenſibilibus ad inſenſata procedit, ac econuerſo, quod ægrefaceret niſi vtrumque ſpecierum genus in ſe contineret: Et arguitur quoniam eidem facultati competit cõcluſio, ac principium, ſeu diſcurſſus ad illam: vnde cum reminiſci ſit diſcurſſus quidam terminans ad memoriam, ſequitur exinde quod reminiſcentiæ vis non diſtinguatur à memoria, de qua non eſt mirum ſi in homine ob coniunctionem cum ſublimi virtute Mentis, vnde vocatur reminiſcentia, apta ſit nobilioribus operationibus, quam dum eſt in brutis à ratione deſtituta. *Tres ſunt ſenſus interni.* *Ratio 1.* *Non eſt duplex facultas conſeruãs in ſenſibus internis.*

In prædictis verò tribus optimè diſtribuũtur munera ad ſenſus internos ſpectãtia: ſenſus enim communis in obiectum tantummodo præſens verſatur, phãtaſia in præſens, & in non præſens: Memoria verò ſolum in abſentia: ſenſus communis, cum ſit terminus, ac centrum in quod deſinunt actiones ſenſuum externorum, ita internæ ſenſationis eſt principium: Phantaſia eſt veluti, medium, cum vlterius in cognoſcendo progrediatur: Memoria ſpecies ſenſibiles recipiens, & conſeruans eſt finis. Et præterea ſenſus communis cohærret ex vna parte actioni ſenſuum externorum, *Ratio 2.*

quo-

Digitized by Google

quorum eſt terminus, & abſolutio; & ex alia parte immediate iungitur phantaſiæ, cuius actionis eſt proxima origo: phantaſia percipit ſpecies, quas ſenſus communis concipit, format ſubnotiones, vt iucundi, aut moleſti, ex quibus appetitus excitatur; vnde principium motus extat: ex quo iure dicitur intellectus brutorum, ac ſimul cum memoria ſuggerit obiectum intellectui: ipſaq; memoria eſt quorumcunque iudiciorum ſenſuum ſeruatrix.

An reminiſcētia ſit a memoria diſtincta. Obſtat nobis opinio quod reminiſcentia ſit facultas a memoria diſtincta inde fulta, primo quia non videntur eædem potentiæ, quibus diuerſæ ſint operationes: vnde quoniam operatio memoriæ eſt obiectum ſeruare ſub ratione præteriti; *Argumētum pro affirmatione* 1. operatio vero reminiſcentię eſt inquiſitio eiuſdem cum a memoria exciderit ſecundum ſeipſum: propterea illæ facultates videntur diuerſæ. Inſuper ex diſtinctione ſubiectorum; reminiſcentia namque homini tantum, ac memoria brutis ineſt. Quiaue ſi eſſent idem, ſequeretur quod habens perfectionem in vna, pariter ſe haberet &
2. quoad alteram; quod tamen non eſt; nam vt docet Philoſophus in initio libri de
3. Memoria & reminiſc. dantur valde memoratiui, vt illi, qui ſunt tardi, qui tamen imbecilles ſunt in vſu reminiſcentiæ, quæ viget præcipue in his, qui ſunt veloces &
Euerſio. dociles: Oppoſita autem veritas ex proxime habitis eſt conſpicua, comprobatumq; manet: in homine duas ſubordinatas actiones eiuſdem facultatis eſſe memoriam, ac reminiſcentiam; memoria enim abſque rationis auxilio res ſenſu cognitas imperfectius conſeruat; at reminiſcentia rationis ope res eaſdem, cum fuerint oblitæ inue-
Solutio 1. ſtigat, ac illarum reminiſcitur: Vnde ad primum fundamentum aduerſum reſpondemus quod ambę illæ operationes pertinent ad eandem facultatem; nec aliter differunt niſi vt diſcurrere, & cognoſcere: Ad ſecundum dicimus in homine ac in
2. brutis non diſtingui tales facultates eſſentialiter, ſed tantum ratione perfectioris conditionis memorię quatenus eſt in homine, in quo compagem habet rationem, ac
3. imperfectioris, vt ſe habet in brutis, in quibus eſt a ratione diſſociata. Et ad tertium dicimus illam diuerſitatem eo procedere, quia quamuis pertineat ad eandem facultatem ſunt tamen diuerſæ actiones, quæ diſtincta exigunt temperamenta, quorum vnum magis in hoc, quam in alio homine reperitur.

Dubitatio. Sed dubitatio adhuc eſt quoniam cum Ariſtoteles in lib. de Anima de cæteris
Solutio potentijs animæ diſſeruerit, de ipſa tantum Memoria, ſeu de reminiſcentia nullam mentionem habuit. Cui reſpondetur quod cum de illis in opere de Memoria & reminiſc. inſerto inter Parua naturalia, que ſunt veluti pars, ac complementum librorum de Anima exacte Philoſophus eſſet diſſeriturus; iure propterea reticuit illarum tractationem in primis libris de Anima. Et alij inquiunt cauſam, cur Ariſtoteles in lib. de Anima particularem illius facultatis tractationem prætermiſerit; fuiſſe quia reputauit memoriam potentiam non abſolute a phantaſia diſtinctam; ſed eſſe veluti paſſionem, munus, & habitum ipſius phantſiæ, quę ita vocatur quatenus
Inſtantia. imaginatur, & iudicat; quatenus vero imaginata conſeruat, dicitur memoria. Et cum obijcitur quoniam conſimiliter etiam ſe habet vis motiua ad phantaſiam, a qua non eſt facultas omnino diſtincta, ſed diſtinctum tantum eius officium; & nihilominus de ea Ariſtoteles in libris de Anima particularem habuit tractationem.
Solutio. Occurunt dicentes diſparem eſſe conditionem potentiæ motiuæ ac memoriæ; facultas enim localiter mouens conſtituit alium gradum animalium: vnde vt refert 19. contextus primi de Anima. 150. libri ſecundi, ac 40. tertij diuidebant antiqui animam in cognoſcentem, & mouentem, quæ diuiſio habebatur per iudicare, & ſeruare; eidemq; communiter approbatæ diuiſioni animæ in cognoſcientem, & agentem inſeruire debet tractatio de attinentibus ad principia actionis, & motus: Quiaue motiua facultas iunctam habet appetitiuam, de qua in his libris agendum fuit.

Digitized by Google

Quodnam ſit obiectum ſenſuum internorum determinatur.
Cap. V.

QVoniam ex ratione obiecti pendet cognitio facultatum; expedit ideo hoc de internis ſenſibus explicare; ad quod prius quam deueniatur, *Quæſitum.* ſatisfaciendum eſt quæſito an talium ſenſuum obiectum ſit ipſa res ſenſibilis, vel illius ſpecies, quod dubium redditur ex eo, quod duos ex internis ſenſibus, phantaſiam ſcilicet, & memoriam ſpecies tantum attingunt; non autem res ſenſibiles: quiaue concipere valet imaginatio ea etiam, que non ſunt. Cui dicendum eſt obiectum principale, per ſe ab his facul- *Satisfactio.* tatibus perceptum, &, vt quod, eſſe res ipſas ſenſibiles: ſpecies vero, quæ ſolum vt imago rei ſenſibilis per ſe a ſenſibus iudicatur, eſt obiectum illorum, vt quo; illa vero, quæ cadunt ſub imaginatione, & non habent eſſe reale abſolutum, & totale, habent tamen ſecundum partes, vt montis aurei partes, ſcilicet mons, & aureum, ſunt realiter in natura; nec ipſarum aliud quam compoſitionem præbet imaginatio: Vnde non licet obijcere quod nil valet attingere ſenſus internos quin *Inſtantia.* præfuerit in externis, in quibus mons aureus nunquam extitit; Satis enim eſt quod *Solutio* id fuerit in externis ſenſibus ſecundum ſuas partes, quamuis non ſimul, diuiſas ſaltem; & quamuis non ſecundum ſuum eſſe formale; ſaltem per aliquod illius repræſentatiuum. Nec etiam obijciatur quia cadunt ſub imaginatione illa etiam, *Inſtantia.* quæ nullo modo fuerunt in externis ſenſibus, vt infinitum, vacuum, & priuationes. Reſpondetur enim talia omnimode cognoſci per illa, quæ fuerunt in externis *Solutio* ſenſibus, ſcilicet per actus illos, quorum vt negationes concipiuntur.

Obiectum itaque talium ſenſuum cum ſecundum triplicem rationem quæri poſ- *Obiectum tri* ſit; vel ſcilicet vniuerſaliter, ſed pro eo tantum, quod per ſe valet internos ſenſus *plex.* mouere, & ab eis iudicari: quod quidem eſt ens quodcũque ſenſibile, ſeu proprium, *Obiectum cõ-* ſeu commune, ſeu præſens, ſeu abſens, ſecundum rationem ſingularem; quæ qui- *mune, & per* dem poſterior conditio diſtinguit vim huiuſmodi facultatum ab intellectiua, quæ *ſe mouens.* in vniuerſalium etiam cogitationem ſe extendit. Nec aliquis obijciat contextum *Obiectio.* vltimum operis Poſteriorum, in quo habetur ſenſum eſſe vniuerſalium, ac ſentire ſingularium. Reſpondebitur enim, non inde colligi quod ſenſus iudicet vniuerſa- *Solutio* le actu, ſeu quatenus vniuerſale eſt; ſed ideo ita locutum eſſe Philoſophum quia quemadmodum ad ſentire, quod ſignificat vnum tantum actum ſingularem, vnicum numero ſpectat obiectum, ita ſenſui, qui ſignificat aggregatum ex omnibus facultatibus ſenſitiuis aptis ad innumeres ſenſationes, reſpondent vt obiectum plurima ſenſibilia, que virtualiter, ſeu poteſtate continent ipſum vniuerſale. Per hoc quod dicitur huiuſmodi obiectum eſſe ſenſibile; proprius attingitur ratio ipſius per differentiam ab obiecto intellectus, nil enim ſenſu percipitur, quin ſit per ſe ſenſibile, vel ſaltem alicui ſenſibili iunctum; vnde eſt quod ſi quis phantaſia concipere velit Angelum, ipſum in ſimilitudinem hominis, & cum magnitudine imaginatur. Nec aliquid refert quod Auerroes in ſecundo de Anima context. 63. dixerit *Auerrois di-* ſenſum hominis percipere intentionem cunctorum decem Prædicamentorum, il- *ctum repro-* lamq; ſecernere a ſingulis, ſeu communibus, ſeu proprijs ſenſibilibus ei coniunctis. *batur.* Hoc enim libere eſt negandum Auerroi, cum nequeat potentia aliqua cognoſcitiua per ſe aliquid percipere quod non includat conditionem obiecti eam mouentis, qualis eſt ad ſenſum ratio ipſius accidentis ſenſibilis; vnde habetur in ſecundo de Anima quod ſubſtantia eſt ſenſibilis per accidens, ſcilicet per ſpecies propriorum *Obiectio.* accidentium. Recte adhuc dictum fuit tale obiectum compræhendere omnia ſenſibilia: Nec obſtat quod in ſecundo de Anima cap. de tactu ſtatutum ſit vnam potentiam eſſe vnius tantum generis ſenſibilium: vniuſq; tantum oppoſitionis. Id *Solutio* enim dictum illuc eſt de ſenſibus externis, qui cum proxime moueantur ab obiectis, & ob id inſtrumenta requirant tali oppoſitioni ei obiectę adæquata; propterea ne-

quent

quent magis quàm in vnicum genus ſenſibilium; quæ quidem cum fuerint ex eſſe materiato ad ſpiritualem ſpeciem redacta, tunc in eorum facultate cognoſcente non amplius requirunt diſtinctas illas diſpoſitiones inſtrumentorum; ſed tantum ſpiritus quoſdam communes; vnde recte poſſunt a quocunque ex internis ſenſibus percipi. Nec inſtetur quod ſuperfluum ſit idem obiectum iudicari a diſtinctis facultatibus: Reſpondebitur enim idem obiectum adæquari diſtinctis facultatibus per varias illius rationes: Ac inſuper quia inter cognoſcitiuas potentias ſubordinatas ſemper valet vlterior in id, in quo valet prior aliquid ei ſuperaddendo; per quam additionem contrahitur obiectum id ad talem rationem, per quam vlteriori illi potentiæ adæquetur. Et denique dictum fuit internos ſenſus cognoſcere ſenſibilia nedum propria, ſed etiam communia: & hoc rationabiliter primo ex dictu Ariſtotelis in ſecundo de Anima contex. 134. aſſerentis quod communium ſenſibilium habemus ſenſum communem: communis enim ſenſus valet exacte quecunque iudicare; ad quod non valent ſenſus proprij, quales ſunt externi, in quorum comparatione interni ſe habent vt ſenſus communes. Et inſuper quoniam phantaſiæ eſt ſeiungere per imaginationem motum, figuram, magnitudinem, & alia huiuſmodi ſenſibilia communia a ſenſibilibus proprijs, ad quod exteriores ſenſus non valent.

Inſtantia.
Solutio.

Obiectum cõmune quocũque modo mouens:

Si vero quæratur de obiecto in vniuerſali, ſcilicet omnibus his ſenſibus communi, aptoue ab eis quocunque modo cognoſci: hoc comprændit omnia ſenſibilia ſingularia, ſeu propria, ſeu communia, pręſentia, ac etiam abſentia, tam exiſtentia in natura, quàm non, que vel in ſeipſis vel iunctam ſibi habeant imaginem aliquàm materialem, quales ſunt res ipſæ ſenſibiles, illarumq; ſubnotiones.

Si quæratur autem obiectum proprium cuiuslibet ex internis ſenſibus, quoniam ipſi hoc habent materialiter idem, ſed tantum ratione diſtinctum: propterea eſt id quod iam dictum eſt, quod vt pręſens & abſque ſubnotionibus percipitur a ſenſu communi; ac tum præſens, tum abſens, & cum illius ſubnotionibus percipitur a phantaſia: vt præteritum autem ſeruatur in memoria, quę in hominibus inſeruit reminiſcentiæ, & rationi recolentibus ſpecies præteritorum tanquam præſentium.

Quodnam ſit proprium cuiuſque interni ſenſus officium. Cap. VI.

Senſus communis officia.

QVoniam potiſſimum explicandæ rei medium eſt actio propria, quæ vt cuilibet enti, ita & quinque internis ſenſibus competit: hec propterea eſt in pręſenti aſſignanda, & primo de ſenſu communi: cuius triplex eſt, primo ſcilicet vt veluti medium collocatus inter ſenſus externos, eorumq; tanquàm centrum exiſtens, cunctas illarum ſenſationes terminet, ac perficiat: ſecunda eſt vt primus inter facultates internas appræhendat, ac iudicet ſenſibilia communia ignota ſenſibus externis: quod quidem officium ab Ariſtotele in præcitato context 134. ſecundi de Anima attribuitur ſenſui communi ſignificando eo nomine non hunc tantum, ſed ſingulos ſenſus internos, qui vt valent in omnia obiecta ſenſuum externorum, ſenſus communes nuncupari merentur: Et tertia eſt conſtruere ſpecies, quæ ex notionibus, ſeu ex actibus ſenſationis reſultant, eaſq; ſubminiſtrare phantaſiæ aptæ nedum ipſas iudicare; ſed etiam ex illis ſubnotiones ellicere.

Opinio quorundam.

Aliqui pro quarta operatione talis ſenſus addunt quod per ipſum cognoſcat animal actualitatem ſuæ ſenſationis; quod ſcilicet comperiat ſe ſentire: fundamentum excipientes ex libro de Somno & Vigilia, vbi habetur quod: Eſt quædam communis potentia ſequens omnes, qua animal, & quod videt, & audit, ſentit; non enim viſu quidem videt, quod videt &c. Et obijcientibus textum 136. ſecundi de Anima, in quo Philoſophus quæſitum hoc proponens determinare videtur, ipſi

primo,

Digitized by Google

primo, ſcilicet externo ſenſui talem actionem competere. Reſpondent huiuſmodi actionem competere externo ſenſui, non ſeorſum, ſed quatenus iuncto ſenſui communi. Nobis autem nullatenus id probatur: primo quia cognoſcere actualitatem ſuæmet ſenſationis eſt ſubnotio quædam abſtrata a ſenſibilibus: ac ideo non adæquata ſenſui communi; ſed quæ potius eſſet attribuenda phantaſiæ: cuius etiam vires excedere videtur actio huiuſmodi, quippe cum cognoſcentis virtutis circumflexionem quandam expoſcat, quæ propria eſt intellectus; cui propterea videtur hec actio competere: ſenſibus vero tum externis, tum internis eo tantum quatenus iunctis, ac roboratis ex facultate intellectiua, ex qua reflexa hec plurium cognoſcentium virium actio aptiſſime cauſari poteſt: cum quo ſenſu congruere videtur dictum Ariſtotelis in tertio de Anima tex. 51. quod ſcilicet intellectus eſt rectus, & imaginatiua eſt recta, ac non recta: nimirum cum intellectu, ac ſine intellectu: quod dictum ſit pro diluendo fundamento illo ex de Somno, & Vigilia deſumpto. *Euerſio.*

Imaginatiuæ vero facultatis, ſcilicet phantaſiæ, multiplicia ſunt munera; quorum primum eſt recipere ſpecies a ſenſu communi, & prima inter potentias cognoſcentes abſens etiam obiectum iudicare: adhuc formare ſubnotiones ex ipſa re ſenſibili, conceptum amicitiæ; vel inimicitiæ elliciendo; ipſaſq; res cognitas componere, ac diuidere; Ac inſuper appetitum excitare, ac cum eo motum animalis dirigere, ſimulq; cum inſtinctu naturali multas admirandas operationes animales cauſare, vt quod hirundo nidificet, quod formica granum congreget, apis mel conſtruat, & araneus tellam conficiat: Quinetiam agere in ſomno ſua phantaſmata agitando. Præterea proxime miniſtrare intellectui ſpecies ei offerendo, ab ipſoq; dirigi, ac diſponi, vt ſecundum illius præſcriptum operetur. *Phantaſię officia.*

Ex quibus actionibus Phantaſiæ, quæ quarto loco ei aſcripta fuit in dubium vertitur; componere namque, ſeu ſpecies, aut intentiones inter ſe, ſeu intentiones cum ſpeciebus, videtur officium intellectus; vt protulerunt in tertio de Anima Simplicius ſuper contextum 39, Philoponus ſuper 31. ac Themiſtius ſuper 21. ac 22. inixi verbis Ariſtotelis, qui in tertio de Anima contex. 21. inquit, id quod vnum facit, nimirum quod componit eſſe intellectum, ac in textu 39. ait imaginationem aliud eſſe a dictione, & negatione; quoniam verum aut falſum eſt complexio intellectionum. Oppoſitum autem docet experientia; cum ſcilicet phantaſia ſit cauſa multarum admirabilium operationum animalium, quæ ſine compoſitione, & diuiſione fieri non poſſent: cōperiatq; omnis homo, ſe per phantaſiam varias imagines componere. Vnde ad tollendam dificultatem adnotandum eſt quod ſi quęratur de compoſitione ſingularium cum conſtitutione vniuerſalis, hec proculdubio competit tantum intellectui: ſic etiam compoſitio rei cum tempore diſtincte noto, non competit niſi intellectui; quamuis tempus confuſe ſumptum, & coniunctum motui & mobili cognoſcat etiam phantaſia, per quam hirundines noſcunt tempus transmigrandi, & canes ſciunt horam, qua dominus epuletur: vel quęritur de compoſitione rei cum alia re ſingulari, ſeu notionis eius cum ſubnotione, ad quam optime valet phantaſia, vt ipſa experientia depræhenditur. *Dubitatio.* *Solutio*

Inſuper eſt dificultas circa ſextum ex aſſignatis officijs; nam quamuis actiones illæ animalium admiratione dignę ab Ariſtotele in ſecundo de Anima tex. vltimo, ipſi imaginatiuæ attribuantur; ipſemet tamen in ſecundo Phiſicorum 80. aſcribit hoc naturæ, inferens exinde quod ipſa natura propter finem operetur. Cui reſpondetur nullam in hoc eſſe contraditionem; nam veluti anima, ſic & phantaſia tanquam forma materialis eſt natura; vt iure quod ipſa facit, a natura factum dicatur. Adde quod ſi etiam natura ſumatur ibi (vt reuera fieri videtur) vt contradiſtincta a phantaſia, non inde tamen ſequitur ex eo quod in illis operibus natura concurrit vt cauſa vniuerſalis qui in agat & phantaſia tanquam cauſa propria, quemadmodum ex concurſſu ſolis non tollitur quod etiam homo hominem generet: Vel dicamus naturam, ſeu inſtinctum naturalem in his operationibus agere tanquam dirigentem; *Dubitatio.* *Solutio.*

tem;

Digitized by Google

tem; phantaſiam vero vt cauſam ab illo inſtinctu ductam, ſed cum aliqua cognitione obiecti, & variationibus expoſita.

Actio phantaſiæ non eſt ſine iudicio. Adnotandum autem eſt circa octauam operationem quod cum dicitur, phantaſiam miniſtrare intellectui: non eſt intelligendum cum aliquibus quod ipſa ſine aliquo ſui iudicio, ac imagiuatione offerat menti phantaſmata in ſe contenta: tunc enim fieret vt abſque præcedenti cognitione, & iudicio phantaſię intellectus phantaſmata contemplaretur, cuius impoſſibilitatem quiſquis in ſe comperit: ſequereturq; proxime miniſtrare intellectui non phantaſiam, ſed memoriam, cuius eſt phantaſmata conſeruare Inſuper dici ſolet intellectu contẽplante phantaſiam imaginari, eoquod cum phantaſia ſit ſubordinata intellectui, pariter & illius actio debet eſſe ſubordinata, ac conexa actioni intellectiuæ: Sed intelligendum eſt quod dum phantaſia inſeruit intellectui, ſimul iudicet ea phantaſmata, quę illi offert: Quod conformari videtur Ariſtotelis aſſertioni in tertio de Anima 10. quod ſcilicet ſenſitiuo iudicetur, calidum. frigidum, & carnem: & aliam facultatem (intellectiuam ſcilicet) intimiorem illius rei quiditatem perſcrutari.

An Phantaſia ratiocinetur. *Opinio affirmatiua Fũdamenta.* Prænaratis autem officijs phantaſiæ nonnulli apponunt aliud, nimirum gradum aliquem ratiocinationis ex fundamento 51. ac 57. contextibus tertij de Anima, in quo ait Philoſophus dari phantaſiam cum ratione, & ſine ratione: & adhuc in ſecundo, ac tertio de Anima attribuit illi facultati nomen intellectus: Et pariter in ſecundo Nicomachiorum attribuit rationem phantaſiæ, illiuſq; appetitui, in quo morales virtutes reponit: Et hec fuit quamplurium philoſophantium ſententia: quod enim ſingulis animantibus intellectus inſit refert Ariſtoteles in primo de *Auctores.* Anima 24. de mente Anaxagorę, quod adhuc ſuſtinuerunt Pythagoras. Plutarchus in Opuſculo quod bruta animalia ratione vtantur; Porphirius in libro de Abſtinentia ab eſu carnium, & Galenus; inſuper & Auerroes in tertio de Anima comm. 20. attribuens ſenſui hominis facultatem cogitatiuam, eam circa ſingularia ratiocinantem poſuit. Inſuper & Auicennas, Magnus Albertus, D. Thomas prima parte quæſt. 78. artic. 4. Gandauenſis quæſt. 37. ac etiam Themiſtius in Paraphraſi ſuper contextum 57. tertij de Anima: Quibus tamen nullatenus aſſentiendum videtur; expreſſe ſiquidem obſtat 57. textus tertij de Anima; in quo negat Philoſophus phantaſiæ brutorum ineſſe rationem: & iure quidem; ratiocinatio namque, proceſſuſq; facultatis cognoſcentis ex vno in aliud fit per quandam elleuationem facultatis ſuper materiam. Adhuc & eidem facultati ratiocinanti competere debent virtutes morales, & reminiſcentia; quinetiam electio, libertas, & conſultatio; quę omnia abſunt a brutis phantaſia prędìtis: Propterea definitur homo per animal rationis particeps, quæ deſcriptio alioquin brutis etiam aptaretur: Et inde eſt quod Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum 80. inquit operationes brutorum a natura, ſeu ex naturali inſtinctu procedere.

Euerſio.

Reſolutio. Pro diſcuſſione autem huiuſmodi aſſertionis, eiuſq; fundamentorum adnotandum eſt: phantaſiam conſiderari poſſe vel prout eſt in brutis, vel vt in hominibus: ex quibus primo modo eſt penitus expers ratione; agit etenim abſque aliqua cognitione finis: conformiterq;, ac immutabiliter ſuos edit effectus, nulla contingente in eius modo operandi variatione quæ ſignum det electionis, ac libertatis: vt vero eſt in hominibus conſiderari poteſt vel per ſe ipſa: & ſic pariter abeſt a quacũque rationalitate; quæ ſiquidem materialem illius conditionem excedit: vel connexionem habet in homine cum intellectu, in quo ſenſu aſſiſtentem, ac coniunctam habet rationem, a qua perficitur, dirigitur, ac roboratur; & ad quem ſenſum locutus videtur Ariſtoteles in prænaratis locis ſecundi, ac tertij de Anima, ac Secundi Moral. Nicomachiorum.

Memorię officia. Obſeruanda ſuccedunt officia Memoriæ, multa pariter: quorum primum eſt recipere, ac conſeruare ſpecies; tam ſcilicet notionum, quam ſubnotionum rerum ſenſibilium: ſecundum eſt rationis ope reminiſci, quod fit quatenus memoria continet ſpeciem alicuius connexionem habentis cum re oblita, quod phantaſia imaginatur,

& obijcit

Digitized by Google

& obijcit intellectui, qui ratiocinando obliti reminiſcentiam inducit: tertium eſt reddere hominem capacem diſciplinæ, habituum moralium, ſcientiæ, & ad deperditę cognitionis recuperationem: quartum eſt proxime inſeruire imaginatiuæ, quæ illius auxilio abſentia iudicat, & in ſomno admirabiliter operatur: Tandem medio ipſius imaginatiuę intellectui miniſtrat; proxime namque præſentat ſpecies tantummodo imaginatiuæ, ex qua proxime offeruntur intellectui.

Cum vero attribuunt ei quidam quod verſetur circa imagines vniuerſalium: intelligendum id eſt non formaliter; ſed virtualiter tantum, & facultate: quatenus ſcilicet continet ſingularia, ex quibus valet intellectus educere rationem vniuerſalem: vnde eſt quod in libro de Memoria inquit Philoſophus, eam eſſe facultatem vniuerſalium per accidens: Quemadmodum etiam ſe habere videtur ad ſubſtantiam, cuius quidem conditionem cum nequeat ab accidentibus ſeiungere; ſeruetq; ſpecies ipſorum accidentium, ſeu propriorum, ſeu communium, ex quibus ellicibilis eſt intentio rationis ſubſtantiæ, propterea iure dici poteſt eſſe facultas ſubſtantiæ. *Quomodo Memoria ſe habeat ad vniuerſalia, & ad ſubſtantiam.*

Dubitatur autem de ipſa Memoria; quoniam cum verſetur circa pręterita, in quibus includitur ratio temporis; & tempus non cognoſcatur niſi ab intellectu: propterea non videtur irrationalibus animantibus conuenire. *Dubitatio.* Cui reſpondetur phantaſiam non cognoſcere tempus ſeiunctim, & cognitione diſtincta: ipſum tamen apræhendere cognitione confuſa, quatenus ſcilicet ſimul percipit tempus motui, ac mobili, ceteriſq; accidentibus complicatum. *Solutio*

Et ſi quærat aliquis de huiuſmodi facultate memoratiua, quæ ſpecies rerum præteritarum conſeruat, an ſit ipſa anima, ſeu potentia ab anima fluens, vel corpus, aut compoſitum ex vtroque. *Quæſitum.* Reſpondebitur talem virtutem conſeruantem non conſiſtere in ſimplici anima, quoniam ſpecies ſenſibiles materialibus conditionibus inuolutæ, non ſunt proportionatæ ſubſtantiæ mere ſpirituali: Et quia requirit memoria certum quodam temperamentum, quod ſimplici animæ non conueniret. *Satisfactio.* At nec in parte tantum corporea; corpus etenim quacunque cognitione carens nullatenus aptum eſt cognitorum ſpecies ſeruare: falſoq; dictum eſſet toties ab Ariſtotele quod ſcientia ſit in anima. Sed competit hec vis compoſito viuenti, ſeu aggregato illi ex anima per intermediam potentiam, ac organo, ſeu ſpiritu ex illa actuato, vt de ſingulis actionibus ad ſentientem, atque vegetalem animam attinentibus exiſtimatur.

Quænam ſit Sedes Senſuum internorum. *Cap. VII.*

NOn parum confert dilucidæ præſentis negotij explicationi determinatio de loco, ac Sede ipſorum ſenſuum internorum, qui ab Auicenna in 1. Fen 1. doctrina 6. cap. 5. Fernelio in libro de Naturalibus facultatibus cap. 10. D. Thoma prima parte quæſt. 78. artic. 4. & Opuſculo 43. cap. 4. alijſq; pluribus reponitur intra ſpiritus, ex eo quod ſpiritus ſunt proximæ cauſæ operationum vitalium, & animalium. *Opinio Auicen. Fernel. & D. T.* Quæ tamen poſitio haud ſuſtinenda videtur; cum enim huiuſmodi facultas (vt ſuperius determinatum fuit) fundetur in compoſito animato; hoc eſſe debet in parte habente ſoliditatem, iuxta id quod vniuerſale iudicium fert de ſede ipſius animæ: qua quidem soliditate expertes ſunt ſpiritus. *Confutatio.* Debetq; illarum ſedes eſſe aliqua pars animata, quales non ſunt ſpiritus; quippe cum nec continuationem habeant cum alijs partibus viuentibus, nec per ſe nutriantur; ſed ex partibus animati compoſiti fluant; ſintq; tenuiſſimæ quædam particulæ defecati ſanguinis: vnde cum ſanguis non ſit pars animalis, vt habetur ab Ariſtotele in ſecundo de Partibus animal. cap. 10. ac ex Galeno in primo de Natura Humana, ac in ſecundo de Elementis: quiaue non poteſt animal ex ſuiſmet partibus ali; ſanguiſq; eſt vltimum alimentum animalium ſanguine pręditorum ex libro de Iuuentute & Senect. cap. 2. de Somno & Vig. cap. 4. *Spiritus & ſanguis non ſunt partes animalis.*

cap. 4. ac ſecundo de Partibus Animal. cap. 3. Ac quoniam dum ſanguis in ſubſtantiam animalis conuertitur, vel ab eo excluditur forma aliqua, vel non; ſi excluditur; illa non poteſt eſſe eadem anima nutriti; ne ſequatur eandem animam ſimul excludi, ac recipi; nec alia anima; propria enim anima non competit ſanguini: ſi vero nulla forma excluderetur, tunc nutritio eſſet mera tranſmutatio ſecundum qualitates, ſcilicet alteratio; & non aggeneratio: Quare longe minus ſpiritus ſunt animati: ac proinde non aptę ſedes internorum ſenſuum, quamuis ſint proxima, ac nobilliſſima illorum inſtrumenta.

Opinio alia *Fundamētū.* 1 Adeſt & quædam Peripatheticorum opinio collocans ipſos ſenſus in corde: cui fundamentum eſt, ipſum eſſe principium ſenſus; quod inde deducitur, quia poſitum eſt in loco medio, ac intimiori animalis. 2. Inſuper quoniam ibi videtur eſſe principium ſenſus, vbi appetitus, qui eſt in corde; vt patet de concupiſcentia, ira, amore, cæteriſq; affectionibus, quæ in corde oriuntur. 3. Adhuc quoniam motus, ac ſenſus principium videtur eſſe id, quod in generatione primo viuit, ac mouetur; vt ſe habet de corde, quod in embrione, nondum formato cerebro, palpitare, atque ſentire comperitur. 4. Quinetiam quoniam idem eſt principium motus, & ſenſus, quod eſt principium neruorum; quale videtur eſſe cor, in quo nerui quamplures exiſtunt.

Opinio Galeni approbata. Sed tutior in hac videtur doctrina Galeni in ſeptimo de Placitis Hippocratis, & Platonis cap. 2. 6. & 14. & in octauo de Vſu partium cap. 3. & 4. eos ſenſus, vt in ſede, conſtituentis in cerebro: *Ratio 1.* ex eo fundamento quod cerebrum eſt principium neruorum, vt primo ſuadetur ex Anathome, qua comperiuntur nerui omnes a cerebro procedentes, ac nullatenus cordi, tanquam origini, coniuncti: cuius ſignum eſt, quod quo magis appropinquant cerebro, eo latiores, ingentioreſq; ſunt; vt in hoc debeat idem habere locum iudicium, quod format Ariſtoteles de Venis, & Arterijs, quod ſcilicet quia latiores ſunt prope cor, ideo a corde procedant. 2. Quod itidem aliæ experientiæ comprobant, & præſertim quia ex læſione capitis, quamuis cor maneat illęſum; euertitur tamen ſenſus, ac motus. 3. Et adhuc quia ligato neruo medio tranſeunte ex corde ad cerebrum; pars eius tendens ad cerebrum mouetur, & ſentit: pars vero ad cor extenſa ſenſu, ac motu deſtituitur: Quare nerui videntur procedere ex cerebro; ipſumq; proinde eſſe ſedem ſenſuum internorum.

Obiectio. Sed obijcitur huic iudicio quoniam non poteſt eſſe principium ſenſus id, quod caret ſenſu, vt ſe habere videtur de cerebro, quod dum tangitur non ſentit. *Solutio* Cui reſpondetur primo quod in principio ſenſationis ſufficit quod ſit ſenſus virtualiter quamuis non inſint formaliter. 2. dicitur quod quamuis non ſit ſenſus in aliquibus partibus cerebri; in alijs tamen; quæ ſunt neruis propinquæ, vt ſunt vera organa ſenſuum internorum, vtique ſenſus ineſt, vt ex dolore expertum habetur: Ac tertio dicitur quod omnimode in quacunque parte quantumuis intima cerebri (etiamſi non ingens, aliqualiter tamen) ſenſus ineſt; vnde eſt quod vnaquæque pars capitis eſt dolori ſubiecta.

Inſtantia. Sed inſtatur quod non poteſt eſſe principium ſenſus id, quod caret ſanguine: maximeq; vigere ſenſu membra ſanguine prædita: & cerebro ſanguis non ineſt: *Solutio* Cui negatur aſſumptum; nerui etenim, quemadmodum & in organis ſenſuum externorum pupilla, miringa, aliaq; huiuſmodi ſanguine expertia maxime ſenſu valent.

Obiectio. Obijcitur etiam quod cum principium motus, & ſenſus debeat alijs ſuam virtutem communicare, propterea debet eis eſſe continuum: & cerebrum non continuare cæteris partibus animalis, a quibus vt quid diuerſum continetur. *Solutio* Cui etiam negatur aſſumptum minoris propoſitionis; quippe cum cerebrum optime continuetur cum neruis, cum quibus in ſubſtantiali ratione communicat.

Notandum. Soluenda ſuperſunt argumenta probantia ſedem internorum ſenſuum eſſe in corde; præhabita adnotatione quod internarum ſenſationum, vt & actionum quarumcunque animalis pariter & facultatum ſentientium, ac quomodocunque agentium cor eſt principium præcipuum, & vniuerſale; ex eius ſiquidem calore

cauſantur

cauſantur ſpiritus motiui, ac ſenſitiui; proceditq; virtus totius animalis, eiuſq; actionum rectrix, & conſeruatrix: at reliqua membra, vt ſe habet de cerebro in reſpectu ſenſus, ſunt principia proxima, & propria, ex quibus actiones animales adæquatius cauſantur; ac in quibus illarum actionum facultates ſedem habent. Tunc ad primum reſpondetur ex eo quod cor eſt in medio colligi quod ſit cauſa vniuerſalis, remota vim præbens cunctis actionibus animalis; ſedem vero facultatum illuc eſſe, vbi ſunt principia propria, & proxima: qualia quidem reſpectu ſenſuum ſunt in cerebro. Subſequenti reſpondetur quod appetitiua etiam facultas, vt a cauſa vniuerſali dependet ex corde; ſed propinquius ex principio ſenſuum, ſcilicet ex cerebro: effunditur tamen per totum corpus: vnde eſt quod ſerpens, ſeu in capite, ſeu in cauda, vbicunque percutiatur, mouet ſe totum indicans illam potentiam in quacunque parte animalis reperiri. Ad tertium reſpondetur quod in animato corpore motus naturalis, qui fit ſine aliqua electione, ac neceſſario, & primo producitur, ac poſterius deſinit; procedit vtique ex corde: de quo propterea recte infertur quod ſit principium arteriarum, venarum, ac ipſius motus naturalis: Motus vero animalis, & voluntarius, quo ſcilicet animalia ſe mouent localiter; & non eſt anterior in productione, habet originem in cerebro principio neruorum, ex quibus talis motus cauſatur. Alteri reſpondetur in corde neutiquam eſſe neruos, ſed aliqua tantum ligamenta partes quaſdam per colligationem a diſſolutione ſeruantia; quę quidem ligamenta quomodo a neruis diſtinguantur docet Galenus in 12. de Vſu Partium cap. 3. & ſi quis neruus in eo adeſt, eſt adeo exilis, vt ſe oſtendat potius ramulum illorum neruorum, qui ex cerebro procedunt. *Solutio fundamẽtorũ. 2. opinionis.*

Sed hoc determinato quæri adhuc ſolet in qua parte cerebri reſideant hi ſenſus: Et reſpondet Fernelius in loco citato, hoc eſſe in membranis, quæ dicuntur Meninges, quarum eſt tegere, ac inuoluere partes cerebri intimiores, ſuaſus ex eo quod pars illa, cum craſſior ſit, magis pollet ſenſu tactus, quam aliæ partes, vt in anathome ob dolorem, qui ex percuſſione magis huic, quam reliquis partibus inducitur expertum fuiſſe traditur. At rectius dictum videtur a Galeno in præcitato ſeptimo de Placitis, reſidere illos ſenſus in medulla cerebri vera origine neruorum, cui quidem medullæ appoſitæ ſunt membranæ tanquam cortices, & tegmina eam cuſtodientes. Nec cogit ratio Fernelij; medulla enim non omnino eſt expers ſenſu: nec illius mollities, quamuis non conferrens tactui, reliquis ſenſibus eſt aduerſa. *Quæſitum. Opinio Fernelij. Opinio Galeni.*

Quibus animalibus omnes, vel aliqui, interni ſenſus competant.
Cap. VIII.

NOn æque cunctis animantibus competunt ſenſus interni Ariſtotelis auctoritate, atque ratione ſuadentibus; quamuis enim prædicti omnes ſenſus conueniant homini, ac reliquis animalibus perfectis; quippe cum multa illorum ſint diſciplinabilia; ſingulaq; ſe moueant localiter: vnde requirunt phantaſiam, ac etiam memoriam, per quam ad abſentia tendant: certumq; ſit cuique animali conuenire ſenſum communem: dubium tamen eſt de animalibus imperfectis, qualia ſunt apes, formicæ, vermes, & alia huiuſmodi an habeant phantaſiam, & memoriam: Quoad phantaſiam namque, ea negatur his animalibus ab Ariſtotele in ſecundo de Anima textu 156. vt enim antea in textu eiuſdem operis 29. hoc in dubium reuocauerat, ac in textu 32. de quibuſdam animalibus negatiue reſpondiſſet: deinde præter commemoratam aſſertionem tex. 156. in ſequenti 157. ait ipſam imaginationem quibuſdam beſtijs ineſſe: Quare non omnibus: Subeſſeq; videtur auctoritati ratio: quoniam habentia phantaſiam habere debent memoriam, & capacitatem diſciplinæ, quę abſunt a prædictis animalibus, diſtinctumq; organum tales facultates expoſcunt, quod minime eſt in vermibus, quorum eſt corpus ſimilare. Oppoſitæ tamen ſententiæ Ariſtoteles expreſſius atteſtari *An imperfectis animalibus inſit phãtaſia. Argumenta pro negatione.*

Digitized by Google

Argumenta pro affirmatione. videtur, præſertim in 20. contextu ſecundi de Anima, vbi eam attribuit animalibus inſectis inquiens ipſorum, cum diuiduntur, vtramque partem habere ſenſum, ac motum localem; habenſq; ſenſum habere etiam imaginationem, & appetitum. Ac in tertio eiuſdem operis tex. 56. inquit: ſicuti motum, ita & imaginatiuam ipſis animalibus competere: Et in primo Metaphyſicorum cap. 1. quęcunque animalia imaginatione predita docet: adeſtq; fundamentum in ratione, vermes enim, lacertæ, formicæ, & alia animalia imperfecta viſio aliquo obiecto fugiunt, vel ſiſtunt a motu, & ad loca eorum naturæ conſentanea ſi conferre noſcunt: indicantes ſe percipere ſpeciem inimicitiæ; ac conſequenter pollere imaginatione, ſine qua tale iudicium non fieret. *duplex phantaſia.* Omnis autem dificultas, & apparens contradictio tollitur adnotando reperiri duplicem imaginationem, aliam ſcilicet diſtinctiorem, & perfectam, quæ confert diſciplinæ, ac prudentiæ, ac ideo iunctam habet memoriam, per quam etiam circa abſentia verſatur, definitumque organum in determinata parte corporis habet: aliam vero dari phantaſiam confuſam, & imperfectam, quæ ad vitam tantum inſeruit, a memoria diſociata, cum in ſolis præſentibus exerceatur, nec organũ habet determinatum, ſed per totum corpus eſt effuſa: Vnde iuxta regulam Ariſtotelis in præcitato 56. tertij de Anima, quod ſcilicet, eo modo quo & motus competat imaginatio animalibus: dicendum eſt quod, ſi loquamur de ſtirpanimalibus ſenſu quidem præditis, ſed motui non aptis, competit eis phantaſia ſecundo modo; quæ pariter, quamuis exactius, competit & imperfectis his animalibus, quales ſunt apes, culices, vermes, & ſimilia: primo vero modo ſumptam competere perfectis animalibus; quibus ſiquidem competit gradus aliquis prudentiæ, ineſtq; capacitas diſciplinæ: exactiſſime autem homini, in quo ex aſſiſtentia ei coniunctæ rationis ipſa phantaſia nobilior, & validior, ſublimioribuſq; operibus apta redditur. Et inde extat explanatio argumentorum, quę ex vtraque parte vere concludunt, dummodo per talem diſtinctionem modifitentur.

An imperfectis animalibus inſit memoria. De Memoria vero adhuc eſt dificultas & controuerſia; *Commentator.* Commentator enim in ſecundo de Anima com. 20. & cum eo Buccaferreus, & alij fatentur in imperfectis animalibus phantaſiam non ſe extendere ad abſentia; ac ideo eis non ineſſe memoriam: Quibus fouere videtur Ariſtoteles in proœmio Metaphyſicorum inquiens, quibuſdam animalibus innaſci memoriam; & quibuſdam non. *Simplicij rectior ſententia.* Ex aduerſo autem tutius Simplicius in eodem 20. commentario ſecundi de Anima, ac in 56. tertij attribuit cuique phantaſiæ actionem in abſentibus, ac inde quibuslibet animalibus memoriam, quod ea ratione ſuadetur, *Fundamẽtũ.* quia ſcilicet imaginatiua quælibet eſt alicuius motus principium, & motus tendit ad id, quod abeſt: dum enim oſtrea exempli gratia per dilatationem mouetur, querit locum vlteriorem, quod ei abeſt; nec ipſum quæreret niſi aliquam illius notitiam ſeruaret, quod non fit niſi munere memoriæ. *Euaſio.* Et quamuis ſecus oppinantes reſpondeant non moueri talia animalia per memoriam, ſeu per aliquam in eis ſeruatam notitiam, ſed tantum vt vel actualiter percipientes iniuriam, eam per contractionem vitent, vel vt aliud, quod ſibi conferrens tunc agnoſcunt, per extenſionem inſequantur. *Impugnatio.* Id non tute dictum videtur, cum aliqua, quibus validior ineſt memoria, promptius, citiuſq; ad vtilia proſequenda, ac noxia vitanda moueantur: certo indicio quod rerum illarũ adhuc cognitarum aliquam memoriam ſeruent. Accedit pro confirmatione quod omnis motus fit per commotionem ſpirituum, & ſpiritus illam ſibi illatam commotionem aliquandiu ſeruant, vt colligi videtur ex Ariſtotele in ſecundo de Anima 138. aſſerente: Senſorium quodlibet ſuſceptiuum eſſe ſenſibilis ſine materia; vnde & abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſorijs &c. Illa autem cõmotio in ſpiritibus, ſcilicet in phantaſia ſeruata, fit in tempore, ad cuius præteritam differentiam percipiendam memoria requiritur. *Reſſolutio.* At pro totius dificultatis ennodatione accipiendum eſt quod ſeruare res cognitas contingit tum perfecte, diſtincte, ac diu; quod non niſi perfectorum animalium eſt: tum etiam imperfecte, confuſe, & breui tempore; quod quidem cuilibet ſenſum habenti competit, ſeu per aliqualem (quam-

uis imperfectum ſenſum internum memoriæ; ſeu per vim illam cuiuſcunque etiam externi ſenſus ſuum actum ſenſationis aliquandiu ſeruandi; quam Ariſtoteles in citato loco innuere videtur.

De facultate Appetente diſſeritur. *Cap.* *VIIII.*

APpetitiua virtus potiſſimum medium, quo res naturales ſeu ſalutaria ſibi proſequentes, ſeu noxia refugientes, ſuæ rationis ſtatum conſeruent, ac prouheant, cunctis natura conſtantibus, ſed præcipue animantibus, quibus ob perfectiorem conditionem ſolertior tutella debetur, conceſſa fuit, ac inter facultates internas inſerta adeo, vt a præſenti contemplatione prætermitti non debeat: circa quod quærendum primo occurit an ipſe appetitus ſit facultas ab alijs facultatibus animæ diſtincta: cuius negatiua pars ſuaderi videtur primo ex eo quod ſic ſe habet appetitus animalis ad animal vt appetitus grauis ad graue; quoniam vtriuſque appetitus non aliud eſt quam propenſio quædam ſubiecti ad aliquid proſequendum, vel vitandum; Sed appetitus grauis non eſt diſtinctus a forma grauitatis; ſublato enim ex corpore graui quocunque accidenti præter grauitatem; adhuc ipſum graue ſurſum detentum obſtaculo dempto naturaliter deſcenderet: Quare & appetitus animalis non videtur diſtinctus a forma animalis. *An appetitiua virtus ſit ab alijs potentijs animæ diſtincta. Pro negatione argument.* 1. Et confirmatur quoniam alioquin multiplicandi eſſent appetitus iuxta numerum potentiarum animæ; cum vnaquæque potentia actum ſuæ actionis appetat, & talis multiplicitas appetentium facultatum non adeſt. 2.

Oppoſitum vero probatur ex diſtincta conditione obiecti, ſeu ex diſtincto modo agendi circa ipſum obiectum, appetitus, ac cæterarum facultatum animæ; appetitus etenim expetit appræhenſionem rei ſecundum illius eſſe reale, & naturale; at cæteræ facultates ſenſitiuæ, ac intellectiuæ inclinant ad appræhenſionem ſui obiecti ſecundum illius eſſe tantum intentionale, eo ſcilicet modo, quo res a cognoſcitiua potentia recipiuntur. *Pro affirmatione. Ratio* 1. Inſuper quoniam quemadmodum forma in ſuppoſitis cognoſcentibus nobiliori modo ſe habet quam in non cognoſcentibus; quippe cum in his ad vnum tantum eſſe determinetur: in cognoſcentibus vero eſt quarumcunque aliarum formarum ſecundum eſſe intentionale receptiua; ita & appetitus cuius eſt formam ſequi, nobiliori modo eſſe debet in cognoſcentibus; adeo vt quemadmodum in non cognoſcentibus eſt tantum appetitus naturalis; qui non eſt diſtinctus a forma; in illis ſit facultas per ſe ab alijs potentijs diſtincta: 2. Quinetiam quoniam amor, odium, miſericordia, & alia huiuſmodi ſunt paſſiones appetitus animalis, aut rationalis, non autem facultatum cognoſcentium, & obiecta appræhendentium. 3.

At pro diſcuſſione controuerſiæ animaduertenda eſt diſtinctio duplicis appetitus; naturalis ſcilicet, qui conſequitur formam mere naturalem, vt inclinatio grauis ad deſcendendum: & Animalis, qui ſequitur formam, ſcilicet animam, ſeu ſenſitiuam, ſeu rationalem iuxta eſſe illud rerum intentionale, quod in ſe talis anima appræhenderit; vt agnus expetit vbera nutricis iam intentionaliter appræhenſa; & homo ſcientiam, quam mente iam deſiderabilem concepit. *Reſſolutio Appetitus duplex.* Tunc dicendum quod appetitus naturalis non eſt quidem potentia diſtincta ab eſſentia formæ naturalis, quam ſequitur: at appetitus animalis, ſeu ſcilicet ſenſitiuam, ſeu rationalem animan conſequens, eſt potentia ab alijs potentijs ſuę animæ diſtincta. Vnde ſoluendo oppoſita fundamenta reſpondetur ad primum negando conſimilitudinem illam appetitus animalis, & appetitus rei grauis, quando ille ſit propenſio animalis inſequens formam apprehenſam ab anima; & hic ſequatur formam naturalem: falſumq; eſt quod appetitus animalis ſit mera inclinatio, quę eſt relatio dicens tantum reſpectum ad actum, eſt enim actus talis facultatis appetentis, qui ex anima fluit. *Sol. 1. argum.* Ad aliud neganda eſt conſequentia: & ad probationem dicendum eſt quod illa appeti- *Solutio 2.*

tio ſuæ actionis de quacunque potentia, verificatur quidem in appetitu naturali, at non in appetitu animali inſequente formam cognitam a ſua anima, qui quidem appetit non tantum ſui operationem, nec eſſe ſui obiecti intentionale, ſed naturale, ac reale.

Quot ſint potentiæ appetitiuæ. Sed exactius diſcutienda eſt quæſtio hæc de numero facultatum appetentium animalium, quas putarunt Scotus, & alij tot eſſe, quot ſunt potentiæ cognoſcentes: *Opinio Scoti* eo primo fundamento, quia cognitio quælibet producit appetitum. *Fūdamētū. 1.* Inſuper quoniam in ſecundo de Anima contextu 20. habetur quod vbique eſt ſenſus, ibi eſt imaginatio, & appetitus; quoniam ſenſum ſemper dolor, & voluptas conſequuntur, ac vbicunque hæc ſunt, ineſt & deſiderium. 2. Et in libro eiuſdem operis tertio contex. 29. legitur quod appetens non eſt diſtinctum a ſenſitiuo, & quod illorum eſſe varium eſt. 3. Ac in decimo Moralium Nicomachiorum traditum eſt: propriam cuilibet ſenſui voluptatem reſpondere: quæ quidem voluptas connotat appetitum; vt multiplicari videatur ipſa potentia appetens iuxta numerum potentiarum cognoſcentium. *Opinio Temiſtij. D. Thomæ Fundamentū* Secus vero Themiſtius in tertio de Anima comm. 52. D. Thomas, & alij ſuſtinent ſingulis cognoſcitiuis potentijs vnicum appetitum reſpōdere: & fundamentum eſt eis littera contextus 42. in tertio de Anima, vbi Philoſophus aduerſus Platonem ait quod inconueniens eſt appetitiuam diuellere; quoniam cum in parte ratiocinatiua ſit voluntas, & in irrationali concupiſcentia, & ira; ſi triplex ſit anima, quæcunque ex eis ſuum habebit appetitum: vnde negare videtur Ariſtoteles multiplicitatem facultatum appetentium.

Reſolutio. Pro reſolutione vero dificultatis, ac numero appetituum animalium determinando: accipiendum eſt conſiderari poſſe appetitum vel ratione obiecti, in quod fertur: & ſic eſt primo duplex, iuxta diuiſionem obiecti in concupiſcibile, & iraſcibile: vnde eſt cupiditas, & deteſtatio: deinde eſt multiplex iuxta multitudinem generum appetibilium, ſeu facultatum cognoſcentium, quæ iuxta numerum cognoſcibilium inſtitutæ ſunt: Vel conſideratur ratione fundamenti: & ſic eſt duplex nimirum appetitus ſenſitiuus, & voluntas, iuxta duplex fundamentum appetitionis, ſenſus ſcilicet, & rationis, quorum vterque pro ſuo eſſe abſoluto eſt vnicus; multiplicatus per relationem ad obiecta, conſimiliter vt de ſenſu communi habetur ab Ariſtotele in ſecundo de Anima quod vnus eſt ratione fundamenti, & ſui eſſe abſoluti; at multiplex per reſpectum ad diſtincta obiecta ſenſibilia, quorum eſt terminus, ac veluti centrum diſtinctarum linearum.

Solutio argumentorum Scoti. Ex oppoſitis autem fundamentis, ad primum dicimus quod producit quidem omnis cognitio appetitum, ſed non diſtincti generis, eo modo quo anima quercus, ficulneæ, ac vitis dant idem eſſe viuentis in genere; idem eſſe animalis genere vnum producitur ex anima Equi, Leonis, & canis: Vnde patet ſolutio etiam ſequentis. Et ad id quod ſumitur ex 29. contextu tertij de Anima, reſpondetur varietatem illam appetituum verificari dum conſiderantur per rationem ab obiecta: non autem dum referuntur ad fundamentum. Et pariter ad auctoritatem decimi Moralium dicendum eſt: reſpondere cuilibet ſenſui appetitum proprium, & diſtinctum ab alijs per rationem obiecti: non autem per rationem fundamenti.

An diuidatur appetitus in animalem & rationalem Sed ſupereſt alia dificultas, quia dubium videtur appetitum fundamentaliter ſumptum, eſſe duplex: ſed videntur vtrique, ſcilicet animalis, & rationalis idem eſſe; *Argumētū. 1.* primo quoniam diſcrimen potentiarum pendent ex obiectis: & ambo hi appetitus idem habent obiectum; quoniam vnuſquiſque ex eis eſt inclinatio in ſuum bonum, in cuius conſecutione conſimiliter gaudium percipiūt: quare non videntur facultates diſtinctæ. 2. Deinde vt appetitus procedit ex appræhenſione, ita ex appetitu procedit facultas localiter mouens: talis vero facultas motiua non eſt alia in ratione præditis, quam in ratione carentibus: quare nec appetitus videtur in illis eſſe diuerſus. 3. Ac tertio id confirmari videtur ex nuper allegato contex. 42. tertij de Anima, in quo Philoſophus ducit opinionem Platonis ponentis diſtinctionem animarum, ad illud inconueniens, quod multæ eſſent facultates appetitiuæ.

Oppoſita

Digitized by Google

Oppoſita autem veritas ſuadetur tum ex auctoritate Ariſtotelis in tertio de Anima contex. 53. aperte docentis, dari duplicem appetitum, quorum alter eſt ſenſitiuus, qui communem ſenſum & imaginationem ſequitur, & alter rationalis intellectus cognitionem ſequens, qui dicitur voluntas: quorum diſtinctio ratione probatur, primo quia voluntas eſt facultas immaterialis, ſenſitiuus autem appetitus eſt potentia corporea. Conſtatq; id ex diſtinctione obiecti; intellectiuus enim appetitus verſatur etiam circa ſpiritualia, & vniuerſalia, ad quę non peruenit appetitus ſenſitiuus, qui tantum phantaſiæ ductu materialia, & ſingularia proſequitur: & ambo hi appetitus homini competunt. Nec dicat aliquis quod in homine idem appetitus rationalis appetit nedum ſpiritualia, & vniuerſalia, ſed etiam materialia, & quęcunque ſpectant ad facultatem inferiorem. Quamuis enim verum id ſit; non tamen tollitur ex homine appetitus etiam ſenſitiuus, vt probat potiſſimum ratio aſſignata ab Ariſtotele in præcitato contex. 53. tertij de Anima, quia ſcilicet eodem tempore idem obiectum, homo per ſenſitiuam facultatem expetit, ac per voluntatem repudiat: quæ quidem altercatio, ac colluctatio abſque reali diſtinctione appetentium facultatum non contingeret. *Comprobatio veritatis.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

Et demum obuiam eundo contrarijs argumentis, dicendum eſt ad primum, verum eſſe quod vterque appetitus inclinat in ſuum bonum: ſed quoniam tale bonum vnum quidem ſecundum vniuerſaliſſimam rationem quandam, eſt tamen duplicis generis, ſpiritualis ſcilicet, ſeu tantum intelligibilis, ac materialis, & ſenſibilis, inde duplex eis adæquatur appetitus. Subſequenti neganda eſt minor propoſitio; vtique enim duplex datur motiua facultas: vna ſcilicet materialis, & organis affixa, quæ ſequitur appetitum ſenſus, & altera ſpiritualis ſimplici ſubſtantiæ mentis inſidens, quæ abſque corporeo organo corpus ducit; aliamq; motiuam facultatem ſuo libitu dirigit; & ſequitur appetitum rationis: vnde non inde tollitur quod duo ſint appetitus. Ad poſtremum reſpondetur in citata illa littera carpere Ariſtotelem non pluralitatem abſolute; ſed triplicitatem appetituum: inquit enim quod ſi tres eſſent animæ vnius indiuidui, eo modo quo Plato exiſtimauit; vt ſcilicet Concupiſcens eſſet in Iecore, iraſcibilis in corde, & rationalis in capite: ſequeretur tot etiam eſſe appetitus: quibus non videtur Philoſophus duplicitatem appetituum renuere. *Solut. 1. argumenti.* *Solutio 2.*

DE INTELLECTV AGENTE, AC DE EIVS OFFICIO.

Quod neceſſarium ſit dari Intellectum Agentem. Caput I.

HVmanum ingenium, quod Naturalibus, Quantiſq; rebus: earum paſſionibus, partibus, & actionibus: viuentiumq; omnium corporibus, & animabus noſcendis, tam enixam adhibet curam, vt ſeu theoricis ſpeculationibus, ſeu anathomicis perſcrutationibus in illis obſeruandis, rimandis, ac enucleandis nunquam ad ſaturitatem laboret: non probe effugere, ſeu non expetere poteſt tractationem de Intellectu Agente: in quo eius eſſe, decus, ac operatio nobilior conſiſtit, vbiue ſuæ perfectionis imago, veluti in ſpeculo inſpicienda proponitur: cui quidem nos honeſto obſequentes affectui, ipſius Agentis intellectus primo exiſtentiam, mox conditionem, ac demum officium patefacere nitentibus, ſternentem nobis primi itineris viam inuenimus Ariſtotelem in tertio de Anima contextu 17. vbi probat neceſſi-
Ratio 1. tatem differentiæ agentis in intellectu ex ea ratione: quia in quocunque munere naturali requiritur agens & patiens: intelligere eſt officium naturale: quare vt pro ipſo
2. eſt in intellectu differentia patiens; neceſſarius etiam eſt intellectus agens. Quod eo confirmatur quia requiritur vbicunque eſt perfectibile perficiens; vbi eſt formabile formans, vbi producibile, ſeu productum, producens; ac vbi eſt quid veluti materia neceſſarium eſt agens fungens munere formæ: Vnde cum intellectus poſſibilis ſe habeat tanquam quid materiale, ac poteſtatiuum ex intellectione formabibile, ac perfectibile, & in rationem intellectus in habitu, producibile: opus eſt ideo differentia intellectus agentis, cui oppoſita officia his correſpondentia conueniant. Innititur etiam Philoſophus exemplo Artis, in qua pręter materiam artefa-
3. ctorum neceſſarium eſt etiam agens artificiale: quibus omnibus colligit quod vt datur intellectus poſſibilis, cuius eſt omnia fieri, ſcilicet cuncta intelligibilia ſuſcipere, ita detur & intellectus agens, cuius ſit omnia facere, ideſt quæcunque intelli-
4. gibilia in potentia reddere intelligibilia actu. Quod confirmari valet ex eo, quod agere & pati non poſſunt eidem abſolute competere: vnde cum ambo hec officia in
Euaſio intellectione conſpirent: duplicis illius differentiæ eſt neceſſaria diſtinctio. Nec aliquis dicat id agens pro intellectione requiſitum non eſſe aliquid internum intellectui: ſed eſſe ipſum obiectum motiuum, ac perfectiuum intellectus, ſeu aliud extrinſecum intelligibilia diſponens, eo modo, quo lumen externum viſibiles facit co-
Impugnatio. lores. E contra enim niſi ea quæ ad intellectionem, ac præcipue ad actiuum officium ſpectant, eſſent animæ noſtræ propria, ac interna; tunc falſum eſſet, id quod
expe-

experientia comperimus: intellectionem ſcilicet eſſe in noſtra libera poteſtate: adeo
vt quandocunque velimus intelligere valeamus: Accedit quod cum in præcitato
loco ab Ariſtotele aſcribatur hec differentia intellectui ad inſtar Naturæ, & Artis:
ideo quemadmodum in natura ad producendum opus naturale requiritur agens,
quod ſit natura: in Arte pro edendo opere artificiali, agens expetitur, quod ſit ars:
ita ad cauſandam in intellectu cognitionem requiritur agens intellectuale, quod ſit
interna differentia ipſius intellectus. Cuius rei alia habetur comprobatio ex textu 5.
eiuſdem operis 19. quia ſcilicet ſemper agens eſt nobilius patiente, ac principium
materia: vnde ne idem dicatur eſſe nobilius, & ignobilius; confitendum eſt, diffe-
rentias agendi & patiendi in intellectu debere eſſe diſtinctas. Ac inſuper quia que-
madmodum differentiæ huic agenti, cuius eſt iudicare, & agere: nullus diceret
quod competat recipere, & pati; pariter nec de intellectu poſſibili, cuius eſt moue- 6.
ri, ſubire, ac pati: excogitare licet quod iudicet, intellectionem producat, & agat.
Arguitur etiam quoniam omnis actus per ſe intentus, ac per ſe ab aliqua potentia 7.
receptus cauſam aliquam immediatam, & per ſe actiuam expoſcit; alioquin idem
per ſe intentum, ac non per ſe intentum eſſet: Sed intellectio eſt actus per ſe inten-
tus, cum ſit finis hominis; qui propterea natura ſcientiam deſiderare dicitur in
proæmio Metaphiſicorum: vnde & in libro de Somno & Vigilia capite 3. habetur
quod ſentire, & ſapere eſt finis omnibus, quibus alterum eorum ineſt: quare ipſius
intellectionis neceſſaria eſt cauſa immediata, & per ſe actiua: Quod etiam exin-
de confirmatum habetur: quia cauſa per ſe actiua remota nõ agit niſi ex intermedio
cauſæ per ſe proximæ; vnde cum anima ſit quædam remota cauſa intellectionis,
quæ per mentem, tanquam per ſui partem intelligit, & ſapit ex proæmio tertij de
Anima requirit ideo pro intellectione cauſam aliquam per ſe actiuam proxime:
Quare id, de quo agitur in ſcientia; & quæritur quomodo fiat, vt in tertio de Ani-
ma fit de intellectione, debet habere cauſam agentem proximam, & per ſe: Talis
autem cauſa non poteſt eſſe intellectus poſſibilis: cum ipſe circa eundem actum ſit
potentia paſſiua, quæ in quinto Metaphiſicorum 17. eſt principium tranſmutandi
ab altero quatenus altero: Ac inſuper quoniam cum intellectus poſſibilis vt rece-
ptiuus intellectionis, includat eam formaliter: ſi etiam ſecundum ſe actiue produ-
ceret eandem intellectionem; tunc eam includeret etiam virtualiter: quod cum
præſtantius ſit aliquid includere virtualiter, quam formaliter: ſequeretur ipſum
intellectum poſſibilem per ſe idem & præſtantiori, & deteriori modo continere:
Nec talis cauſa poteſt eſſe Phantaſma; ne ſequatur ipſum eſſe præſtantius intellectu;
id enim præſtat alteri, cuius opus eſt nobilius nobiliori opere alterius; & aliquid
efficienter producere nobilius eſt quam idem recipere; cum actio ſit nobilior paſſio-
ne, vt docet Auueroes in tertio de Anima comment. 19. vnde ſi intellectu tan-
tummodo patiente, atque recipiente, phantaſma ſolum intellectionem efficeret,
plane ſequeretur ipſum phantaſma intellectum in nobilitate præſtare. Præterquam
quod phantaſma cum non concurrat ad productionem intellectionis tanquam cau-
ſa inſtrumentalis; nunquam enim effectus aſſimilatur inſtrumento, & intellectio
imaginem phantaſmatis ſeruat: ideo concurrit vt cauſa principalis; quod cum ex
duobus ad cauſalitatem nobiliſſimi operis conſpirrantibus id ſit abſolute præſtan-
tius, quod nobiliori officio in eodem opere incumbit; officiumq; agendi ſit paſſio-
ne nobilius: deterior phantaſmate eſſet intellectus, qui ſolo phantaſmate agente,
ipſe in officio tantum intellectionis paſſiuo exerceretur. Quare cauſa illa per ſe, &
proxime intellectionis effectiua eſt ipſemet intellectus per differentiam agentem.

biectio-

Obiectiones aduerſus Intellectum Agentem adducuntur, ac ſoluuntur. Cap. 11.

PRæhabita vero quamuis rationabilis Ariſtotelis determinatio varijs vrgetur obiectionibus: & primo quoniam intellectus agens ab Ariſtele in tertio de Anima 18. dicitur ſe habere ad intellectum vt lumen illuſtrans colores, ipſoſq; actu viſibiles reddens: ſed lumen non eſt quid ſenſui vel coloribus internum: quare pariter exiſtimandum eſt de differentia hac agente, quod non ſit aliquid ipſius intellectus. Cui reſpondemus, appoſite valde pro explicatione intellectus agentis exemplificatum eſſe de lumine: nec tamen eſſe neceſſariam omnimodam illorum adæquationem, & identitatem: ſed ſimilitudinem aliquam ſufficere: quatuor enim exempla in his contextibus 17. ac 18. ad declarationem talis differentiæ Philoſophus adducit: Naturæ ſcilicet, Artis, Habitus, & Luminis, quæ ſecundum varios reſpectus, & comparationes rationem ipſius intellectus, eiuſq; muneris optime patefaciunt: Naturę enim, & Arti ſimilis eſt prout refertur ad ſuum opus intellectiuum, quod producit eo modo, quo Natura, & ars illarum opera naturalia, & artificialia conficiunt: Habitui aſſimilatur per relationem ad ipſum intellectum, cuius dicitur eſſe oculus, atque acies, ac ideo illius Habitus, cum ſit ei veluti forma, & principium ad operandum: Lumini vero conſimilis eſt per reſpectum ad obiectum, quod facit actu intellectum, redigitq; per actum intellectionis ad ſpeciem intelligibilem, quemadmodum lumen redigit colores ad viſibilitatem actualem.

Obiectio. *Solutio*

Arguitur ſecundo quoniam cum intelligere ſit actus intellectus: ideo poſito duplici intellectu, duplex etiam erit actus eiuſdem intellectus, ſcilicet duplex intelligere eiuſdem hominis: Quod confirmatur quoniam ſpecies intelligibilis eſt perfectio intellectus: vnde ſi ad duplicem intellectum referri debet, ſequitur vt duplex intercedat intelligere. Cui reſpondetur quod duplicis intellectus, ſeu duplicis illius differentię, duo ſunt officia: poſſibilis enim recipit ſpecies intelligibiles, & agens ipſas iudicando conſtituit: nec inde ſequitur duplex intelligere; ſed vnicum, ad quod hec ambo officia conſpirant. Et confirmationi reſpondendum ſpeciem intelligibilem referri vtique ad vtramque differentiam intellectus; ſed ad poſſibilem, tantum vt perfectio, ad agentem vero vt illius effectus: quæ ambo relationes ad vnicum intelligere concurrunt.

Obiectio. *Confirmatio.*

Inſtatur tertio quoniam vel intellectus agens ideo requiritur, vt aliquid agat in Phantaſia, vel vt agat in intellectu poſſibili: Non primum; quia vel diceretur producere in phantaſia aliquod materiale, quod nil conferret ad intellectionem; cui intelligibilia materialia, & ſpiritualia inſeruiunt, vel diceretur producere aliquod immateriale, quod impoſſibile videtur; nam cum vnumquodque recipiatur ſecundum naturam recipientis: phantaſiaq; ſit facultas materialis, & organica; videtur non poſſe immaterialia recipere: Non ſecundum; nam intellectus poſſibilis eſt ex ſe aptus recipere quaslibet ſpecies intelligibiles: vnde in textu 18. tertij de Anima dictum eſt, illius eſſe, omnia fieri: Quod eo confirmatur quoniam actio immanens, qualis eſt intellectio ex nono Metaphiſ. 16. non fit niſi ab illa facultate, in qua recipitur: & intellectus poſſibilis eſt id, in quo fit, & recipitur intellectio. Reſponſio eſt: non agere intellectum agentem in phantaſia, vel in intellectum: ſed circa phantaſma, vel circa ſpeciem intelligibilem, ex quibus in quocunque iudicando ellicit actum intellectionis, qui idem eſt cum ſpecie intelligibili que niſi ellaborata, ac in eſſe conſtituta ab intellectu agente percipi non poſſet a poſſibili, qui in citata littera dicitur, omnia fieri: non quidem ex ſe abſolute, & abſque alicuius auxilio: ſed per ſubſidium intellectus agentis, cuius eſt facere intelligibilia omnia que intellectus poſſibilis aptus eſt fieri, & recipere: Quod autem intellectio ſit actio immanens, ſatis ſaluatur ex eo, quod intellectus agens & patiens non diſtinguuntur

Obiectio *Solutio.*

ſuppoſito,

Digitized by Google

ſuppoſito, nec eſſentia; quoduc intellectus poſſibilis quoad ſuam eſſentiam ſemper
ad actum intellectionis concurrit.
Præterea videtur intellectionem fieri poſſe abſque intellectu hoc agente, ac con- *Obiectio*
ſequenter ipſam eſſe ſuperfluum: & probatur aſſumptum ex connexione, ac ſeria-
ta virtute potentiarum cognoſcentium: quarum ſemper cognoſcere valet ſuperior
ea, que cognoſcit inferior, & proxima; quæ enim cognoſcuntur a ſenſibus externis
percipiunt interni: & obiectum ſenſus communis ex ſe innoteſcit phantaſiæ: ideo
& phantaſma per ſe debet eſſe cognoſcibile ab intellectu. Pro reſponſione non ne- *Solutio*
gamus ſucceſſiuam cognoſcibilitatem obiectorum, ſeu ſpecierum cognoſcentium
ex facultatibus ſubordinatis, vt quicquid cognoſcit inferior, & proxima illi ſupe-
rior cognoſcat; at per media, vires, conditioneſq; illius facultatis: vnde dicimus
quod phantaſma percipi non poſſe abſque opere intellectus agentis: non prouenit
ex defectu ipſius phantaſmatis, quod ex ſua ratione non ſit natum aprehendi ab in-
tellectu: ſed prouenit ex impotentia ipſius intellectus poſſibilis, qui cum in intelle-
ctione valeat tantum recipere, & pati: propterea opus habet differentia agente, quę
actiuum iudicandi officium exibendo intellectionem perficiat. Sed dices conceſſa *Inſtantia.*
etiam neceſſitate intellectus agentis pro intellectione rationum ſingularium, quæ
in phantaſmatibus, ſeu in ſpeciebus intelligibilibus ſingularibus reſident: non ta-
men eſt neceſſaria illius opera dum ex ſpecie vniuerſali ſibi impræſſa rationem ali-
quam vniuerſalem mens hominis contemplatur: quare non ſemper mens agens vi-
detur ad intelligendum neceſſaria: aſſumptum deſumitur ex doctrina Auerrois in
tertio de Anima commẽtario 18. dicentis quod: ſi eſſent in natura Ideæ Platonis, vt
ſcilicet vniuerſalia actu reperirentur: tunc intellectus agens non eſſet neceſſarius.
Reſpondebitur ad intellectionem ſemper neceſſarium eſſe concurſum intellectus *Solutio*
agentis, qui iudicando producat actum ipſius intellectionis: Nec eximeretur ab *Ideis etiam*
hac neceſſitate intellectio Idearum: quemadmodum nec ſubſtantiæ abſtractæ *poſitis neceſ-*
abſque munere intellectus agentis a nobis cognoſcuntur: vnde eſt quod Theophra- *ſarius eſſet in*
ſtus, Priſcianus Lydus, Simplicius, & alij, qui cum Platone in Idearum poſitione *tellectus a-*
conueniunt; neceſſitatem tamen intellectus agentis confitentur: vnde illa Auerrois *gens.*
aſſertio libere negatur.
Arguitur etiam quia quemadmodum non eſt motus ad motum, ita nec ad ope- *Obiectio.*
rationem eſt operatio; ne detur proceſſus in infinitum: Sed intelligere eſt quædam
operatio: & producere operationem eſſet operatio alia: igitur non eſt concedendum
agens, quod intellectionem producat. Et ſoluitur dicendo quod operatio, ſeu actio, *Solutio*
ac productio, vt operatio, ſeu productio eſt, non conficitur quidem, aut producitur:
Sed tendit productio ad aliquem actum formalem inducendum in ſubiecto; quod
quidem ſi ſtatim per acquiſitum illum actum operetur: id non eſt per ſe, & primo
intentum ex operatione præcedenti.
Obijcitur denique quoniam ſi hec differentia agens eſt neceſſaria in noſtro intel- *Obiectio.*
lectu eſt pariter neceſſaria intellectibus abſtractis, ſcilicet intelligentijs Cęlos mo-
uentibus: pariter & in voluntate requireretur facultas agens, & patiens: ſed maxi-
me videretur neceſſaria hec duplex differentia ſeu facultas in ſenſu; quoniam vt
colligitur ex tertio tex. tertij lib. de Anima, vt ſe habet ſenſibile ad ſenſum & ſenti-
re; ita ſe habere debet intellectus ad intelligibile & at intelligere: vnde æqua vide-
tur occaſio intellectus agentis, ac ſenſus agentis: quinnimo cum intellectus ſit agens
efficacius, ideo paucioribus videtur egere ſubſidijs ad ſuas operariones: ſed ſenſus
agens non videtur concedendus ob rationes in proximo capite adducendas: Quare
nec differentia hec agens concedenda videtur in intellectu. Pro ſolutione eſt adno- *Solutio*
tandum quod differentia hec agens competit intellectui noſtro non quidem quate-
nus intellectus eſt abſolute; ideſt quatenus ſubſtantia immaterialis: tunc enim cui-
cunque ſubſtantiæ abſtractæ competeret: ſed tantum per ſuperadditam hanc ei
conditionem, quatenus eſt pars animæ noſtræ: vnde eſt quod Ariſtoteles in præ-
citato 17. textu determinans de intellectu agente, inquit: neceſſarias eſſe has diffe-
rentias

rentias in anima: forſam vt ex ea complicatione cum anima oſtendat occaſionem inſtitutionis ipſarum differentiarum. Nec inſtes quoniam vel hec differentia competit intellectui per ſe, vel per accidens: ſi per accidens, eſt ſeparabilis, & non ſpectans ad ſcientiam: ſi per ſe, tunc competit omnibus. Competit enim ei per ſe non abſolute: ſed per ſuperadditam connexionem, quam habet cum corpore, per quam aptiſſime de ea Phyſicus in tertio de Anima differit: Dicimus itaque: non ineſſe intellectum agentem Intelligentijs abſtractis; ſiquidem diuerſa eſt illarum ratio a conditione intellectus noſtri; ipſæ enim non intelligunt aliquid a ſe diuerſum; vnde egeant tali diſtinctione differentiæ agentis, quæ producat, & iudicet, ac patientis, quæ recipiat, & fiat: Sed intelligunt per ſuammet eſſentiam, ſcilicet per inſitas ſibi ſpecies coeſſentiales: vt idem ſit in eis intelligens, intellectum, ac intellectio: Solum dici poteſt quod eis competat per quamdam ſimilitudinem, quatenus intelligentiæ inferiores intelligunt ſuperiores, ab eiſq; perficiuntur: præſertim a prima, per cuius intuitum dicunt Theologi: habere Angelos cognitionem matutinam: vnde ſuperiores reſpectu inferiorum, ac præſertim ſupræma reſpectu reliquarum omnium habeat aliqualem rationem intellectus agentis. Voluntati vero non attinet diſtinctio hec differentiarum; ipſi enim tamquam promptuarium receptiuum ſpecierum miniſtrat intellectus: nec ipſa aliud exercet officium, quam agendi per electionem: vnde in tribus potentijs animæ rationalis ea eſt illarum differentiarum diſtributio, vt intellectiuæ ſpectet vtraque, memoriæ paſſiua tantum, ac voluntati ſola agens differentia conueniat. Quid vero ſit de ſenſu in ſubſequenti capite determinandum erit.

Subſtantijs abſtractis non competit intellectus agens vel patiens.

Diſcutitur Quæſtio de Differentia Senſus Agentis. Cap. III.

EX argumentis improbantibus intellectum agentem, poſtremum conſiſtebat in conſimili occaſione ponendi huiuſmodi differentiam agentem etiam in ſenſu: Quod quidem quamuis ſoluere nitantur aliqui dicentes quod, quia a ſenſu materiali, & quanto poteſt ſtatim apræhendi obiectum, quod eſt eiuſdem rationis, ac ſingulare: propterea in eo differentiam agentem non eſſe neceſſariam: at intellectum (cuius obiectum eſſe debet abſque conditionibus materiæ, & vniuerſale) nõ poſſe ipſum apræhendere, niſi ei in tali eſſe ab intellectu agente conſtituatur: Non tuta tamen videtur reſponſio; nam vt in propria de hoc Quæſtione demonſtrare tentauimus: falſum eſt quod intellectus, qui omnium eſt cognoſcitiuus, notitia ſingularium, quæ perfectior, & rei adæquatior eſt, ratione, & experientia repugnante, ſit expers: quodue entia eo modo, quo realiter ſunt, etiam ſcilicet cum ratione illorum materiæ, & quantitatis, non agnoſcat: vt propterea ſecundum eandem immaterialitatem quoad eſſe, & non quoad repræſentationem, tam intellectus, quam ſenſus apræhenſioni eadem ſpecies adæquatur, vt eadem ſit ratio hanc differentiam agentem in ſenſu ac in intellectu requirendi: Vnde tota dificultas in eo cõſiſtere videtur: an huiuſmodi differentia agens ſenſui ſit aſcribenda: quod negat vniuerſa ferè ſchola eo primum, quoniam de ſenſu agente nullam mentionem fecit Ariſtoteles: qui tamen in animabus, illarumq; potentijs, & differentijs explicandis non defecit. Secundo quia dato ſenſu agente, ſequeretur non omnem ſenſum eſſe facultatem paſſiuam: quod paſſim profertur ab Ariſtotele: præſertim in ſecundo de Anima tex. 51. ac in libro 3. contextu 2. Tertio quoniam exinde ſequeretur non quinque tantum; ſed decem eſſe ſenſus externos, quando quinque etiam actiui eis apponerentur. Quarto quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: vnde cum ſenſus ex ſe valeat propoſiti obiecti ſpeciem recipere, & ſenſationem edere, ſuperflua videatur agentis ſenſus additio. Quinto quoniam inquit Philoſophus in ſecundo de Anima contex. 138. ſenſibilis, ac ſenſus vnum & eundem eſſe actum: vnde cum actus ſenſibilis non aliud ſit, quam ſenſum mouere, ſequitur vt ſenſus non aliud ſit officium, quam

Negatiua partis. *Argumētū. 1.* *Argumen. 2.* *Argumen. 3.* *Argumen. 4.* *Argumen. 5.*

Digitized by Google

quam a ſenſibili moueri, paſſiuoq; munere fungi. Sexto ſimplex actio, qualis eſt ſenſatio, prodire non poteſt ex duobus agentibus immediatis realiter diſtinctis. vnde cum ſenſatio cauſetur immediate ex obiecto, ſeu ex ſpecie intelligibili: ſequitur non concurrere ſenſum ad ipſam cauſandam: ſed illam recipere tantum. Septimo cum ſenſatio pariter ac intellectio ſit actio immanens ex nono Metaphis. tex. 16. ideo manere debet in eo, quod eam cauſat: quod cum ſenſatio maneat in ſenſu paſſiuo, ſequitur quod cauſetur ab ipſo ſenſu paſſiuo: nec eſſe neceſſarium actiuum. Octauo quia proprie, ac formaliter ſentire eſt ſenſationem producere, ac eandem ſimul recipere: ſed in actionibus immanentibus idem poteſt eſſe productiuum, & receptiuum: ergo vnicus ſenſus paſſiuus eſt ad ſenſationem ſufficiens. Nono aut vterque ex his ſenſibus ſentit, aut patiens tantum: ſi primum: vnus illorum erit ſuperfluus: ac inſuper vterque etiam patietur: quoniam ſecundum Ariſtotelem in præcitatis locis, ſentire eſt quodam pati: vnde ſenſus agens patietur ab alio agente, illudq; conſimili ratione ab alio, & ſic in infinitum: ſi ſecundum, quod ſcilicet agens non ſentiat: ſequetur quod non cognoſcens ſit nobilius cognoſcente; cum ſemper agens ſit nobilius patiente ex tertio de Anima 18. Et ad reſponſionem Gandauenſis, ac Ianduni in ſecundo de Anima quæſt. 16. quod ſcilicet agens ea ratione vt eſt agens, præſtet patienti: at patiens quatenus cognoſcit præſtare agenti. Inſtatur eo quod nobilior operatio arguit maiorem perfectionem abſolute: vnde ſi ſenſus paſſiuus cognoſcit, conſequens eſt vt ſit nobilior agente abſolute. Decimo quoniam hoc dato falſum redderetur dictum Ariſtotelis in ſecundo de Anima contextibus 121. ac. 138. quod omnis ſenſus ſit receptiuus ſpecierum ſine materia; ſenſus enim agens non reciperet ſpecies ſine materia, ſed produceret, ſeu elliceret ipſam ſenſationem. Vndecimo falſum etiam exinde videretur id, quod habetur in textu 66. eiuſdem operis, quod ſcilicet color ſit viſibile per ſe (quod quidem de ſecundo modo per ſe eſt intelligendum) ſi enim ſenſus agens viſus efficeret viſionem coloris is non per ſe, ſed per aliud videretur. Duodecimo quidam arguunt quod poſito ſenſu agente, ſequeretur quod ſenſus habens in ſe virtutem ſenſitiuam eſſet in potentia eſſentiali ad ſenſationem; vnumquodque enim eſt in potentia eſſentiali ad actum illum, ad quem reducitur ab agente per ſe ex octauo Phyſicorum 32. ac quarto de Cælo 24. Hoc autem eſt falſum quemadmodum nec graue ad deſcenſum eſt in potentia eſſentiali. Sed tantum accidentali; id enim, quod eſt in potentia ad actum primum (vt puta ſemen) dicitur in potentia eſſentiali tum ad actum primum animalitatis, tum ad actum ſecundum ſcilicet ſentiendi. Decimotertio potentia actiua ex quinto Metaphis. contex. 17. eſt principium tranſmutandi aliud: ſenſus non videtur aliquod aliud tranſmutare: Quare non videtur eſſe potentia actiua. Decimoquarto quoniam non magis actiuus eſt ſenſus, quam ſit intellectus: ſed hic eſt paſſiuus; vnde habetur in tertio de Anima tex. 2. quod intelligere eſt pati. Decimoquinto ſignũ dediſſe videtur Philoſophus non admittendi virtutem actiuam in ſenſibus dum in Problematibus ſect. 31. quæſt. 12. & 13. dum quæreret quomodo cum pars animalis dextera validior ſit, quam ſiniſtra: viſiua tamen virtus æque in vtroque oculo vigeat: reſpondit partem dexteram potentiorem euadere ob frequentiorem illius vſum, ac exercitationem, vnde amborum oculorum par eſt exercitatio: Inſuper quoniam ſenſitiuæ potentiæ immutantur ab obiecto, quod æqualiter in dextrum, ac ſiniſtrum oculum agit. Decimoſexto ſenſus hic agens aut vnicus eſt omnium ſenſationum, aut multiplex iuxta varietatem generis ſenſibilium, ac ſenſationum: non primum quoniam nequet idem agens eſſe principium immediatum effectuum ſpecie diuerſorum, quales ſunt diuerſæ ſenſationes, videndi, tangendi, ac huiuſmodi: non ſecundum quia ſequeretur adeſſe ſenſus præter illos quinque, de quibus inquit Philoſophus in ſecundo de Anima 128. *Quod autem non ſit ſenſus alius præter quinque*. Decimoſeptimo vel talis ſenſus idem haberet organum cum paſſiuo, vel diuerſum: non primũ quoniam nequent ibidem locari virtutes contrariæ, quales viderentur eſſe ſenſus agens & patiens; ex primo enim de Generatione

Argumētũ. 6
Argumētũ. 7.
Argumentũ 8
Argumēt. 9.
Argumē. 10.
Argumē. 11.
Argumē. 12.
Argumē. 13.
Argumē. 14.
Argumē. 15.
Argumē. 16.
Argumē. 17.

& Interr. agere & pati ſunt contrariorum: non ſecundum; nam organi diuerſi ab illis, quę paſſiuis ſenſibus inſeruint, nullam mentionem fecit Ariſtoteles; nec illud ingenium valet excogitare.

Argumẽ. 18. Decimooctauo cuilibet ſenſui competere debet aliquod ſenſibile, quod nullum videtur poſſe competere ſenſui agenti; nam aut eſſet idem cum obiecto ſenſus paſſiui, quod videtur inconueniens, quoniam diuerſarum facultatum non vnicum, ſed diuerſa debent eſſe obiecta: aut diuerſum; quod eſſet inconuenientius; nam præter quinque genera ſenſibilium nullum aliud in natura apparet.

Argumẽ. 19. Decimonono adducuntur præter alias præallatas aſſertiones Ariſtotelis, eiuſdem verba in ſecundo de Anima tex. 59. vbi loquens de cauſis ducentibus animal ad actum ſentiendi, inquit quod ad actum primum ducitur a generante; actus vero ſecundi actiuam cauſam eſſe extra animal, ſcilicet in viſibili, audibili, & ſimilibus: indicans ſe non ſenſibus ſed ſenſibilibus omnem virtutem agendi attribuere.

Argumẽ. 20. Ac demum ipſemet Ariſtoteles in ſecundo de Anima tex. 62. alijſq; in locis aperte inquit quod ex ſenſibilibus reducitur ſenſus de potentia ad actum: quod non eſſet dicendum, ſi in ſenſu, & non in obiecto, agendi virtus ineſſet.

Affirmatiuæ partis. Ratio 1. Oppoſitum vero efficacius colligi videtur experientia, qua quiſque comperit ineſſe cuicumque ſenſui liberam, ac voluntariam quodammodo actiuitatem, per quam dum ſenſibili applicatur, eiuſq; aciem quodammodo in illud conuertit, validiorem, exactioremq; format ſenſationem.

Ratio 2. Conſimiliterq; in nobis ipſis reflexi decernimus fieri ſemper ſenſationem per iudicium quodam formatum ex noſtra facultate cognoſcitiua; quod eſt officium actiuum; nec id licet inficiari.

Ratio 3. Ad idemq; ellicitur comprobatio ex eodem fundamento, ex quo Ariſtoteles in tertio de Anima tex. 17. colligit neceſſitatem differentiæ agentis intellectiuæ: quia ſcilicet in omni natura eſt duplex hęc differentia, ſeu facultas, actiua nimirum, & paſſiua: vnde efficaciter infertur hoc de ſenſu, in quo non eſt minor ratio harum differentiarum, quam ſit in intellectu.

Ratio 4. Ac inſuper exploratur de hoc mens Ariſtotelis optime in verbis eiuſdem contextus, quibus concludit neceſſitatem harum differentiarum, non quidem in intellectu, ſed in anima, inde fortaſſe ſignificare volens: ſe non de ſola mente, ſed de quacunque anima eam duplicis differentiæ neceſſitatem ſtatuere.

Ratio 5. Accedit & efficax ratiocinatio: quia niſi daretur in ſenſu differentia agens, ſequeretur idem eſſe agens, & patiens; ac proinde in actu, & non in actu, ſeu in actu, & in potentia.

Euaſio. Euadere tentant aduerſarij dicentes impoſſibile eſſe idem agere & pati in actionibus vniuocis, vt ſcilicet idem ſit generans, & genitum; calefaciens, & calefactum: at id non inconuenire in actionibus æquiuocis, vt quod idem ſeipſum intelligat, amet, ac moueat; quodue recipiat, ac efficiat ſenſationem.

Impugnatio. At vanum videtur effugium; nam ſiue in vniuocis, ſiue in æquiuocis actionibus ſemper agere & pati ſunt incompoſſibilia: nec aliquis intelligit, vel amat ſeipſum directe, ſed actu reflexo, per quem reſpicit non ſeipſum formaliter, ſed ſpeciem ſeu actionem ſuijpſius: nec ue aliquod mouet ſeipſum abſolutæ; ſed ex octauo Phyſicorum ſuppoſitum ſeipſum mouens diuiditur in partem mouentem, & in motam: vt propterea ſi facultas animæ noſtræ debet in ſentiendo agere & pati, neceſſarium eſt vt prædita ſit duplici differentia, quarum vni agendi, alteri vero patiendi, atque recipiendi officium demandetur: vnde eſt quod Ariſtoteles in ſupercitato 17. textu tertij de Anima obſeruat in omni natura hanc duplicem differentiam requiri.

Ratio 6. Arguitur etiam ad idem ex tertio tex. libri 3. de Anima, vbi habetur pariter ſe habere ſenſum ad ſenſibilia vt intellectus ad intelligibilia; vnde quemadmodum ad hoc vt intellectus poſſibilis recipiat intelligibilia, neceſſaria eſt ſecundum Ariſtotelem differentia intellectus agentis a poſſibili diſtincta; conſimiliter & in ſenſu, vt per paſſiuam differentiam apræhendat, eſt neceſſaria differentia actiua.

Euaſio. Reſpondent aduerſarij regulam illam Ariſtotelis non inferre conſimilitudinem illarum potentiarum abſolute: ſed in eo tantum quod, eo modo quo ſenſus a ſenſibili, ita & intellectus patiatur ab obiecto intelligibili.

Impugnatio. Sed ita loquentes confirmant ſententiam noſtram, qua nil ab illorum gloſa recedentes ſuſtinemus quod, ſicut intellectus ab in-

telligibili

telligibili ita patitur, vt etiam ſecundum eius differentiam actiuam in ipſum agat; ita & ſenſus taliter a ſenſibili obiecto patiatur, vt in idem ſecundum eius differentiam agentem officium actiuum iudicando exerceat. Valide etiam eo arguitur *Ratio 7.* quoniam (vt docet Ariſtoteles in octauo Phyſicorum) quo perfectius, ac eminentius eſt agens, eo paucioribus eget medijs pro ſuis operationibus abſoluendis: vnde ſi aliqua potentia cognoſcens eximenda fuiſſet a neceſſitate huiuſmodi duplicis differentiæ: ea eſſet potiſſimum intellectiua: ſed etiam intellectiua facultas duplici ea differentia indigens reputatur: quare multo magis id eſt de ſenſu exiſtimandum. Nec *Euaſio.* dicatur pluribus ſubſidijs fulciendum fuiſſe intellectum quam ſenſum ob nobiliorem, ac magis arduam eius operationem, quatenus ad vniuerſalia; & abſtracta extenditur. Contra enim cum æque potens in ſuo genere, ac conſequenter in ſuum *Impugnatio.* obiectum ſit facultas intellectiua, ac ſit ſenſitiua, adeout quemadmodum ſenſus internus valet in obiectum, ſeu ſpeciem ſenſus externi, ita & intellectus apræhendere valeat obiectum phantaſiæ, ob ſubordinatam illam poteſtatem facultatum cognoſcentium, vt id ſemper cognoſcat ſuperior, quod inferior ei proxima cognoſcit: ideo ad quod valeret facultas ſenſitiua ſine differentia agente, abſque eodem adminiculo valeret & intellectus: Qui quamuis cognoſcat abſtracta, & vniuerſalia poſtquam illorum conceptus ſuo ſibi opere effinxerit: non minus tamen eget actione differentiæ agentis in anterioribus intellectionibus; quibus percipit entia vnà cum illorum ratione materiali; ac per conceptum ſingularem: vt conſimilem illius differentiæ neceſſitatem habeat ſenſus. Præterea quoniam, vt habetur in tertio de *Ratio 8.* Anima con:ex. 19. nobilius eſt agere quam pati; ac cum id ſemper ſit nobilius cuius operatio principalis eſt nobilior: ideo cum facultates animæ vegetatiuæ ſint in ſuis muneribus actiuæ; ſi ſenſitiuæ paterentur tantum; ſequeretur animam vegetalem ſenſitiuę in nobilitate præſtare. Prætermitimus nonnullorum comprobationem ex vſu loquendi, quo dicitur tactum tangere, auditum auſcultare, olfactum odorari, viſum inſpicere, ac intueri &c. Vnde ſignificari videtur actiuum quodam officium ſenſuum, & quod actum ſenſationis elliciant.

Contraria argumenta exiguo labore ſoluuntur: quoad primum enim dicimus *Sol. 1. argum.* quod Ariſtoteles (quamuis non expreſſe, implicite ſaltem) ſuam indicauit intentionem de ſenſu agente: dum ex fundamento communiſſimæ aſſertionis: quod in omni natura requiritur diſtinctio agentis & patientis, colligit hanc neceſſitatem de intellectu, qui eſt natura quædam eminens, & perfecta: ac proinde paucis medijs pro ſuis operationibus indigens: relinquens nobis directionem ad idem inferrendum etiam de ſenſu, iuxta regulam illam topicam: ſi de quo minus ineſſe videtur ineſt, ergo & de quo magis, etiam enim ſenſatio eſt opus in quo concurrit iudicium, ac conſequenter actio; quæ quidem non poteſt competere obiecto, illud enim ſeipſum iudicare non valet: vnde requiritur ſenſus agens: Cum autem ex fundamento illius regulę vniuerſalis ſufficeret Ariſtoteli inferre neceſſitatem differentiæ agentis in vnica natura tantum: ellegit potius id facere de natura intellectuali, quam de ſenſitiua rationabiliter ob nobiliorem conditionem ipſius differentiæ agentis intellectiuæ, ac illius actionis, cuius eſt rerum traductio, non tantum ad eſſe cognitum; ſed etiam ad eſſe abſtractum, & vniuerſale. Subſequenti dicimus non *Solutio 2.* tolli paſſibilitatem alicui ex ſenſibus ex eo quod attribuitur cuique ex eis ratione iudicij ad ſenſationem concurrentis differentia agens (formaliter diſtincta; at fundamentali ratione ſubiecti eadem) cum differentia paſſiua: quemadmodum nec tollitur eidem ſenſui facultas actiua, ſeu iudicatiua ex eo quod virtute alterius differentiæ creditur a ſuo obiecto paſſibilis. Conceſſio etiam ſenſus agentis non auget *Solutio 3.* numerum ſenſuum; cum ille non ſit alter ſenſus per ſe, & realiter a paſſiuo diſtinctus, ſed ſuperimpoſita differentia, ſeu potentia eiuſdem facultatis ſenſitiuæ, cui ineſt & differentia paſſiua: vnde quemadmodum dualitas pedum non multiplicat hominem ambulantem: ita ex multiplicitate potentiarum eiuſdem ſenſus non ſequitur pluralitas ſenſuum. Ad quartum libere negandum eſt quod valeat ſenſus *Solutio 4.*

Digitized by Google

abſque agente facultate ſuum munus exercere; nam (vt dictum adhuc eſt) pro ſenſatione requiritur actio iudicij circa obiectum ſenſibile, cuius cum efficiens, ſeu iudicans non poſſit eſſe ipſum obiectum iudicatum: nec ſenſus per differentiam paſſiuam: ad hoc ideo requiritur eiuſdem ſenſus differentia actiua. *Solutio 5.* Ad alterum dicimus aſſertionem illam Ariſtotelis in textu 138. non inferre inter ſenſum & ſenſibile vnitatem actus abſolute, adeout inter ea non amplius, quam vnicus actus intercedere valeat: ſed ſignificare tantum illorum communicationem in quocunque actu; adeout dum vnum ab alio recipitur, receptio illa non ſit duplex actus ob duplicitatem terminorum: & dum vnum ab alio iudicatur, vnicus ſit actus iudicij inter vtrunque tranſiens: vnde quia duo in ſenſatione concurrunt inter ſenſibile & ſenſum, ſcilicet iudicium, & receptio; duo inde intercedunt actus, quorum vterque eſt actus amborum terminorum, eo modo quo idem eſt motus agentis, & patientis: iudicandi ſenſus eſt agens, & ſenſibile eſt patiens; receptionis vero, ſiue motionis ſenſibile eſt agens, & ſenſus eſt patiens: Quæ quidem omnia ad vnguem etiam in intellectione, ſeu relatione intellectus cum intelligibili locum habent. *Solutio 6.* Ad ſubſequens reſpondemus quod, quia ſenſatio pariter vt intellectio hominis non eſt abſolute ſimplex; conſtat enim ex motione, ſcilicet, excitatione ab obiecto, ex iudicio ab eodē obiecto, ac ex ipſius receptione: propterea nō eſt aliena pluralitas efficientium, ac paſſiuorum, a quibus diſtinctim illi actus cauſentur; ac recipiantur. *Solutio 7.* Ad ſeptimum reſpondetur, ex poſitione differentiæ agentis non tolli ſenſationem eſſe actionem immanentem, quandoquidem remanet in eo ſenſu, a quo ſenſus agens, pariter ac differentia patiens, non diſtinguitur eſſentialiter; ſed eſt ipſiuſmet cognoſcitiuæ facultatis differentia, ſeu potentia pro actiuo officio exibendo ei inſeruiens. *Solutio 8.* Ad aliud dicimus quod accipiendo, ſentire, pro toto aggregato ex iudicio, quod ſit de obiecto, ac ex obiecti receptione: vere dicitur quod proprie, & formaliter ambos illos actus continet: cum vero dicitur quod in actionibus immanentibus idem poteſt eſſe productiuum, & receptiuum: ſi intelligatur quod hoc poſſit idem per diuerſas differentias, & potentias: concedimus, ſi vero dicatur quod id poſſit abſque diſtinctis facultatibus, negamus; etiam enim ſenſum addictum putamus eidem præſcripto Ariſtoteles in tertio de Anima, quod in omni natura requirantur diſtinctæ differentiæ ad agendum, & patiendum. *Solutio 9. aliorum.* Alteri, qui ponunt ſenſum agentem non ſentientem, reſpondent cum ſupradictis eo modo, vt aſſignatum eſt ſuperius: Et addunt quod non cognoſcens quatenus non cognoſcens, eſt ſemper ignobilius cognoſcente: at ſecundum aliam rationem ſuæ eſſentiæ poteſt eſſe nobilius cognoſcente; eo modo, quo Cæleſte corpus præciſo motore, quamuis non cognoſcens, eſt tamen nobilius muſca, & planta, vt docet Philoſophus in ſecundo Phyſicorum contex. 45. *Inuaſio* Et quia obijci ſolet eis quod illud genus, cuius optimum eſt præſtantius optimo alterius generis, eſt nobilius illo alio genere ex Ariſtotele in tertio Topic. Vnde quia optimum in genere cognoſcentium eſt ſupremum mouens præſtantius omnium de genere non cognoſcentium: videtur quod: muſca, quæ eſt cognoſcens ſit nobilior cæleſti corpore non cognoſcente: *Defenſio.* Improbant iure vim huius argumentationis; pariter enim è contra licet arguere quod cum primus motor, qui eſt optimus in genere ſubſtantiarum etærnarum, ex quibus eſt Cælum, ſit præſtantius optimo de genere corruptibilium, ex quibus eſt muſca, proinde Cælum eſt nobilius muſca. Inſuper quoniam per talem modum ratiocinandi æque colligeretur quod ſenſibile non ſit principium actiuum ſenſationis: quoniam enim de genere actiuorum eſt primus motor nobiliſſimus omnium de genere non actiuorum, ex quibus eſt ſenſus paſſiuus: ideo ſi obiectum ſenſibile eſt actiuum ſenſationis, erit nobilius ſenſu: quod non eſt dicendum. Ad vim autem argumentationis reſpondent verum eſſe quod id genus, cuius optimum eſt præſtantius optimo alterius generis, ſecundum ſe totum eſt nobilius eo genere ſecundum illam conditionem, ſecundum quam operatur: at ſecundum aliam rationem non eſt inconueniens vt ſit ignobilius id, quod in illo reſpectu erat nobilius; vt muſca, quæ nobilior erat Cælo in ra-

Digitized by Google

lo in ratione cognoſcentis ſit illo deterior quatenus eſt ſubſtantia corruptibilis: Addunt regulam illam verificari in ſpeciebus ſpecialiſſimis eiuſdem generis, quarum indiuidua ſunt æqualis perfectionis: vnde quia optimus homo præſtat optimo boue; ideo totum genus hominum nobilius eſt toto genere bouum: id autem non verificari de his, quæ ſunt in genere æquiuoco, vel analogico, vt cognoſcentia; ac illa quæ ſunt de genere actuum: ex quibus propterea primus motor eſt vtique omnium nobiliſſimus: at accidens ſenſibile, quod eſt eiuſdem generis actuum, non eſt nobilius quam ſenſus, qui eſt de genere paſſiuorum, & exiſtentium in potentia: Dici etiam poteſt quod illa, quæ ſunt de genere, cuius aliquod eſt nobilius quocunque alio alterius generis, habet quidem nobiliorem conditionem, quam quodlibet illius alterius generis ſecundum rationem generis: at non inconuenire quod ratione alterius conditionis ſibi propriæ aliquid præualeat alteri, cui cedebat in ratione generica. Verum quia nos concedere non audemus quod ſenſus agens ſit abſolute non cognoſcens: idcirco tutius occurrendum putamus ad argumentum principale dicendo, quod vtraque differentia ſcilicet agens, & patiens ſentit: at non per ſe, & præciſe: ſed quatenus eſt ratio ſentiendi, nempe iudicando, vel recipiendo, illi facultati ſenſitiuæ, quæ proprie ſentit, ac cuius eſt differentia: ac ideo nulla ipſarum eſt ſuperflua; cum vtriuſque officium, iudicandi videlicet, ac recipiendi ad perfecte ſentiendum, ſit neceſſarium. Quod vero omnis ſenſus patiatur; dico eſſe verum de ipſomet ſenſu formali; non autem de illius potentia, ſeu differentia, qualis eſt differentia agens, quæ tantum eſt ratio agendi in ſenſatione: nec poteſt dici quod patiatur, niſi fundamentaliter, quatenus ſcilicet illius ſubiectum, nimirum ſenſus patitur: vnde non ſequitur ille infinitus proceſſus in patiendo. *Auctoris reſponſio.*

Quoad decimum argumentum dicimus quod refragaretur quidem aſſertioni illi Ariſtotelis facultas aliqua ſenſitiua, quæ reciperet obiectum vnà cum materia: ac etiam facultas principalis, nimirum ipſemet ſenſus, quæ non eſſet receptiua: at de differentia ſenſus agente, quæ non eſt ipſe ſenſus, cui proprie id officium ſpectat, non eſt neceſſarium quod per ſe recipiat: niſi dicatur id facere, quatenus recipit ſenſus, cui ipſa vt ſui fundamento eſſentiali inexiſtit: cui non recipiendi, ſed agendi (ſcilicet iudicandi) eſt principium: Adde quod nec differentia patiens per ſe, & præciſe eſt receptiua: ſed tantum eſt ratio, per quam ipſe ſenſus recipit. *Solutio 10.* Ad alterum reſpondemus quod viſibilitas coloris (verbum recte ponderantibus) apparet non aliud ſignificare quam diſpoſitionem, ſeu habilitatem vt poſſit videri: quam ſatis ex ſe habet, dum valet immutare perſpicuum, & deuenire ad ſenſum, a quo quidem non recipit talem vim: ſed ipſam ex ſe habet: vnde recte dicitur per ſe viſibilis: differentia vero, ſeu facultas agens non fert opem colori, ſed ipſi viſui ad colores inſpiciendos, & iudicandos, quod nil officit perſeitati viſibilitatis eorum. *Solutio 11.* Ad ſubſequens reſpondemus quod id ſubiectum dicitur eſſe in potentia eſſentiali, quod ex agente per ſe redigitur ad actum primum; non ita autem ſe habet id, quod ex agente per ſe reducitur tantum ad actum ſecundum, eo modo, quo ſenſus ex eius differentia agente reducitur ad ſenſationem. *Solutio 12.* Alteri reſponderi ſolet definitionem illam potentiæ prolatam fuiſſe tantum de potentijs Phyſicis, quarum actio tranſit in externam materiam. Cui addimus eandem conditionem competere etiam (quamuis analogice) ſenſui agenti, qui modo ſibi proprio agendo in obiectum ſenſibile tranſmutat intentionaliter ipſum ex eſſe reali ad eſſe cognitum, ideſt abſtractum a materia, ſine qua eſt a ſenſibus receptibile. *Solutio 13.* Reſpondetur ad aliud quod vt ſenſus imitetur intellectum requirit differentiam agentem conuenientem etiam intellectui, qui quamuis in citato loco dicatur paſſiuus: hoc fit ad ſignificandum quod non eſt abſolute agens; nam etiam dum agit actum intellectionis elliciendo, tunc adnexam habet paſſionem, quatenus eundem actum intellectionis recipit; & antea ab obiecto intelligibili excitatur, ac mouetur. *Solutio 14.* Ex verbis illis Ariſtotelis in Problematibus non aliud ellicitur, niſi quod ſenſus ſit facultas paſſiua ab obiecto: ex quo tamen non tollitur quin in idipſum iudicando agat. *Solutio 15.* Ad 16. re- *Solutio 16.*

ſpondemus quod ſicut ſenſus eſt vnus in genere multas ſub ſe ſpecies ſenſuum continens, ita & ſenſus agens, qui eſt illorum differentia multiplicatur ad numerum ſenſuum; nec obſtat littera illa ſecundi de Anima tex. 128. ex qua determinatur quod non ſit maior numerus ſenſuum principalium, & proprie ſentientium: nec inde negatur ſenſibus propriæ illorum differentiæ, per quas ad ſuas abſoluendas ſenſationes agere, & pati valeant. Idem autem ſenſorium vtrique differentiæ miniſtrat: quæ quidem differentiæ non ſunt contrariæ quinnimo ſubordinatæ, & ſibi mutuo inſeruientes: contraria enim ſunt ea, quę in ſe inuicem agunt, & patiuntur; quod abeſt a differentijs agente, & patiente ſenſus: ambo enim habent pro termino obiectum; circa quod illa agit iudicando, hec patitur recipiendo: Sed dices: hec differentia agit in obiectum; ergo eadem ratione neceſſariæ contrarietatis inter agens, & patiens contrarium ei erit obiectum; ac proinde non poterit recipi in ſenſu, cui ipſa differentia agens ineſt. Reſpondebitur quod vtique obiectum ſenſibile nondum cognitum contrariatur ſenſui agenti ſecundum illam contrarietatem largo modo ſumptam, per quam ſemper agens agit in paſſum, vt illam ſuperet, & ipſum patiens ad ſui ſimilitudinem redigat: & obiectum iam ſuperatum, & redactum ad eſſe cognitum, nullam amplius habet ſimultatem, vel incompatibilitatem in ſubiecto cum ſenſu agente: vt optime cohærere non valeant. Ad decimum octauum reſpondetur quod quemadmodum idem obiectum intelligibile correſpondet agenti, atque patienti differentiæ intellectus, ita & idem ſenſibile eſt obiectum vtriuſque differentiæ ſenſitiuæ; quæ quidem quamuis ſint diuerſæ formaliter, ſunt tamen idem fundamento, & opere; eidem ſiquidem ſenſationi vtriuſque officium conſpirat, vt non ſit mirum ſi circa idem obiectum verſentur. In textu vero 59. ſecundi de Anima ſatis fuit Ariſtoteli docere variam conditionem facultatis ſentientis a vegetali, quæ eſt ſuorum munerum principium ſemper actiuum; vbi ſenſitiua etiam ab exteriori obiecto patitur: ex quo tamen non tollitur, quod etiam circa illud obiectum agat. Poſtremum prætermiſſis quę ab alijs dicuntur, nil vrgere videtur; verum enim eſt quod ſenſus redigitur ad actum a ſenſibilibus: nec id negari debet a concedentibus quod ſit facultas paſſiua: cum hoc tamen ſtat, quod etiam ſenſibile reducatur ad actum actualis ſenſationis ab ipſomet ſenſu, qui per actiuum officium ipſum iudicando, ac formando actum ſenſationis, ſeu ſpeciem ſenſibilem, det ei vim, vt poſſit immutare, ac ingredi ſenſum.

Solutio 17. *Inſtantia.* *Solutio* *Solutio 18.* *Solutio 19.* *Solutio 20.*

Quæ ſit Natura Intellectus agentis ſtatuitur. *Cap. IV.*

STatuta neceſſitate Intellectus agentis: ac in eius gratiam agentis etiam ſenſus conſimili neceſſitate patefacta, quod proxime circa ipſum agentem intellectum expetitur eſt quid ſit: cuius rei veritas varietati iudiciorum, controuerſiarum, ac deceptionum inuoluta, vt clarius eiectis erroribus enniteſcat, in alijs opinionibus recolendis, vt obſoletæ quædam Academicorum excogitationes prætermittantur; qui ſituantes in rerum ſerie ſub Deo Mentem non participatam, ac ſub ea Mentem ab anima participatam: ſtatim rationalem animam in ſe manentem: ac ſubinde animam rationalem progreſſam: ſub qua ſint Natura, ac materia: alij mentem participatam, alijue Rationalem animam in ſe manentem poſuerunt intellectum agentem: ſed Peripateticorum opiniones obſeruando: quinque principales inueniuntur: Prima Alexandri in primo de Anima capite de Intellectu Agente aſſerentis intellectum agentem eſſe Deum, vt poſuit etiam Priſcianus Lydus, ac præter alios Zabarella in eius libro de Mente Agente præcipue in cap. 13. Secunda Græci cuiuſdam, qui Marinus appellabatur, de quo refert Philoponus in tertio de Anima eum exiſtimaſſe ſubſtantiam quandam abſtractam, quam Auicennas eiuſdem ſententiæ amplexator in lib. Natural. part. 5. ac in nono Metaphis. cap. 4. vocabat Colchodeam; quod idem ſtatuit Auempace in Epiſtola

Platonica opinio. *Quinque Peripateticorũ opiniones.*

Epiſtola de luce: Auerroes etiam in Epitome Metaphyſ. tract. 4. nec non Thomas Cardin. Gaietanus: Tertia putans ipſum internum animæ noſtræ, ſed diſtinctum eſſentia ab intellectu poſſibili, quoniam ex ipſo poſſibili, & agente, tanquã ex ſubſtantijs diuerſis ſe habentibus vt materia, & forma, conflatus ſit intellectus: ex quibus fuit præter alios Zimara theorem 41. & duodecimo Metaphiſ. 17. ac Plotinus addens intellectum agentem ſemper in nobis intelligere, poſſibilem vero quandoque non agere. Quarta ponens ipſum idem cum poſſibili nedum eſſentia; ſed abſolute; adeo vt non diſtinguantur niſi ratione: quę fuit Sueſſani libro primo de Intellectu tract. 4. cap. 21. & aliorum quamplurium: Ac Quinta M. Alberti in ſumma de Homine tract. de Intellectu Agente quæſt. 6. D. Thomæ in prima parte quæſt. 54. art. 1. ac quæſt. 79. art. 4. & 10. in ſecundo Sent. diſt. 17. quæſt. 2. artic. 1. ac in tertio eiuſdem diſt. 14. quæſt. 2. artic. 1. ſuper tertium de Anima cap. 3. & alibi; innumerabiliumque illos ſectantium, & aſſerentium ipſum eſſe facultatem eandem quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad realitatem formalem diſtinctam a poſſibili. *Primæ opinionis.*

Ex quibus iam primam exacta confutatione reiecimus in Quæſtione de Immortalitate animæ. cap. 4. & iure quidem; quoniam haud deceret nobiliſſimum, ac omnium ſupræmum agens, qui communis, ac eminentiſſima eſt rerum cauſa, ſingularibus hominum intellectionibus famulatum præbere: Nec minus exinde dedecus nobis emergeret, quando cum reliqua naturalia agentia ad ſuas actiones per ſe valeant; nec auxilium a primo motore, niſi vt a cauſa omnium communi recipiat, vt ignis vrens, animal generans, planta germinans, atque alia huiuſmodi: ſola facultas noſtra intellectiua totalem vim ſui muneris actiuam in illa prima ei extrinſeca cauſa repoſitam haberet. Inſuper cum intellectus in libris de Anima conſideretur vt forma & actus corporis noſtri phyſici: ideo ſi ille eſſet Deus, ſequeretur vt nos, quibus ex ipſo intellectu primus, & ſecundus actus dependet, Dij eſſemus. Quod confirmant verba Ariſtotelis in tertio de Anima tex. 20. dum agens de ipſo intellectu, cum dixerit: hoc ſolum eſt immortale, & perpetuum, ſubinfert (Non reminiſcimur autem) ſignificans nos eſſe intellectum illum per quem ſuperſtitem non reminiſcimur: Quiaue intellectus agens in decimoſeptimo tex. dicitur differentia animæ noſtræ, qualis non eſt Deus: Nec dicatur eſſe differentiam animæ quatenus adiuuat illius intellectionem: Nam e contra differentia animæ debet eſſe in anima nedum quoad actum ſecundum, ſed quoad actum primum; differentiæ enim ſe habentes vt actus & potentia, eiuſdem generis eſſe debent: vt cum intellectus poſſibilis ſit animæ eſſentialis, idipſum eſſe debeat de agente: De quo inſimul ac de poſſibili Ariſtoteles agendum proponens in proæmio libri 3. inquit (De parte autem animæ) Propterea in textu 20. inquit quod abſque intellectu paſſiuo nihil intelligit: quod falſo dictum eſſet de Deo, cui non deeſt intellectio præter hanc noſtram coniunctionem ab illis excogitatam: Et dicere intellectum agentem vniri nobis tantum per effectum actionis, idem eſſet, ac dicere lumen ſolis, ac pariter obiectum ſenſibile eſſe differentiam agentem ſenſus, & intellectus: Nec in noſtra libera poteſtate eſſet intellectio, quando non ex aliqua parte noſtri dependeret, ſed ex Deo: Nec tutum erit reſpondere quod conſpiratio actionis diuinæ intellectioni noſtræ nunquam deeſt: Cum enim Deus ſemper in hoc indifferenter ageret, ſequeretur nos ea ſemper intelligere, quorum phantaſmata, ac ſpecies habemus: Nec dicas ad intellectionem requiri præter actionem diuinam etiam electionem noſtram; Electio etenim, actio ac voluntas conſiſtit in facultate agente, quæ ſi non eſt in nobis, non relinquit nobis alicuius actus electionem. Nec recte Ariſtoteles in textu 66. primi de Anima dixiſſet quod ſecus ac operatio intellectus, quæ marceſſibilis eſt, intellectus fortaſſis eſt quid diuinum, & impaſſibile; non enim licebat vti ea vocem (fortaſſis) quæ dubitatiua eſt, dum de ipſius Dei impaſſibilitate, ac diuinitate determinaretur: Fundamenta huius opinionis prædicto loco diluimus.

Reprobatio. *Fundament 1.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Secunda autem opinio, quæ fuit Marini, Auerrois, & aliorũ partem confutationis habet in reiectione præcedentis: plurimum in 5. capite præallegatæ Quęſtionis; *2. Opinis Reprobatio. Fundam. 1.*

quamuis

quamuis ibi de intellectu poſſibili præſertim actum fuerit, alijſq; adhuc validiſſimis rationibus vrgetur: Nec enim decet, eminentem, abſtractæ intelligentiæ conditionem hominibus ad actus particulares miniſtrare. Nec tanta imbecillitas eſt humano intellectui attribuenda, vt nequeat ex ſe, ſaltem vt cauſa proxima, ſuas edere operationes: ſed omnem actiuam cauſalitatem aliunde expectare debeat: quod non contingit igni, & ſimilibus, quæ recepta tantummodo: vi a cauſa vniuerſali, proxime, & per ſe calefacere, alioſq; eorum effectus edere valent. Nec licuiſſet Ariſtoteli ſeparatam intelligentiam vocare partem animæ, vt de intellectu fecit in proœmio tertij lib. vel illius differentiam, vt in textu 17. Inualida reſponſione, quod pars, ſeu differentia animæ ſit ipſius intelligentiæ, non eſſentia, ſed actio; quod modo a nobis impugnatum eſt. Euertereturq; pariter libera poteſtas noſtra ad intelligendum; dum actiuam (etiam proximam) cauſam extra nos haberet. Et nos operationum noſtrarum eſſemus tantum virtutes paſſiuæ, ac receptiuæ: non actiuę vt ſunt entia viliora: Et talis abſtracta ſubſtantia vel in noſtra intellectione intelligit, vel non: ſi non; ergo non erit apta ad actum intellectionis eliciendum, & intelligibilem ſpeciem conſtituendam: ſi ſic; tunc recipiet ſpeciem intelligibilem; ac proinde erit agens, & poſſibilis: ac inſuper quam ſpeciem inijcere ei valet phantaſma, poterit etiam intellectui noſtro imprimere: vnde ille ſuperuacaneus erit. Intelligere etiam niſi ex principio, ſeu forma nobis propria, & intrinſeca prodiret, non eſſet operatio hominis, vt eam eſſe determinat Ariſtoteles in primo de Anima textibus 12. ac 64. qui etiam in proœmio tertij lib. ait: per intellectum intelligere, & ſapere (animam). Poſtquam ue in proœmio ſecundi de Anima propoſuiſset communiſſimam animæ definitionem afferre, definiuit eã in tex. 3. per Actum corporis phyſici: vnde ſi intellectus eſt ab illa definitione compræhenſus, non eſt ſubſtantia abſtracta. Ac in 12. Metaphiſices textu 17. mentem abſque diſtinctione agentis a poſſibili connumerat inter formas. Quod ſi intellectum agentem ſubſtantiam abſtractam reputaſſet; poſtquam de illo in libris de Anima diffuſe tractaſſet, non ſupererat occaſio in ſeptimo Metaphis. contex. 6. ac in lib. duodecimo contex. 29. proponendi inquiſitionem: an præter ſenſibiles ſubſtantias aliqua ſeparata reperiatur. Sed magis vrget littera textus eiuſdem operis 43. in qua determinat, tot eſſe ſubſtantias abſtractas, quot ſunt Orbes Cæleſtes ab eis mobiles: ex his autem non poteſt noſter intellectus agens eſſe intelligentia ſuprema, vt modo probatum fuit: nec aliqua ex inferioribus; quæ cum ſint virtutes particulares, quarum quælibet ad proprij orbis lationem eſt deſtinata; propterea nequent ſe extra genus ſuæ operationis extendere. Vanum eſt reſpondere quod etſi non expreſſe commemorauerit, implicite ſaltem compræhendit Philoſophus intelligentiam humanam ſub tractatione de Intelligentijs Cæleſtibus, cum quibus habet genus commune: Si enim talem etiam intelligentiam ex illorum genere, ac numero crediddiſſet; vtique de hoc mentionem feciſſet ſaltem vt differentem eius conditionem a Cæleſtibus declaraſſet: quod eo minus fecit, quod quinnimo expreſſe locutus eſt de intelligentijs Cælos mouentibus: vnde eſt quod illas inueſtigat ex medio motus æterni, eaſq; cognoſcit vt vnius, continui, regularis, ac perpetui motus ſunt cauſæ, quod menti humanæ non competit. Vanum eſt pariter dicere quod illuc inter Orbes Cæleſtes admiſerit Philoſophus ſphæram humanam: Repugnat enim ſubſequens textus 44. in quo ſubinfertur: numerum orbium petendum eſſe ab Aſtrologis; qui quidem ſphæram hanc humanam, nec ſomniarunt: Oppoſitæ vero rationes hanc opinionem fouentes in eadem Quæſtione de Immortalitate animæ cap. 5. ſolutæ fuerunt.

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Tertia opinionis Reprobatio. *Fundamẽt.* 1

Tertiæ etiam opinioni, Plotini ſcilicet & aliorum, ratio & Ariſtotelis dicta valde repugnant. Vt enim naturæ in efficiendo, ita & Phyſico in opinando abſurdum eſt res ſine neceſſitate multiplicare: vnde cum in vnica intellectus eſſentia per ſolam diſtinctionem potentiarum ſaluari poſſint omnia, quę ad intellectum pertinent: non eſt ponenda hec eſſentiarum multiplicitas. Cum enim forma quælibet

2.

naturalis

naturalis per ſimplicem eſſentiam ſit principium ſuarum operationum: Eiam ſcilicet in Mixto, cui quamuis actualiter inſint formæ quatuor elementorum: quintam tamen formam, nempe talis mixtę naturæ habet per quam operatur: non ideo videtur intellectui talis compoſitio attribuenda. Quam quidem reprobauit Philoſophus in ſecundo de Anima, vbi cum in 2. textu diuiſiſſet ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum, ſubinfert in textu 4. animam non eſſe ſubſtantiam, quæ eſt materia, nec compoſitum: ſed eſſe ſubſtantiam, quæ eſt forma, & actus; ac proinde tanquam ſpecies corporis phyſici potentia vitam habentis: Et cum diſtinctio agentis, ac poſſibilis differentiæ æqua ratione intellectui, ac ſenſui ſpectare videatur, colligaturq; ex 2. ac 3. contex. tertij de Anima: ideo ſi ſenſus per ſimplicem eſſentiam, ſola virium diſtinctione iudicare, & recipere poteſt: idipſum & intellectus; per ſimplicem eſſentiam habebit. Eoq; magis quod in quacunque natura vnica actio formam vnicam, & non plures, pro ſua cauſa requirere ſolet: & actio vnica eſt intelligere. Pariter, & cum intelligentijs ex corpore non pendentibus etſi non vniuocam, analogicam tamen rationem intellectus habet communem: vt ideo quemadmodum illæ non habent ſuam ſubſtantiam ex duabus eſſentijs conflatam; idipſum & de humano intellectu eſt cenſendum. Inſuper quoniam per talem poſitionem diſtinctæ illæ eſſentiæ intellectus agentis, & poſſibilis, tanquam actus, & potentia in vnius ſubſtantiæ intellectiuæ conſtitutionem concurrerent: vnde ſequeretur intellectum poſſibilem non poſſe informare hominem; quemadmodum enim materia ignis non eſt apta informare alterum corpus, ea ratione, quia perfectibile non poteſt perficere, recipiens non poteſt eſſe receptibile, & potentia nequet eſſe actus: pariter & intellectus patiens, qui tanquam potentia ſubiret agentem, & ab illo perficeretur, non poſſet eſſe humani corporis actus: Vnde definitio animæ, quod ſcilicet ſit actus corporis phyſici, quæ verificari debet de tota anima; non eſſet vera niſi de parte tantum, nimirum de agente: Quare concedendum eſt patientem intellectum non eſſe in potentia ad eſſe; ſed eſſe eiuſdem eſſentiæ cum agente. Vnde eſt quod Ariſtoteles de intellectu loquens nunquam talis pluralitatis eſſentiæ ſignum dedit: ſed ſemper eum vt ſingularem memorauit: In proœmio enim tertij de Anima propoſuit agendum, non de partibus: ſed de *parte* animæ: de qua etiam ſingulariter loquendo in textu 17. oſtendit duplicem ei differentiam competere, ſic in primo de Partibus Animal. cap. 1. inquit Mentem, non eſſe phyſicæ conſiderationis: ac in ſecundo de Generatione Animal. cap. 3. ait Mentem deforis aduenire: pariter & in 20. textu tertij de Anima quamuis ſtatuiſſet immortalitatem intellectus agentis, ac etiam poſſibilis; concludit tamen vnius tantum ſuppoſiti immortalitatem his verbis *Separatus autem eſt ſolum hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, & perpetuum*. Nec demum intelligere eſſet actio immanens, vt aſſeruit Philoſophus in nono Metaphiſicorum 16. niſi principij agentis, & recipientis intellectionem eadem eſſet eſſentia.

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Nec vim habet illius ſententiæ fundamentum dum arguitur: id quod conſtat ex duobus, quorum vnum eſt purus actus, & aliud eſt pura potentia, eſt ex eis compoſitum vt ex partibus eſſentialibus: Sic mens humana conſtat ex intellectu agente, qui eſt actus purus; nam in tertio de Anima 19. intellectus ipſe agens dicitur eſſe ſubſtantia actus; ac ex poſſibili, qui eſt pura potentia; cum de illo habeatur in eodem opere textu 5. quod nullam habet naturam niſi quod eſt poſſibilis: quodue nil eſt actu eorum quę ſunt antequam intelligat: Quare videtur ex his vt partibus eſſentialibus conflata. Reſpondetur enim regulam minoris propoſitionis verificari de his, quę habent actum & potentiam ad eſſe reale: non autem de his, quę illam habent quoad eſſe intentionale, ſeu ſpirituale, quemadmodum intellectus poſſibilis, qui neutiquam eſt in potentia eſſentiali, & ad actum primum: ſed tantum eſt in potentia ad eſſe cognoſcitiuum, quod eſt actus ſecundus, ſcilicet receptio intelligibilium: & cum in illo 19. tex. dicitur intellectum agentem eſſe ſecundum ſuam ſubſtantiam actio; non eſt intelligendum vnà cum Zabarella in libro de Mente agente cap. 11.

Argumētū. 1. *Solutio*

te cap. 11. quod talis ſit in primo modo per ſe; adeout actio ſit idem cum eius eſſentia, vt eſt in ſubſtantijs omnino abſtractis: ſed intelligendum id eſt quoad ſecundum modum per ſe; vt ſcilicet eſſentiam intellectus agentis tamquam accidens inſeparabile ſequatur agendi facultas: quod enim intellectus agens ſit ſecundum ſubſtantiam actio adduxit ibi Philoſophus ad probandum ipſum eſſe ſeparatum, immixtum, & impaſſibilem; quas tres conditiones cum antea oſtendiſſet de intellectu poſſibili, eaſdem tunc per hoc medium probauit etiam de agente ea ratione quod agens eſt ſemper nobilius patiente: vnde cum illæ conditiones conueniant poſſibili; longe magis debeant agenti intellectui competere: Quare non videtur colligi exinde poſſe diſtinctas illorum eſſentias; vbi potius ex illorum prædicatorum communicatione identitas etiam eſſentiæ ſuadetur.

Inſtantia. Nec valet obiectio quod cum tres illas conditiones, nimirum inpaſſibilitatem, immixtionem, ac ſeparabilitatem probet Philoſophus competere agenti intellectui, eoquod conueniunt poſſibili: ſi illi ſint eiuſdem eſſentiæ, ſequitur vt idem per idem oſtendat.

Dilutio. Quamuis enim eandem habeant eſſentiam; non tamen ibi conſiderantur ſecundum eſſentiam; quæ non eſt Phyſici muneris, vt habetur ex primo cap. primi de Part. Animalium: ſed tantum conſiderantur ſecundum illorum rationem poteſtatiuam, ſecundum quam cum propriè diſtinguantur agens, & patiens intellectus, iure propterea de ipſis vt diſtinctis agitur, & abſque errore vnum ex altero infertur.

Inſtantia. Nec inſtet aliquis, quoniam non poteſt identificari cum actu id, quod eſt mera potentia: Et talis videtur eſſe intellectus poſſibilis; nam quod eſt actus, vel actu, debet actiue concurrere ad aliquam operationem, quod ipſe non facit niſi prius ab intellectu agente ſit conſtitutus in actu.

Dilutio. Reſpondebitur namque intellectum poſſibilem non eſſe puram potentiam in ratione eſſendi; ſed tantum in ratione intellectionis: quam quidem rationem potentialitatis, & poſſibilitatis ſubit non quidem per ſuam ſubſtantiam, cuius eſt per agentem eius differentiam etiam, agere: ſed tantum per præciſam rationem poteſtatiuam differentiæ poſſibilis, ſecundum quam ſolam ab agente diſtinguitur.

Argumen. 2. Arguitur deinde quoniam ſecundum Ariſtotelem in textu 17. tertij de Anima ita agens, & patiens ſunt in anima, vt in quacunque natura: ſed in alijs naturis agens & patiens realiter diſtinguuntur; renuente natura quod quicquam agat in ſeipſo; vnde & in ſeptimo, ac octauo Phyſic. docet Philoſophus nullum ſimplex mouere ſeipſum, ſed quicquid mouetur ab alio moueri: quod de anima ſpecialiter docet in primo de Anima diſputans aduerſus eos, qui dicebant: animam mouere ſeipſam: Quare & in anima, ſeu in intellectu agens, & patiens debent eſſe diſtincta.

Solutio. Cui reſpondetur non vtique poſſe idem propriè, & directe agere in ſeipſo: at intellectum agentem non agere in poſſibilem directe, ſed tantum reflexe, remote, ac per accidens, quatenus ſcilicet agit in obiectum, quod deinde poſſibilem mouet dum ab illo recipitur: non enim illæ duæ differentiæ agunt, ſeu patiuntur inter ſe: ſed vtraque ex eis verſatur circa aliquod tertium, quod eſt obiectum intelligibile.

Argumen. 3. Præterea, vt in intellectibus abſtractis arguitur illorum diſtinctio, ac numerus ex varietate operationum; ita ex varijs actionibus humani intellectus eius pluralitatem inferre debemus: vnde cum varia ex illo officia procedant; varietas illius eſſentiæ ſit concludenda.

Solutio. Huic rationi, quæ fuit Zimaræ in Theorem. 41. reſponderi ſolet negando æqualem diſtinctionem, numerumq; cauſarum, & effectuum; quemadmodum vegetatio, nutritio, ac generatio, quamuis diſtincti effectus, ex eadem tamen eſſentia animæ vegetalis, ſola diſtinctione formali potentiarum procedunt. Cui adderem arguere quidem diſtinctionem realem, atque eſſentialem principiorum actiones abſolute diſtinctæ, ſeu diſtincti generis: at actiones duarum facultatum intellectus non ſunt diſtincti generis, nec abſolute diſtinctæ: ſed adeo connexæ rationis, vt ad eandem operationem intelligendi conſpirent: Quare diuerſas eſſentias cauſarum arguere non debent.

Innitun-

Digitized by Google

Innituntur etiam primis verbis tertij lib. de Anima, ſcilicet: *De parte autem animæ* afferentes non poſſe eſſe (iuxta illa verba) partem animæ intellectiuæ, niſi ipſa anima intellectiua conſtet ex partibus, quarum vna ſit materialis, & potentia; aliauè ſit formalis, & actus. Reſponderi ſolet facultates animæ vocari ipſius animæ partes non quidem eſſentiales, ſed poteſtatiuas; quia ſcilicet ſunt partes omnium virtutum, ac potentiarum animæ. Cui adderem in adductis verbis tertij de Anima non ſummi intellectum per diſtinctionem agentis à poſſibili, ſed ipſum intellectum in communi, vtramque differentiam compræhendentem, qui eſt pars animæ deſumptæ pro toto aggregato ex anima intellectiua, ſentiente, ac vegetali, ex quibus eidem ſuppoſito inexiſtentibus, ac præbentibus eſſe, vna quædam animæ ratio coaleſcit, cuius pars ipſe intellectus iure nuncupatur. *Argumen. 4.* *Solutio*

Arguitur adhuc, quod ſi intellectus eſſet ſubſtantia ſimplex nullam habens compoſitionem ex potentia, & actu, deberet intelligere ſeipſam per ſuam eſſentiam, vt faciunt intelligentiæ abſtractæ, quarum non diſtincta ſunt intelligens, intellectio, ac res intellecta ex 15. textu tertij de Anima: nec tamen mens noſtra aliter quam per ſpecies aliorum intelligibilium ſe intelligit. Cui reſpondemus illa intelligere ſeipſa per ſuam eſſentiam, quæ ita ſimplicia, & ſine materia ſunt, vt nullam cum materia, ſeu materiali natura habeant connexionem; vt perfecte ſe habet de abſtractis intelligentijs cælos mouentibus, quæ per propriam eſſentiam cognoſcunt: Intellectus autem humanus quamuis ſit ſubſtantia ſimplex; corpus tamen informat, complicatuſq; eſt ſenſibus, ex quorum miniſterio in intelligendo dependet, ac ideo ex aliorum ſpeciebus, & non per propriam eſſentiam cognoſcit. *Argumen. 5.* *Solutio*

Addunt intellectum agentem ab Ariſtotele in illo 17. textu explicari exemplo luminis, & artis: vnde cum lumen ſit quid diſtinctum à colore, & à ſenſu; & ars ſit diuerſa à materia, in qua agit: ita & intellectus agens à poſſibili debet eſſe diſtinctus. Reſponſio eſt exemplorum non requiri conſimilitudinem abſolutam; ſed ſufficere conuenientiam in eo, ob quod ſit comparatio, quæ vt propoſito inſeruit, eſt quod, quemadmodum in exercitatione artificiali eſt artifex, & artefactum, ſic in intellectione differentia agens, & patiens concurrant; ſicutue lumen viſibiles reddit colores, ſic intellectus agens phantaſmata ad intelligibilem conditionem redigat: nec aliquid ad illam comparationem refert, quod differentiæ illæ eiuſdem eſſentiæ, vel diſtinctæ ſint. *Argumen. 6.* *Solutio*

Inſuper, & eſt argumentum Zabarellæ in libro de Mente agente cap. 10. Si Ariſtoteles exiſtimaſſet eos duos intellectus eſſe idem, non probaſſet in tertio de Anima dari intellectum agentem ex eo quod datur poſſibilis, veluti vnum ex alio ab eo diuerſo inferendo: ſed tantum determinaſſet poſſibilem agere, & vim actiuam habere. Reſpondetur quod optime Ariſtoteles vnicam eſſentiam intellectus cognoſcens, intulit inexiſtentiam differentiæ agentis ex poſſibili; quoniam reſpexit rationem facultatum, per quas præſertim intellectum ibi conſiderat; quarum quidem facultatum eſt, etſi non eſſentialis, formalis tamen, ac potentialis diuerſitas. *Argumētū. 7.* *Solutio*

Obijciunt etiam idem auctor, ac Gaietanus in tertio de Anima cap. 2. præter alia textum tertij de Anima 20. vbi habetur, quod intellectus agens ſemper intelligit, quod non dicitur de poſſibili: exinde diſtinctam illorum ſubſtantiam inferrentes. Cui reſpondetur Ariſtotelem in illo textu loqui de intellectu in actu, qui quidem donec talis eſt, nunquam ab intellectione deſiſtit. *Argumētū. 8.*

Sequitur quarta opinio rationalem tantum, ſeu intentionalem diſtinctionem his differentijs intellectiuis concedens: quam quidem pleraque ex modo ſolutis argumentis oppugnant; aduerſus quæ quamuis tueri liceat indiſtinctionem ſubſtantialem, abſolutam tamen, ac etiam formalem identitatem ſuſtinere impoſſibile eſt: Non enim poſſent vocari differentiæ animæ quando ipſi animæ non ineſſent realiter; ſed per rationem (vt dicunt) ratiocinantem, & per ſolam operationem intellectus: Nec mero enti rationis conuenire poſſent conditiones, munera, atque definitiones, quæ paſſim tribuit Ariſtoteles intellectui agenti, ac poſſibili: In tertio enim *Quarta opinionis Reprobatio.* *Fundam. 1.* 2.

de Anima

de Anima ſcilicet inquit intellectum poſſibilem eſſe omnia poteſtate: in textu 19. inquit agentem eſſe ſui ſubſtantia actionem: & alibi has differentias eſſe partes animæ: Ac cum in textu 17. inferrat dari agentem intellectum quia datur poſſibilis;
3. ſi illi eſſent abſolute, & realiter idem: vere quidem ſequeretur idem per idem probari. Neceſſariumq; videtur vt quorum diuerſæ ſunt operationes (vt ſe habet de
4. his differentijs intellectus; quarum vna iudicat, & format intellectionem, &
5. alia ſubit, ac recipit) aliqua ſit diſtinctio formalis. Duarumq; facultatum quarum vna diſponit altera format ei ſpeciem, ac illius perfectionem parat, neceſſaria eſt aliqua diſtincta formalitas. Quamuis enim idem per eandem formam; ſed reſpectu diſtinctarum potentiarum valeat agere, & pati; abſque illa facultatum reali di-
6. ſtinctione tales effectus incompoſſibiles videntur. Præterquam quod euerteretur tota ſcientia de his differentijs, quam inſerit Ariſtoteles in tractationibus Phyſicis, quibus entia realia tantummodo ſpectant; ſi illæ eſsent ſolæ ſecundæ intentiones, & opera noſtri intellectus.

Recta ſententia de eſſentia intellectus. Quapropter approbata remanet opinio D. Thomæ, aliorumq; Latinorum, quod intellectus agens ſit idem ſuppoſito, ac realitate ſubſtantiali cum poſſibili; diſtinctus vero tum ab eſſentia intellectus per rationem generaliſſimam, quatenus illa eſt
Ratio de prædicamento Subſtantiæ, & ipſe eſt qualitas de ſecunda ſpecie: a differentia vero poſſibili diſtinctus ratione ſpecifica; quatenus ſcilicet eiuſdem ſecundæ ſpeciei qualitatis eſt alia ſpecialiſſima ratio diſtincta, ac incompoſſibilis cum illa; ipſa ſiquidem intellectui pro habenda intellectione ſe habet vt ratio, & principium agendi, formandi, & iudicandi: & poſſibilis eſt ratio patiendi, ſubeundi, atque recipiendi: Vt enim colligitur ex libello de Senſu, & Senſilib. cap. de Sapere: nulla ratio ſubſtantialis eſt proximum principium alicuius operationis: Quare illæ differentiæ pro intellectione agentes, & patientes debent eſſe quid ab eſſentia intellectus diſtinctum. Præterquam quod quęcumque alicui tertio identificantur, idem ſunt inter ſe: vnde niſi iſtæ differentiæ diuerſæ eſſent a ſubſtantia intellectus, etiam inuicem identificarentur: vnde agendi & patiendi, formandi ac ſe ſubijciendi, perficiendi ac recipiendi eadem eſſet virtus. Ac inſuper quia ſi idem eſſet facultas intellectus ac illius ſubſtantia, adeout intellectus per ſuam eſſentiam ageret: tunc inceſſanter operaretur; vt enim quia per eſſentiam dat eſſe corpori, ideo dat ei eſſe ſemper; ita ſi per eſſentiam ageret, neceſſario ſemper operaretur: Nec dicatur non ſemper operari ob defectum obiecti, quod non ſemper præſto habet. Obiectum enim ſeu in phantaſmate, ſeu per intelligibilem ſpeciem intellectui impreſſum, non deeſt, adeo ut ipſum ſemper iudicando non poſſet intellectus ſuam poteſtatem ſemper exercere. Ideo ſicut eſſe & operari non ſunt idem, ita & principium eſſendi, ac principium operandi debent eſſe diſtincta. Ne etiam ſequatur id inconueniens, quod accidens variabile abſque intermedio ſaltem alicuius medię naturę, ſcilicet permanentis alicuius accidentis, ab inuariabili ſubſtantia recipiatur.

Quid ſit officium Intellectus Agentis. Cap. V.

De officio intellectus agentis inchoacta quædam notitia ex iam dictis habetur: quæ vt explicatior fiat, reiectiſq; alienis iudicijs firmior perpendendæ ſunt opiniones: quę quamplures de hoc circunferuntur, ad quatuor tamen genera redactæ, cenſentibus nonnullis officium intellectus agentis verſari tantum circa intellectum poſſibilem: aliquibus tantum in phantaſmata, alijs in vtroque; reliquis vero, eum formaliter intelligere: Ex quibus prioris ſectæ fuerunt Simplicius, Priſcianus Lydus, & Theophraſtus referente eodem Lydo in libro de Intellectione, qui Platonicam doctrinam amplexantes fatebantur: in anima rationali ſub mente poſita abſque diſtinctione ſubſtantiæ duplicem eſse conditionem; vnam intellectus in ſe manentis, cui inſertæ ſint rationes ad inſtar Idearum Mentis ſuperioris; & hunc eſſe intellectum

4. Sententiarum genera.

Opinio Simplicij.

agentem,

agentem, qui alteram conditionem animæ, ſcilicet intellectum progreſſum per
eius prædictas rationes redigat de imperfectione ad perfectionem; & de potẽtia ad
actum, dum illa ex phantaſmatibus excitata conuertitur, reditq; in intellectum in
ſe manentem: ex quo id Platonicum euenit: intellectum nil de nouo addiſcere; ſed
cuncta per reminiſcentiam adire: Quam quidem actionem intellectus agentis in
poſſibili, approbaſſe Themiſtium refert Auerroes in tertio de Anima commenta-
rio 5. vt eam probauit Ioannes Gandauenſis in tertio de Anima quæſt. 24. & 25.
Quæ opinio habet pro fundamento textum Ariſtotelis 17. tertij de Anima, vbi ex *Argumẽtũ 1.*
eo quod eſt in natura intellectus poſſibilis, infertur adeſſe agẽtem, quoniam patienti
cuilibet correſpondet ſuum agens: quç ratio deficeret ni intellectus agens ageret in
id patiens, pro cuius correſpondentia eſt inſtitutus. Inſuper habetur ibidem: ſe ha- 2.
bere intellectum agentem ad poſſibilem vt ars ad materiam: vnde quemadmodum
materia eſt illa, quæ ab arte patitur, ita & intellectus poſſibilis pati debet ab agen-
te. Quiaue non phantaſma, ſed intellectus ab Ariſtotele vocatur paſſibilis: pro- 3.
pterea non phantaſma, ſed intellectus pati videtur. Quæ quidem aſſertio haud per- *Reprobatio.*
ferrenda videtur: primo enim expreſſe aduerſatur Ariſtoteli quatenus euertit po- *Ratio 1.*
tentialitatem, & rationem illam tabulæ raſæ, quam ipſe in tertio de Anima 14. tri-
buit intellectui. Deinde quoniam etiamſi per diſtinctas facultates liceat eidem cir- 2.
ca aliquod tertium & agere, & pati: idem tamen agere in ſeipſo impoſſibile eſt, vt
probat Philoſophus in ſeptimo, atque octauo Phyſic. abſque reali diſtinctione
partis agentis, & patientis; quæ in ſimpliciſſima mentis eſſentia dari non poteſt.
Cui eidem ſimplicitati valde etiam repugnat ille reditus intellectus in ſeipſum; 3.
cum nil valeat ex ſeipſo diſcedere, & ad ſe reuerti. Adhuc quia per talem poſitio- 4.
nem, quod intellectus agens per ſe, & diſtinctim a phantaſmate, ſiue ſpecie intelli-
gibili impręſsa ageret in poſſibilem ſequi videretur ipſum poſſibilem per opus agẽ-
tis etiam ſine concurſſu phantaſmatum intelligere poſſe; quod eſt contra determi-
nata ab Ariſtotele in primo de Anima tex. 12. ac potiſſimum in libro 3. contexti-
bus 30. & 39. quod ſcilicet nequeat intellectus cognoſcere ſine vſu imaginationis
& phantaſmatum: Ac inquantum negant intellectui actionem in phantaſmate, 5.
reijciuntur ex 18. textu tertij de Anima, vbi traditum eſt, intellectum agentem in-
telligibilia ad actum reddere eo modo, quo lumen facit colores potentia viſibiles
actu viſibiles: vnde vt non eſt dubium de lumine quod agat in colore; pariter nec
eſt neganda ad mentem Ariſtotelis actio intellectus in intelligibile. Nec rationes *Solut. 1. argu-*
huiuſmodi ſententiæ valent: quarum prima concludit tantum; in natura intelligi- *menti.*
bilium aliquod agens, ex cuius actione pendeat paſſio intellectus poſſibilis, non
immediate; ſed mediante obiecto intelligibili, quod dum paſſum fuerit ab agente
ipſum iudicante, tunc in ipſum poſſibilem agere valet, vt valide ex proxime alle-
gato contextu 18. colligitur. Nec ſecunda ſuadet; quoniam in illo exemplo non 2.
fuit comparatus ad materiam artis ipſe intellectus; ſed aliquid ad intellectionem
concurrens, quale eſt ipſum intelligibile, nimirum phantaſma, vel ſpecies in intel-
lectu impræſſa, in quibus agens intellectus veluti artifex in materiam, iudicando
agit. Nec refert quoad tertium, quod poſſibile non vocetur phantaſma, ſed intel- 3.
lectus; nam cum vtrique ex eis ſpectet; paſſio potius tamen id obſeruandum erat de
intellectu, ob nobiliorem illius conditionem: ob principaliorem intentionem illius
tractationis, quæ eſt de intellectu magis quam de phantaſmate: ac ob maiorem in-
digentiam talis declarationis; magis enim ex ſe conſtare videtur pati obiectum in-
telligibile, quod maiorem materialitatem includit, præſertim phantaſma, quam
quod patiatur intellectus: quod ideo docere magis oportebat.

Alterius partis fuerunt opinantes, actionem intellectus agentis terminare tum *Opinio D. Tho-*
in phantaſma abſtrahendo ex eo ſpeciem intelligibilem; tum etiam in intellectu *ma.*
poſſibili imprimendo ſpeciem in illo: Ex quibus fuit Diuus Thomas in prima par-
te ſummæ quæſt. 79. artic. 3. & 4. in Quæſtion. Diſputat. de Spiritualibus creat.
artic. 10. & de Anima artic. 4. & 5. Zimara Theorem. 99. Scotus in primo Sent.

diſt. 3. quæſt. 7. & 8. in Quolibetis quæſt. 15. ac in Collectionibus coll. ct. 7. quamuis alibi ſe ancipitem indicet: Gaietanus in prima parte ſummæ quæſt. 79. artic. 3. & præter alios Iauellus in tertio de Anima tract. de Intellectu: Fundamenta ſunt eadem cum illis præallegatæ opinionis inſimul cum his, quæ in ſubſidium alterius proxime adducendæ afferri poſſunt: quæ repetere non expedit. Aduerſus quam probationem inquantum velit eum agere formaliter in poſſibilem, vrget præhabita confutatio, idem enim in ſeipſo agere eſt impoſſibile: Nec etiam ſpecies ſibi ipſi iniijcere, etiamſi diuerſas habeat facultates, dummodo non habeat diſtinctionem partium eſſentialem, indiuiduum aliquod valet. Præterea quia ponentes intellectum agentem formantem ſpeciem intelligibilem, nec tamen intelligere, in id incomodum incidunt: vt intellectum agentem, qui nobiliori modo debet ad intellectionem concurrere; cum ex 19. textu tertij de Anima ſit honorabilior; quando ſolus patiens, & non ipſe intelligat, ignobiliorem reddunt patiente; cum præſtantior ſemper ſit modus concurrendi ad opus aliquod per cognitionem, quam ſine cognitione. Inſuper quia introducunt exiſtentiam ſpecierum ante actum intellectus, quas vt ſuperfluas in Quæſtione de Speciebus capite 7. reprobauimus.

Reprobatio. Ratio. 1. 2. 3.

Opinio aliorũ triplex. Tertij vero generis ſunt multi, & varij in aſſignanda actione intellectus agentis in obiectum, ſcilicet in phantaſma tantum: Quorum commune fundamentum eſt 18. contextus tertij de Anima, in quo intellectus agens comparatur lumini reducenti ad actum colores, qui erant poteſtate: vnde quemadmodum lumen agit non in oculum, ſed in obiectum coloratum, ita & agens intellectus videtur agere, non in poſſibilem; ſed in phantaſmata tantum: diſtinctim autem hoc aſſignant; quoniam Ioan. Bacchonius in primo Sent. in prologo quæſt. 2. artic. 2. & 3. quem ſequitur Gaietanus in prima part. quæſt. 85. artic. 1. ad quartum, aſſerit intellectum agentem agere tantum in phantaſmata transferendo illa de potentia ad actum, vnde poſſint intellectum mouere: ſed hoc non per actionem poſitiuam, aliquid ſcilicet illis imprimendo: nec actione priuatiua, nimirum aliquid ex eis detrahendo: ſed ea tantummodo per ſolam ſui aſſiſtentiam illuminando: Secundo dicunt alij agere intellectum in phantaſmata non poſitiue, ſed priuatiua tantum actione: nimirum ſecernendo formas, & quiditates a conditionibus materialibus, & indiuiduantibus. Tertio inquiunt Alexandrei eum agere in phantaſmata actione poſitiua; per quam imprimit illis formam aliquam ſpiritualem, qua valent intellectum poſſibilem ſpiritualiter mouere. Qui quidem (quocunque ex tribus his modis hoc fateantur, varijs ſe inuoluunt erroribus: Quod enim primi dicunt) ſcilicet eum redigere phantaſma ad actum nil agendo; ita vt ſit agens, quod non agat: videtur implicare contradictionem; ex ipſa namque actione denominatur agens. Nec aliter quam per actionem videtur poſſe aliquod extrahi ex potentia ad actum, ſeu ex eſſe non intelligibili ad eſſe intelligibile. Nec etiam capere poteſt ingenium quomodo intellectus agens per ſolam ſui præſentiam abſque operatione illuſtret, vel diſponat phantaſmata; cum ipſe non ſit aliquod luminoſum, ex cuius præſentia non operante fluat actio, quæ valeat obiectum illuminare: Quod ſi etiam tale lumen ex ipſo prodiret: non apparet ratio cur magis hoc, quam alio tempore, iuxta præſcriptum voluntatis, & applicationis; curue magis in adultis, & ſapientibus, obiectum ad intelligibilitatem diſponeret. Nec etiam ſecundum talem comparationem luminis liceret dicere, quod nil agat in obiectum; lumen enim poſitiuum aliquem actum ſpiritualem coloribus imprimit. Præterquam quod comparauit Ariſtoteles intellectum agentem nedum lumini; ſed etiam Naturæ, Habitui, & Arti: vnde cum illa proprium, & verum opus edant, pariter, & de intellectu cenſendum eſt quod, non tantum illuſtret; ſed verum opus conficiat. Qui etiam dicunt eum agere in phantaſmata actione priuatiua deficiunt: primo quia non ſatisfaciunt quæſito de modo agendi intellectus cum non aſſignent quomodo fiat hec ſegregatio quiditatiuæ rationis a conditionibus indiuiduantibus. Inſuper non datur actio

Margin: 1. *Io. Bacchon. Gaietanus* — 2. *Aliorum.* — 3. *Alexãdrei* — *Reprobatio* 1. *modi Ratio* 1. 2. 3. 4. 5. 6. — 2. *modi Ratio* 1. 2.

tur actio priuatiua ſine poſitiua; cum ſemper priuatio præſupponat actum, & poſitiuum: vt non videatur quomodo poſſit edere actionem tantum priuatiuam: Et 3.
cũ intellectus ſit vere agens: ac vt talis in præcitato loco pro intellectione determinatus, poſitiua aliqua operatio ei competere debet. Nec per tertium modum 3. *modi*
dicendi Alexandrei effugiunt errores: primo quatenus dicunt intellectum agentem vniri phantaſmati, adeo vt ex ipſis duobus fiat obiectum motiuum intelle- *Ratio* 1.
ctus poſſibilis: quod ſuſtinendum non eſt; nam tunc ipſe non amplius eſſet intellectus, ſed intelligibile; quemadmodum lumen non ſe tenet ex parte ſenſus, ſed ex parte ſenſibilis. Ac quia non videtur poſſe aliquod vnum componi ex ac- 2.
cidente mortali, ac ex ſubſtantia æterna, qualis eſt intellectus: maxime ſecundum doctrinam Alexandreorum, qui putant ipſum eſſe Deum. Præterea cum 3.
dicunt intellectum ipſum agentem non agere in phantaſmata cognoſcendo, ſed tantum illuſtrando irrationabilem reddunt probationem Ariſtotelis, qua colligit illam differentiam eſſe in anima; vt enim illuminans colores non eſt in anima: pariter nec tale mere illuminans pro intellectione neceſſario in anima requireretur. Vlterius ſi intellectus agens non cognoſceret, ſed tantum illuminaret, aſſignandus tunc eſſet agens nobilior, qui cognoſcendo actum intellectionis formaret: qui ſi 4.
eſſet intellectus poſſibilis, ſequeretur ipſum eſſe præſtantiorem agente; ipſumq; & non agentem, eſſe ſimilem Arti, Naturæ, & Habitui.

Quapropter tota rationabilitas relicta videtur recentiori ſententiæ Piccolominei in libro de Humana Mente capite 7. & 8. & Arch'Angeli Mercenarij in ſuis Dilucidationib. dum agit de munere intellectus agentis: quod ſcilicet officium intellectus agentis ſit circa phantaſma ipſum iudicando, ac inde formando actum intellectionis: in qua quidem intellectione quicquid occurit ad paſſionem ſpectans, vt moueri, recipere, ac ſubijci, id agat intellectus per rationem differentiæ poſſibilis: quæ vero pertinent ad actionem, vt formare iudicium de obiecto, & actum intellectionis conficere: id agat idem intellectus per differentiam agentem: Quibus adhærrentes dicimus iuxta determinata a nobis in cap. præcedenti: intel- *Approbatio*
lectum agentem, nec eſſe eſſentia diſtinctum, nec penitus idem realiter cum poſſibili: ſed eſſe facultatem intellectus formaliter a poſſibili diſtinctam, cuius effectus ab eo tanquam a ratione formali cauſantur, ſed per ſe, ac formaliter habentur ab ipſo eſſentiali intellectu; qui dum iudicat, abſtrahit, & ratiocinatur, dicitur agere, quia ea exequitur per virtutem facultatis agentis: dum vero ab obiecto excitatur, & recipit, dicitur pati: quia id habet per differentiam poſſibilem: operaturq; agens differentia non quidem producendo ſpeciem ante intellectionem; ſed ipſam conſtituens dum format actum intellectionis, cum quo eſt idem: quem quidem actum educit immediate, vel ex phantaſmate, ex quo originaliter ellicit ſemper conceptum ſingularis nil abſtrahendo a ratione repræſentationis materiæ, ſeu conditionum indiuiduantium; quippe cum optime ſint ab intellectu perceptibiles: vel ex ſpeciebus iam cognitis, & impreſſis intellectui, ex quibus iuxta illorum rationem conceptum ſeu ſingularem, ſeu vniuerſalem, producit. Cuius iudicij rationabilitas maxime conſpicua redditur obſeruantibus *Ratio* 1.
litteram Ariſtotelis, qui cum in textu 19. tertij de Anima dixerit de intellectu agente quod ſit, ſui ſubſtantia actio: quoniam proprijſſima actio intellectus quatenus intellectus, eſt intelligere: ideo nullo modo intellectui ipſum intelligere videtur abnegandum: quod magis confirmatur ex contex. ſubſequenti, in quo ſtatim quod dixerat intellectum eſſe ſui eſſentia actionem: quaſi ne aliquis dubitaret de illa actione quid ſit, ſubdit *non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit*. Inſuper quoniam in 17. ac 18. comparando intellectum Arti, Naturæ, 2.
& Habitui indicat quod quemadmodum illa ſuum opus proprie, ac perfecte conſtituunt; ita, & intellectus non tantum illuminet; ſed ipſum actum intellectionis perficiat. Quinetiam in primo Nicomachiorum cap. 6. hoc innuit dum intelle- 3.
ctum agentem præcipue reſpiciens, mentem vocauit oculum animæ. Quoniamque 4.

Q 2 adre-

ad rectam correſpondentiam intellectus agentis ad poſſibilem oportet vt quicquid ille poteſt fieri, hic facere valeat: vnde cum poſſibilis ſit aptus fieri, ſeu in
5. ſe recipere omnem actum intellectionis; neceſſarium eſt vt eoſdem actus intellectionis mens agens producat: Eaq; potiſſimum ratione nec intellectus agens, qui vt talis præſtantior eſſe debet, ex priuatione cognitionis euadat ignobilior poſſibili; ac non intelligendo ſit potius intelligibile, quam intellectus.

Obiectio 1. Obijcitur autem huic determinationi multipliciter; & primo quia falſum videtur, quod formaliter intelligere ſit actio: cum in tertio de Anima tex. 2. expreſſe dicatur intelligere eſſe aliquod pati. *Solutio* Et quia reſpondet Mercenarius id verificari non formaliter, & abſolute; ſed ſolum per quandam concomitantiam, quatenus ſcilicet aliqua paſſio ſemper ad intellectionem concurrit. *Replica triplex.* Inſurgunt e contra dicentes primo quod Ariſtoteles ibi declarans, quid ſit intelligere, ait quod eſt ſicut ſentire: & quod eſt communiter pati, vel aliquod huiuſmodi. Secundò quod nullibi dixit Philoſophus, quod intelligere ſit agere. Tertiò quod cum in 12. textu eiuſdem operis dubitaſſet quomodo cum intellectus ſit immixtus, & impaſſibilis, poſſit intelligere in 14. textu reſpondit duplicem eſſe paſſionem; corruptiuam ſcilicet, ac perfectiuam, quæ abſque inconuenientia conuenit intellectui: de quo inde ellicitur, quod patiatur. *Dilutio.* Ex quibus reſpondemus ad primam recte exemplificatum fuiſſe de ſenſu, quoniam vt ei pro ſenſatione ſpectat paſſio; quinimo magis ob ignobiliorem ſui conditionem, ita & intellectui pro intelligendo ſpectat paſſio: ſed cum ſenſus in ſenſatione non ita patiatur, vt etiam non agat; ſic & intellectui concurſus paſſionis in illius formando munere non tollit actionem. Quoad ſecundam non eſt negandum, quod indicauerit Philoſophus actionem intellectui ſpectantem; cum de illius differentia agente exacte diſſeruerit. Ad tertiam concedendo omnia, quæ vt pronunciata ab Ariſtotele referuntur, nondum exinde licet inferre de intellectu talem paſſionem, quæ concurſum actionis excludat.

Obiectio 2. Obijciunt deinde quod Ariſtoteles in toto ferè principio tertij de Anima, vſque ad contextum 17. aperte inquit intellectum poſſibilem eſſe eum, qui intelligit, non autem agentem: de quo poſtea agens, inquit, officium eius eſſe perficere intellectum poſſibilem, & illuminare phantaſmata. *Solutio* Cui negandum eſt, quod ibi loquatur Philoſophus præciſe de intellectu poſſibili ad differentiam agentis; nam loquitur de intellectu in communi; quamuis illuc aſſignet ei illa munera, quæ exercet per differentiam poſſibilem: ſed tantum in 17. textu incipit loqui de intellectu agente ad differentiam poſſibilis, probe docens, quod perficiat intellectum poſſibilem; non tamen aſſerens quod agat in ipſum directe, vel negando quod cognoſcat: comparatq; eum lumini, non quidem ob abſolutam, & identificam conuenientiam: ſed (quod in exemplis ſufficit.) vt in aliquo id verificetur; vt optime in eo euenit, quod intellectus agens veluti lumen ita perficit obiecta intelligibilia, vt illa actualiter intellecta faciat.

Obiectio 3. Obijcitur etiam quia ſi intellectus agens valet ad producendum actum intellectionis: videtur intellectum poſſibilem eſſe ſuperfluum. *Solutio.* Sed conſequentia non currit; nam quamuis per differentiam agentem, per quam intellectus iudicat, formet actum intellectionis, concurrit tamen ad intellectionem paſſio tum præcedens iudicium, quæ eſt excitatio ab obiecto, tum ſequens iudicium, quæ eſt ſubire, ſeu fieri ipſum obiectum: quam paſſionem exercet quidem intellectus per eandem eſſentiam, quæ agit; ſed vt ex formali principio per differentiam paſſiuam ab actiua diſtinctam.

Obiectio 4. Itidem obijcitur quoniam id propriè intelligere videtur, quod ſeipſum intelligere valet: ſed hoc in 8. contextu attribuitur intellectui poſſibili, cum fuerit ſingula factus: cui propterea ſpectare videtur intelligere. *Solutio* Cui reſpondetur quod etiam ſecundum illum textum intellectus non poſſibilis tantum: ſed in communi, & per vtramque differentiam, ſcilicet officio actiuo atque paſſiuo, intelligit alia à ſe per actum rectum; ac ſeipſum per intellectionem reflexam; etiam

enim

enim in ſui ipſius intellectione, ad intelligendum excitatur, iudicat, & recipit.
Præterea exinde ſequi videtur, quod intellectus agens, qui formaliter in- *Obiectio 5.*
telligit, ſit locus ſpecierum: qualis tamen in textu 6. dicitur eſſe intellectus poſſi- *Solutio.*
bilis. Quæ illatio eſt inefficax; nam eo dicitur intellectus locus ſpecierum, qua-
tenus recipit obiecta, ipſaſq; ſpecies fit, quod officium, quia exercet per differen-
tiam poſſibilem; ideo non poteſt competere differentiæ agenti, niſi fundamentali-
ter, quatenus ſcilicet eadem intellectus eſſentia, cui inſidet, eſt ſpecierum receptiua.
Arguitur etiam, quia ſi intellectus agens formaliter intelligit, ſequi videtur intel- *Obiectio 6.*
lectionem non eſſe actionem immanentem, quæ cum ex quarto Metaphiſ. 16. ideo
talis appelletur, quia manet in agente; ac in eo differat à tranſeunte, quæ tranſit in
aliud: ideo ſi producitur ab intellectu agente, & recipitur in patiens, eſt actio
tranſiens: quod eſt contra Ariſtotelem, qui in citato loco eam vocat actionem
immanentem. Quæ pariter argumentatio deficit in efficacia conſequentiæ ante- *Solutio.*
cedentis ob identitatem eſſentiæ intellectus, qui quamuis per diſtinctas rationes
differentiarum; tamen in eadem ſubſtantia, qua iudicat, ipſum iudicium recipit,
fitq; res intellecta per actum vere immanentem. Sed dices ſi proprium intelle- *Inſtantia.*
ctus officium eſt formare actum intellectionis, & iudicium: cum id optimæ fa-
ciant abſtractæ intelligentiæ; vt quid ipſæ non reputantur intellectus agentes?
Reſpondetur differentiam agentem, pariter ac poſſibilem, competere intellectui *Satisfactio.*
noſtro, quia ipſe in eius intellectione tam agendo quam patiendo, ſeu tam iudi-
cando quam recipiendo, verſatur circa obiectum a ſe diſtinctum, in quod agere,
vel a quo pati debet: at intelligentiæ abſtractę nil extra ſe reſpicientes per propriam
eſſentiam intelligunt intellectione, quæ non eſt eis accidens, ſed illarum eſſentia.
Ex dictis determinatum apparet id quod quæri ſolet de abſtractione: ſiatne ab
intellectu agente, vel a poſſibili: De quo aſſerentes quod fiat ab agente aſſentimur *Inſtantia.* *Satisfactio.*
Auerroi in tertio de Anima comment. 18. ac 20. quo ad rem, non quo ad mo-
dum: ibi enim ait id facere intellectum agentem quatenus illuſtrando phantaſma *Auerrois opi-*
abſtrahit rationem vniuerſalem ab omni conditione materiali, vt a poſſibili apræ- *nio.*
hendi, ac cognoſci valeat: Quod non probandum videtur; nam ſi intellectus
agens in abſtractione, non cognitione, & ellectione; ſed tantum per natura- *Reprobatio.*
lem effluxum luminis illuſtraret phantaſma: tunc non magis vnam, quam a-
liam, ſed quaſcunque rationes in illo phantaſmate compræhenſas æque illumi-
naret; adeo vt deinde intellectus poſſibilis non potius rationem formę quam mate-
rialem, magiſq; vniuerſalem quam ſingularem conciperet. Sed dicimus quod cum
abſtractio, quæ fit a virtute cognoſcitiua de ſuo obiecto ſit duplex: alia ſcilicet quę *Recta ſenten-*
abſtrahit ſecundum eſſe: & alia, quæ abſtrahit ſecundum rationem repræſentandi: *tia.*
primo modo ellicitur ſpecies, ſeu conceptus reali ſeparatione a materia: quod facit *Abſtractio*
ſenſus; qui propterea in ſecundo de Anima 121. dicitur receptiuus formarum ſine *quotuplex.*
materia: ſecundo vero modo dum in ſpecie iam realiter, & quoad eſſe a materia ſe-
iuncta fit quædam repræſentatiua ſegregatio: quæ quidem vel fit de rationibus in
eodem gradu quoad ordinem prædicamentalem ſe habentibus, vt ſcilicet ſint ęque
vniuerſalia vel æque ſingularia: quod contingit tripliciter: primo dum abſtrahitur
prius a ſuo poſteriori, vt dum Mathematicus contemplatur ſuperficiem prætermiſſo
colore. Secundo dum abſtrahitur poſterius a ſuo priori; vt dum idem contemplatur
ſuperficiem diſtinctim a corpore. Tertio dum abſtrahitur vnum ab alio eiuſdem or-
dinis, & gradus, cui ſit accidentaliter coniunctum, vt conſiderando frigiditatem
niuis non reſpecta albedine: Cuiuſmodi quidem abſtractiones quia ſunt effectus
voluntarij intellectus; qui hoc facit (vt docet Philoſophus) vnum aſſumes præter-
mitendo alterum; quod fieri non poteſt ſine ellectione, & iudicio; ideo ſpectat ad
facultatem, cuius eſt iudicare, nempè ad intellectum agentem. Pariter dum fit ab-
ſtractio rationis vniuerſalis a ſingulari, ſeu vniuerſalioris a minus vniuerſali: quia
illa etiam fit per iudicium; propterea eſt effectus eiuſdem intellectus per differentiam
agentem, cuius eſt iudicare.

DE OBIECTO INTELLECTVS.

Proœmium in quo nonnulla, quæ adnotanda occurunt aſſeruntur. Caput I.

Obiectum intellectus vnũ.

TVrpem imbecillitatis humanę labem, vt illius intellectus ad omnium intellectionem inſtitutus circa ſummet obiecti rationem hæreat, atque deficiat; quiſque à ſe remouere tenetur: excitantibus præter decoris ſtudium, ipſius etiam operis merces ingens, ac labor exiguus, per quem ſiquidem vnica contemplatione ratio tam multa compræhendens percipitur; vnicum enim, ſiue vnius generis eſt ipſius intellectus obiectum, exemplo cæterarum facultatum cognoſcentium, ſenſuum ſcilicet, quorum cuique vnicum genus ſenſibile pertinet: vnde in ſexto Nicomach. cap. 1. habetur, quod ad diſtincta genera entium cognoſcenda diſtincti generis facultates ſunt inſtitutæ: & in tertio de Anima contex. 9. ex eo quod caro, ac, eſſe carnis, ſunt diuerſa: infert Philoſophus quod ex diuerſis facultatibus, ſeu ex eadem varijs modis ſe habente cognoſci debeãt: ac in ſecundo de Anima contex. 106. dubitat quomodo tactus ſit vnicus ſenſus cum contrarietatibus varijs incumbat: quod deinde eo ſoluit quia, plures eius, contrarietates ad vnum genus tangibilium rediguntur: Et ſicut in genere entium rationis, vnius ſcientiæ eſt vnum obiectum; ita & in potentijs realibus ſingulis ſingula obiecta correſpondere debent: quod cum verificetur de facultatibus inferioribus, longe magis intellectui ſuum vnum obiectum debetur: De quo ad quæſitum ſit ne vnum ſecundum genus vniuocum, vel analogice tantum: Ait Scotus in tertio de Anima quæſt. 21. eſſe Vniuocum, & natum per vnicam formam intellectum mouere: eo fundamento, quia primum & adæquatum obiectum debet per vnum actum eſſe perceptibile a facultate cognoſcente: cui vni actui vnica ratio cognoſibilis correſpondet: Quod quamuis improbetur a Piccolomineo in lib. primo de Humana Mente cap. 19. eo quod etiam ſenſus communis eſt vna facultas; nec tamen valet vno actu apræhendere totum genus ſui obiecti, ſub quo, & propria, & communia ſenſibilia compræhendũtur: quod etiam dicit de tactu. Ratio tamen retinet ſuum vigorem; nam quamuis verum id ſit de allegatis ab eo ſenſibus: ſed & adhuc de Phantaſia, & alijs ſenſibus; qui cum alia non cognoſcant quam ſingularia, nequent vnico actu rationem omnium a ſuo obiecto contentorum percipere: id tamen optime competit intellectui, qui differentiarum inter diſtinctas facultates, ac inter diſtincta obiecta eſt verus iudex: vnde verificatur illa aſſertio, quod obiectum debet eſſe aptum attingi a facultate cognoſcente per vnicum actum; taliter enim attingitur a facultate intellectiua, cui potiſſimum hoc diſcernere ſpectat. Inquit ibidem Piccolomineus hoc obiectum eſſe vnum genere ab Vno: quod probat exemplo ſcientiæ, ac definitionis: de ſcientia enim

An ſit vnum Vniuoce vel Analogice. Scotus.

Piccolomineus.

enim profert Philoſophus, & confirmant Alexander, & Auerroes in quarto Meta-
phiſices tex. 2. quod poteſt eſſe non tantum de genere vniuoco, ſed etiam de Ana-
logico: quod etiam in decimo Metaphis. repetit: ac de definitione habetur in ſexto
Topicorum, quod datur vna etiam de his quæ ſunt ab vno: Inferens exinde quod
ſi genus ab vno ſcientiæ, ac definitioni adæquatur; conſimiliter vni facultati obie-
ctum per aliquem ordinem reſpondere poteſt: Quæ ambo aſſertiones apte vniun- *Approbata ſẽ*
tur in ſententia Scoti, ſecundum quem vniuoca ratio non eſt incompatibilis cum *tentia.*
Analogia, quæ neceſſario alteri ipſarum, vniuocationi ſcilicet, vel æquiuocatio-
ni cohæret: vt recte dicatur obiectum intellectus eſſe vnum ſecundum analogiam
vniuocam. Circa quod antequam vlterius procedatur eſt prænotandum quod cum *Obiecti intel-*
ipſum obiectum intellectus poſſit in triplici conſideratione deſumi, perfectione ſci- *lectus triplex*
licet, origine, & adæquatione: non id quærit præſens ſermo in prima ſignificatio- *aſſumptio.*
ne, ſecundum quam certum eſſet: talem eſſe primam cauſam: tunc ſubſtantiam ma-
gis quam accidens, & primo ſubſtantiam humanã; ac inde ens actu quam ens pote-
ſtate: nec in ſecunda ſignificatione; qua (vt iam in Sermone de Primo cognito di-
ſputauimus) eſt ſingulare: Sed tertio modo: Quo quidem modo (notandum
rurſus) non quæri a nobis obiectum intellectus in quocunque ſtatu illius vitæ, etiam
ſcilicet poſt illius ſeparationem a corpore: hoc enim non perfert intentio agendi de
Phyſicis, & materiæ complicatis: ſed quæritur tantum obiectum intellectus huma-
ni ſuum corpus actualiter perficientis. Et hac inquiſitione prætermittimus doctri- *Platonicorũ*
nam Platonicorum, qui ſequentes, eorum aucthorem in ſexto, ac ſeptimo de Re- *doctrina.*
publica aſſerentem: vere & abſolute intelligibiles eſſe Ideas: aiunt propterea quod
ſi id quæratur de anima rationali, ſeu (vt ipſi eam vocant) de Mente animaria,
quatenus eſt conuerſa ad Mentem ſupra ipſam poſitam, ac illi iunctam: habet pro
obiecto Ideas, quas tunc intuetur: ſi quatenus eſt conuerſa in ſeipſam: ſic habet pro
obiecto ſibi inhærentes rationes, per quas in primo modo ad Ideas elleuabatur: Si
vero quatenus eſt conuerſa extra ſe, & ad ſenſus: ſic inſpicit vmbras Idearum ma-
teriæ inexiſtentes, quas ei phantaſmata obijciunt: quæ iure hic derelinquimus Pe-
ripateticis finibus circumſcripti.

Adducitur opinio D. Thomæ, cum ſuis fundamentis. *Cap. II.*

QVærentes veritatem propoſitæ contemplationis obuiam primo habe-
mus ſententiam D. Thomę in prima parte ſummæ quæſt. 12. artic. 4.
& alibi; quod ſcilicet obiectum intellectus ex natura, ſeu ex naturali-
bus viribus talis facultatis, ſit quiditas rei materiatæ: ad quod addu- *Quiditas ma*
cendum, & comprobandum in eo fundamento potiſſimum nitebatur *terialis eſt o-*
quod facultas cognoſcens, & ipſa res cognita conuenire debent in modo eſſendi: *biectũ intelle*
circa quod obſeruat diſtinctionem triplicis facultatis cognoſcentis: primæ ſcilicet, *ctus.*
quæ & ſecundum eſſe, & ſecundum operationem, eſt omnino ſeparata a materia, *Triplex cogno*
vt intelligentiæ abſtractæ: alterius quæ coniuncta eſt materiæ in eſſe, ac in operan- *ſcens, ac co-*
do nimirum, ſenſus, qui in agendo vtitur organo, cui eſt infixus: atque alterius, *gnoſcibile.*
quæ coniuncta eſt materiæ ſecundum eſſe, ſed ſeparata ſecundum operari, ſcilicet
noſter intellectus, qui corpus perficit, ſed ſine organo operatur: Rurſus adnotat
diſtinctionem triplicis conditionis rerum cognoſcibilium; quarum aliquę ſunt ſo-
lutæ a materia, & quoad conſiderationem, & quoad eſſe, vt ſubſtantiæ abſtractæ:
aliæ ſunt in materia ſignata, ac ſenſibili ſecundum eſſe, & ſecundum cognitionem,
vt ſenſibilia ſingularia: & alię ſunt eidem materiæ complicatę in eſſe, ſed non quoad
cognoſci, vt ſunt ſubſtantiæ ſenſibiles vniuerſales: tunc inquit, cognoſcentia pri-
mi ordinis noſcere ſubſtantias omnino immateriales; ac ſucceſſiue ſenſu, ſiue intel-
lectu per ſenſum, cognoſci entia ſecundi ordinis: ac ex cognoſcente tertij ordinis
ſcilicet intellectu humano cognoſci prædictas rationes vniuerſales: Quæ omnia ve-
rificari intendit iuxta prædictam regulam quod: vnumquodque ab eo cognoſcatur,
cum quo

Ratio 1. cum quo habet modum eſſendi communem: Itaque ſic format rationem: Quæcunque facultas cognoſcens naturæ ſuæ viribus ea cognoſcere valet, cum quibus in modo eſſendi communicat: quod eo probat, quia eatenus res cognoſcitur, quatenus in cognoſcente recipitur, & vnumquodque recipitur per modum recipientis: ſed communem modum eſſendi habet intellectus noſter cum quiditate materiata: ergo quiditas materiata eſt naturale noſtri intellectus obiectum: & ſi aliqua diuerſo modo eſſendi prædita ab illo percipiuntur; ea tãquam improportionata, & ipſum excedentia, cognoſcuntur per aliquod lumen ſupernaturale.

Reſpõſio Scoti. Occurit huic rationi Scotus inquiens inter cognoſcens, & rem cognitam requiri proportionem, non quidem quoad modum eſſendi, ſed tantum in reſpectu mouentis & mobilis, vt ſe habet obiectum ad potentiam; cuiuſmodi proportio exigit in modo eſſendi diſſimilitudinem; vt patet in actu, & potentia, in cauſa & effectu, in oculo mortali & Cælo incorruptibili: quę omnia quamuis proportionata in actione; ſunt tamen in modo eſſendi diſſimilia:

Euerſio Gaietani. Gaietanus vero ſuper Diuum Thomam eodem loco Scotum reprimere nititur inquiens rationem D. Thomæ requirere inter cognoſcens & cognitum conformitatem in modo eſſendi non ſpecifice, ſed generice tantum: qualis optime adeſt inter oculum, & Cælum; quæ ambo in corporeitate conueniunt.

Reſponſio. Sed Gaietani ſubſidium non tollit effugia ab argumento: ea enim, quam requirit inter cognoſcens & cognitum conuenientiam in genere; vel eſt in genere proximo; vel in genere communi, & remoto: non eſt dicendum in proximo; quoniam intellectus optime cognoſcit elementa, ligna, lapides, & Cæleſtia corpora, a quibus in genere diſtinguitur: ſi ſufficit conuenientia in genere communi; tunc quia cũ ſubſtãtijs abſtractis in genere Entium; quinetiam in genere ſubſtantiæ intellectus noſter communicat; ideo per ſe valet ipſas ſubſtantias abſtractas intelligere.

Defenſio. Replicant Thomiſtæ quod quamuis communicent in genere remoto ſubſtantiæ; diſcrepant tamen eo quod intellectus eſt ſubſtantia materialis, ſcilicet in materia, & intelligentiæ ſunt a materia ſolutæ.

Reſponſio. Reſpondetur illam diſtinctionem non poſſe obſtare intellectioni, quam non impedit diſtinctio maior, ſcilicet per genus remotius; intellectus enim, qui eſt de genere ſubſtantiæ, cognoſcere valet quantitatem, qualitatem, & alia huiuſmodi, quæ cum ſint accidentia, in nullo genere cum ſubſtantia communicant: quare longe minus auferret cognitionem intellectui illius diſtinctio a re intelligibili per genus proximius, quale eſt hoc habendi, vel non habendi materiam coniunctam: Adduntq; totam rationem cognoſcibilitatis conſiſtere in proportione cognoſcibilis, & cognoſcentis tanquam inter mouens & mobile; vt eſt etiam in ſenſibus.

Defenſio. Sed non inde argumentum infringitur; quamuis enim intellectio perferat differentiam cognoſcentis, & obiecti in genere communiori, non inde ſequitur, quod debeat compati differentiam quamuis proximiorem, quæ verſatur inter eſſe materiæ coniunctum, & a materia ſolutum; quoniã talis ratio, ſeu modus eſſendi communis, eſt ille, qui adęquat cognoſcens ad obiectum: cętera vero prędicata, ſeu proximiora, ſeu remotiora, non ſunt ad rem: De proportione inter mouens & motũ, bene dicunt: ſed petunt principium; nam talis ratio motionis conſiſtit in conuenientia ſecundum illum modum eſſendi, per concretionem ſcilicet, vel per abſtractionem a materia.

Obiectio. Inſiſtunt aduerſarij D. Thomæ impugnantes magis, quam ſoluentes argumentum: & aiunt quod ſi conuenientia in modo eſſendi eſſet ratio cur obiectum moueret facultatem cognoſcentem, ſequeretur quod quę magis in modo eſſendi ſunt cognoſcenti ſimilia, facilius, atque diſtinctius ab eo perciperentur: cuius tamen oppoſitũ euenit: nã intellectus facilius cognoſcit accidentia, quam ſubſtantiam ex primo de Anima 11. faciliuſq; plãtas, & lapides, quam homines maxime ſibi ſimiles noſcit.

Reiectio. Sed reijciuntur ex eadem proxima reſponſione; quod enim maxime repugnat cognoſcibilitati obiecti eſt illa eius diuerſitas a potentia cognoſcente in modo eſſendi reſpectu materialitatis, ac immaterialitatis; quę quamuis ſit minor differentia in ratione entitatis, eſt tamen maior in genere cognitionis, quam ſit diſcrimen inter ſubſtantiam materialem, & accidentia eiuſdem materialis: Quod vero lapides, & plantas facilius cognoſcat.

Digitized by Google

gnoſcat, quam hominem: id procedit ex ſimpliciori illorum natura; pauciora enim habent prædicata, quæ pro illarum rerum cognitione perſcrutari oporteat: Et adhuc quia illa ſunt cognitionis deterioris, ac materialioris, vt minus ex aliqua ſuæ naturæ ſublimitate cognitionem effugiant. Oppugnant deinde Scotiſtæ fundamentum maioris propoſitionis argumenti D. Thomæ; quod ſcilicet intellectum non poſſe intelligere non communicantia ſecum in modo eſſendi, vt ſubſtantias abſtractas: ex eo dependeat, quia debet intellectus (vt quodcunque recipiens) ea per modum ſibi proprium recipere: quod exponens ibidem Gaietanus inquit, quod intellectus appræhendens ſubſtantias ſeparatas modo ſibi proprio; non percipit illas niſi per rationem valdè diminutam, & inferiorem illarum perfectioni, quod non eſt ſatis ad perfectam illarum cognitionem quiditatiuam: aiunt itaque quod, ſi hoc valeret: ſequeretur quod, intellectus non poſſet pariter habere cognitionem quiditatiuam de ſe ipſo, nec de alio obiecto materiali; ſeipſum enim cognoſcit per ſpecies aliarum rerum; ex quibus non poteſt niſi diminutam, & imperfectam rationem ſuæ quiditatis ellicere: reliquæ etiam res materiales, quarum eſſe eſt omnino reale, ac materiale; cum non poſſint habere in ſpeciebus, quas ſit intellectus, niſi eſſe quoddam diminutum, & valdè deterius earum eſſentia principali, ac in re exiſtenti; propterea non quiditatiue cognoſcerentur ab eo: adeo vt illarum quiditas dici valeat obiectum intellectus. Sed hæc improbatio exiguam vim habet; diſpar enim, ac inæqualis eſt diminutio ſubſtantiarum ſeparatarum in eſſe à nobis cognito ab earum eſſe reali, ac diminutio rationum materialium in eodem eſſe cognito ab illarum eſſe reali, & principali; quamuis enim intellectus cognoſcens non recipiat, ſiutqi ipſum obiectum materiale quo ad illius eſſe principale: recipit tamen ſpeciem, quę illius naturam ad vnguem, & adæquatiſſimè repræſentat: præſtantiori quippe modo, qui conueniat eius rationi, quæ non eſt nata aliter, quam per ſpeciem ab intellectu appręhendi: ſubſtantias verò abſtractas intellectus appræhendit, nedum per ſpecies, ſed per tales ſpecies, quæ non ſunt imagines, & repræſentatiua illarum ſubſtantiarum; ſed entium materialium ab illarum ratione valdè diſtantium, ac inferiorum; vt illarum ratio in eſſe cognito ab eſſe reali valdè declinet. Sed dices dum intellectus fit ſubſtantias ſeparatas recipiendo illas modo ſibi proprio: nonne tunc recipit illas modo proprio etiam ipſarum, cum eas appræhendat per ſpecies, quę ſunt entia ſpiritualia, quales ſunt intelligentiæ. Reſpondebunt aliam eſſe immaterialitatem ſubſtantiarum abſtractarum, quæ nullam habent affinitatem cum materia, & ſunt veræ ſubſtantiæ ſpirituales, & alia immaterialitas ſpecierum cognoſcibilium, quæ ſunt accidentia quædam rationalia, non propriè ſpiritualia: ſed ita vocata quia ſunt entia intentionalia: quæuè ſpecies quamuis materiam non includant realiter; ſunt tamen eius repræſentatiuæ: adeout ex eis (receptis vtique per modum intellectus, ſcilicet immaterialiter, ſed vt imaginibus materialium, ac ideo non ſe habentibus modo proprio ſubſtantiarum abſtractarum) non poſſit intellectus excipere cognitionem talium ſubſtantiarum, niſi admodum imminutam, deprauatam, & alienam. Sed vlterius inſtabitur, quia dum conceditur, quod modo ſibi proprio intellectus habeat cognitionem etiam de ſubſtantijs ſeparatis: inde ſequi videtur, vt ipſæ etiam compræhendantur ſub obiecto intellectus, qui eas modo ſibi proprio intelligit. Cui inſtantiæ non videtur licere per abſolutam negationem reſpondere: ſed neceſſario concedendum eſſe quod etſi non ſub ratione intellectus magis proprij; tamen ſub ambitu obiecti largiori modo ſumpti ipſæ etiam intelligentiæ ſint admitendæ.

Fundamentũ rationis oppugnatur.

Defenſio.

Inſtantia.

Reiectio.

Inſtantia.

Reſponſio.

Ad eandem principalem aſſertionem approbandam aliæ adducuntur rationes à ſectatoribus D. Thomæ, qui innumeres fuere, quarum vna deſumitur ex ſeriata connexione virtutis facultatum cognoſcentium, ita arguendo: Id eſt obiectum potentiæ ſuperioris, quod illa proximè colligit ex proxima potentia inferiori: ſed intellectus ex Phantaſia (quæ eſt inferior potentia ei proximè per ſua phantaſmata inſeruiens) non aliud proximè colligit quam quiditatem materiatam; quoniam entia tantum materiata ipſa phantaſmata præferunt: *Ratio 2.*

quare

quare quiditas materiata eſt intellectus obiectum.

Ratio 3. Quod confirmant adducentes Ariſtotelem in tertio de Anima contex. 30. ac 39. & in libro de Memoria, & Reminiſc. aſſerentem: vt ſe habent ſenſibilia ad ſenſum, ita ſe habere phantaſmata ad intellectum; qui ſine phantaſmatibus intelligere nequet: inferentes exinde, quod ſicut ſenſibilia ſunt obiectum ſenſus, ſic phantaſmata, ac conſequenter quiditas rerum materialium (quam ſolam phantaſmata repræſentant) ſint intellectus obiectum.

Ratio 4. Confirmant idipſum ex adæquatione obiectorum ad virtutes cognoſcentes: cum enim intelligentiæ omnino à materia ſeiunctæ, quæ penitus ſunt immaterialia contemplentur; & ſenſus materiæ omnino implicitus, ſingularia tantum materiæ concreta cognoſcat: ideo intellectus media quadam conditione ſe habens, quia non pendet ex materia, ſed connexus eſt corpori adeo, vt ſine phantaſmatibus operari non poſſit, debet habere obiectum mediæ conditionis, inter prorſus immaterialia, & ſingularia ſenſibilia: qualis eſt quiditas materiata, quæ in ratione materiæ conuenit cum ſenſibilibus; in ratione autem ſubliniori quiditatis, conditionem intelligentiarum abſtractarum æmulatur.

Ratio 5. Addunt id eſſe cenſendum obiectum intellectus, in cuius gratiam præcipuè inſtitutum eſt officium differentiæ eius agentis: intellectus vero agentis officium ex tertio de Anima tex. 17. eſt reddere intelligibilia actu ea, quæ ſunt huiuſmodi in potentia: quæ quidem intelligibilia in potentia ex præcedenti ei tex. 16. ſunt habentia materiam: quare materialium quiditas videtur eius obiectum.

Ratio 6. Inſuper id eſt obiectum intellectus, quo ipſe intellectus, vt aptus ſit intellectioni, debet eſſe denudatus: hoc autem eſt quiditas materiata; nam in tex. 6. tertij de Anima ſtatuitur, quod intellectus, quia omnia cognoſcit, debet eſſe immixtus à corpore, quod præditum eſt calore, frigore, ſeu alijs qualitatibus; ac prius in textu 4. approbatur dictum Anaxagoræ, quod ſcilicet vt intellectus omnia cognoſcat, debet eſſe immixtus.

Ratio 7. Obſeruaut deinde progreſſus Ariſtotelis in tertio de Anima, qui huic intentioni maximè ſuffragari videtur; poſtquam enim in textu 9. tradiderit differentiam Carnis, quæ non eſt ſine materia: & Carnis eſſe: in textu ſequenti ait, quod per ſenſum cognoſcuntur calidum, & frigidum, & quorum ratio quædam ipſa caro eſt: quibus ſignificare videtur ſingularia materialia à ſenſu cognoſci: ac deinde, vt indicaret obiectum intellectus inquit: Alio autem, aut ſeparabili, aut vt circumflexa ſe habet ad ſeipſam cum extenſa fuerit, carnis eſſe diſcernit: quibus aperte determinatum ab eo videtur obiectum intellectus eſſe quiditatem materiatam, quale eſt (carnis eſſe.)

Ratio 8. Deinde in textu 13. ait quod cum ipſemet intellectus ſit intelligibilis, oportet quod aut alijs inſit intellectus; aut ipſe aliquid mixtum habeat, per quod fiat intelligibilia vt alia: quod cum mos ſit Ariſtotelis in tertio de Anima ſub nomine, mixti, denotare, materiatum; ideo inquiens, quod ſi intellectus eſt intelligibilis, oportet, quod alia, quæ intelliguntur ſint intellectus, vel ipſe intellectus ſit aliquod materiatum: ſtatuere velle videtur ipſam rationem materiatam eſſe intellectus obiectum.

Ratio 9. Viſus eſt etiam idem comprobare Philoſophus in primo Phyſicorum 49. ita diſtribuens obiecta facultatibus, vt ſingulare ſenſui, ac vniuerſale intellectui pertineat: vbi intendere videtur de his vniuerſalibus, quæ diſtinguuntur à ſingularibus, qualia non ſunt niſi vniuerſalia materialium; nam in abſtractis à materia non datur multiplicitas indiuidualis, adeo vt vniuerſale diſtinguatur a ſingulari: quare abſtractæ rationes materialium id obiectum formare videntur.

Ratio 10. Demum vt oppoſitam ſententiam extrudant, deſumunt fundamentum ex textu eiuſdem operis 36. in quo Philoſophus adhuc inexploratum, & alibi inueſtigandum inquit: an intellectus iunctus corpori intelligere valeat immaterialia: deinde vero in textu 39. docet nil intellectum cognoſcere, quod non elliciat ex phantaſmatibus: vnde quia ſubſtantiæ à materia abſtractæ, vt intelligentiæ, nec ex ſe, nec ratione acciden-

Digitized by Google

cidentium ſibi inexiſtentium phantaſmata obtinere ſunt apta, proinde excluduntur ab obiecto intellectus, ipſumq; materiales tantum quiditates conſtituunt.

Aßertio Scoti cum ſuis fundamentis affertur. *Cap. III.*

EX oppoſito autem Scotus, quamuis præhabitam. D. Thomæ communiorem ſententiam non abſolute reſpuerit, in primo ſent. diſt. 3. quæſt. 3. ac in Quolibetis quæſt. 14. artic. 2. protulit: obiectum intellectus adæquatum ex natura potentiæ eſſe ens in communi, prout ſcilicet nedum ad ſubſtantias, & accidentia materialia; ſed & ad quaſcunque ſubſtantias abſtractas, etiam ſcilicet ad primam, extenditur: ex cuius fundamentis alterum eſt quod Obiectum adæquatum alicuius cognoſcitiuæ facultatis eſt id, quod adæquatur totali virtuti illius facultatis; adeout talis facultas non extendatur ad aliud præter id obiectum, id enim ad obiecti adæquationem requiritur: vnde eſt quod viſiua facultas. cuius obiectum eſt color lato modo ſumptus, qui propriè eſt viſibilis, nequet ad aliud præter genus illud colorum extendi: quod idem eſt de quacunque alia potentia naturali: mens autem noſtra intelligit aliquid non contentum ſub quiditate materiali, ſed ſolum ſub ratione entis in communi; capax enim eſt ſcientiæ Metaphiſicæ, cuius obiectum eſt ens communiter ſumpum, quod latiſſime vltra materiatam quiditatem extenditur: ergo non quiditas materiata, ſed ens in communi eſt adæquatum obiectum intellectus.

Obiectum intellectus eſſe ens.

Ratio 1.

Deinde nullum deſiderium naturale eſt ad id, quod ſit impoſſibile conſequi; eſſet enim quid fruſtratorium, quod in natura non permittitur: ſed intellectus naturaliter expetit cognitionem immaterialium: videns enim effectus, cupit cognoſcere cauſas: cognitiſq; cauſis proprijs optat cognoſcere cauſas remotas, quæ ſunt ſubſtantiæ immateriales: quibus cognitis in confuſo, & vniuerſaliter, vlterius eas diſtinctim, & ſingulariter noſcere expoſcit. Inſuper quia, cum ex proœmio Metaphiſicor. naturaliter ſcire cupiat; ideo maxime cupit maximam ſcientiam, & maxima ſcientia eſt illa, quæ verſatur circa maxime ſcibilia, quales ſunt primæ cauſe, ſcilicet ſubſtantiæ abſtractæ, quas contemplatur Metaphiſicus, qui circa ens in communi verſatur: Quare ens in communi eſt obiectum intellectus; vel naturale illius deſiderium eſt fruſtra. Nec reſpondeatur: ad hoc vt deſiderium non ſit fruſtra, ſufficere quod intellectus cognoſcat illas ſubſtantias immateriales aliquando, nempe in aliquo ſtatu; vt ei contingit poſt ſeparationem a corpore. Contra enim, ad hoc vt deſiderium non fruſtretur, neceſſe eſt vt adimpleatur in illo ſuppoſito, a quo procedit; & hoc deſiderium intellectionis prouenit non tantum ab intellectu ſed a toto compoſito hominis, vt de ſe quislibet experitur: ac vt ellici poteſt ex textu 64. primi de Anima, vbi paſſiones animæ, & intellectio attribuuntur ipſi compoſito hominis: quemadmodum, & in primo Metaphis. cap. 1. habetur actiones eſſe ſuppoſitorum. Præterquam quod Metaphiſica (quæ eſt ſcientia ſpectans intellectui in corpore exiſtenti) præcipuo ſcopo tendit in ſubſtantias abſtractas: vnde dicebat Ariſtoteles in primo de Partibus animal. cap. 1. quod ſi Phyſicus ſpecularetur ſubſtantias abſtractas, non relinqueretur obiectum primæ Philoſophiæ: quare aut euertenda eſt vt inanis ſcientia Metaphiſica, aut concedendum quod ſubſtantiæ immateriales ab illa inſpectæ innoteſcant intellectui non tantum ſeparato, ſed etiam corpori coniuncto. Arguitur etiam quia intellectus corpori coniunctus, & a corpore ſeparatus eſt idem: eiuſdem autem potentiæ ex ſecundo de Anima obiectum eſt idem: quare quæ valet intellectus ſeparatus cognoſcere, idem natus videtur cognoſcere etiam coniunctus; quodue nequet dum manet in corpore, ad idem, & a corpore diuulſus impotens erit: Inſuper quia facultas alicui obiecto improportionata non poteſt ex aduentu alicuius habitus obiectum illud per ſe cognoſcere: quod eo probatur, quoniam omnis habitus in aliqua facultate receptibilis, vel reſpicit tanquam

Ratio 2.

Euaſio.

Impugnat. 1.

2.

3.

4.

quam proprium ſui obiectum idemmet obiectum illius facultatis, adeout veluti
quodam principium formale ellicere valeat actus ad talem facultatem pertinentes:
vel reſpicit aliquod inferius ſubalternatum tantum, & contentum ſub obiecto illius
facultatis: habitus enim, cuius obiectum ſit alienum ab obiecto cognoſcitiuæ facul-
tatis, nunquam in illa facultate recipietur: ergo ſi intellectus coniunctus corpori
improportionatus eſt ad cognoſcendam quiditatem abſtractorum, non videtur poſ-
ſe ex aliquo ei adueniente habitu ad talem cognitionem proportionari: Inſuper quia
5. in primo, ac decimo lib. Nicomachiorum docet Philoſophus quod fælicitas homi-
nis conſiſtit in intellectione ſubſtantiarum abſtractarum: repetens in calce 8. capitis
eiuſdem decimi libri; ſapientes eſſe fælicissimos, ac in ſexto libro eiuſdem operis
docet ſapientiam verſari circa altiſſimas rerum cauſas, quales ſunt proculdubio
ſubſtantiæ ſeparatę: vnde ſi in intellectione ſubſtantiarum abſtractarum conſiſtit
fælicitas hominis, quæ eſt illius finis, neceſſe eſt vt ad ipſam poſſit homo perueni-
re; nil enim tendit ad id, ad cuius finem peruenire nequeat, vt ſcribit Philoſophus
6. in ſecundo Metaphis. tex. 8. Et quod fælicitatem (de qua ibi Philoſophus loqui-
tur) conſequi debeat intellectus corpori vnitus, patet ex eodem ſupercitato capite
8. decimi lib. vbi habetur quod contemplatio eſt quædam fælicitas, at opus eſſe
adhuc & externa proſperitate; quoniam natura ad contemplandum ex ſe non ſuffi-
cit, ſed requirit, vt corporis valetudo, alimentum, & cætera obſequia ſuppetant:
illa autem ad animam ſeparatam nullatenus ſpectant. Arguunt inſuper alij quia
7. vnio formæ ad ſuam propriam materiam non tollit ei nobiliſſimam ſuam operatio-
nem; alioquin illa materia non eſſet ei naturalis; adeo vt ex illa coniunctione ens
aliquod naturale, per ſe, ſimplex, & vnum reſultare poſſet: & intelligere quiditatem
ſubſtantiarum abſtractarum eſt nobiliſſima operatio intellectus, vt modo ab Ari-
ſtotele in Ethicis determinatum referebatur.

Euaſio. Quod ſi his reſpondeatur ex vnione cum propria materia non poſſe quidem au-
ferri formæ præſtantior illius operatio perpetuo: non inconuenire vero quod impe-
diatur per aliquod tempus, vt fit intellectui de cognitione abſtractorum donec vni-
Impugnat. 1. tus eſt corpori. Inſurgunt è contra quoniam aut intellectus natus eſt cognoſcere
intelligentias per eius ſubſtantiam, aut per ſpeciem productam a phantaſmate, aut
per ſpecies ab ipſis formatas: ſi primo modo; ideo cum nexus cum corpore non au-
ferrat illius ſubſtantiam; proinde nec ex eo tollitur illi talis intellectio: ſi ſecundo
modo: tunc quia corpus non obeſt: quinnimo prodeſt illius immutationi a phanta-
ſmatibus: hinc non adeſſet impedimentum: ſi tertio modo, ſcilicet per illarum ſpe-
cies receptas: tunc non apparet quomodo coniunctio corporis obſtare valeat rece-
ptioni huiuſmodi ſpecierum; non enim impediri poteſt productio alicuius ſpeciei
niſi ex corpore habente diſpoſitionem oppoſitam illi, quam talis ſpecies requirit:
quemadmodum actionem colorati in aliquo ſpatio non aliud impedit, quam cor-
pus præditum opacitate, quæ eſt diſpoſitio oppoſita perſpicuitati a viſibili requiſi-
ta: Corpus autem humanum non habet aliquam oppoſitam diſpoſitionem ei, quę
requiritur pro receptione ſpeciei ſubſtantiarum abſtractarum, quæ nullam, ſeu ex
2. ſe, ſeu ratione ſpecierum habent contrarietatem: quare &c. Inſuper quoniam quod
alicui naturæ eſt ſimpliciter bonum, non tollitur ei per id, quod eidem naturæ eſt
ſimpliciter bonum; alioquin eſſet ei potius ſimpliciter malum: intellectio quiditatis
abſtractorum eſt intellectui ſimpliciter bonum; vt pariter ei ſe habet coniunctio
3. cum corpore: quare non inde videtur ei cognitio abſtractorum auferri: Eoq; magis
quod natura potius quam obſtet rebus in illis obeundis muneribus, in quibus
illarum perfectio, & finis conſiſtit, eas quinnimo fulcit propria media præ-
bendo: vnde habetur in ſecundo de Cælo 50. quod ſi Aſtra eſſent apta motui
4. progreſſiuo, debita eis organa natura paraſſet. Pręterea aut quiditas ſubſtantiarum
abſtractarum eſt idem cum illarum eſſentia, aut eſt diuerſa: ſi idem, ergo intelle-
ctus cognoſcens eſſe, ſiue exiſtentiam illarum ſubſtantiarum cognoſcet etiam ea-
rumdem quiditatem: ſi diuerſa: tunc petitur ab aduerſario, numquid iſtam diuer-

ſitatem

Digitized by Google

ſitatem cognoſcat: quod ſi negatiuè reſpondeat; non amplius ei licebit de hoc diſſerere, quod ignorat: ſi vero eam cognoſcat; tunc neceſſe eſt, vt terminum vtrumque talis diſtinctionis intelligat; non enim valet intellectus percipere diſtinctionem inter aliqua duo, quin vtrũque illorũ agnoſcat, vt docetur in ſecundo, ac tertiò de Anima, & alijs in locis: vnde neceſſarium videtur, vt quiditatem illarum ſubſtantiarum intellectus etiam corpori iunctus cognoſcat. Quod ſi concedatur haberi de eis ab intellectu aliquam cognitionem non abſolutam, ſed imperfectam. Tunc quæritur, an imperfectionem iſtam cognitionis in eo ſenſu intelligant, quia non cognoſcamus ipſas ſubſtantias ſeparatas tam perfectè, vt ipſe intelligunt ſemetipſas: vel quia non cognoſcimus illas ſecundum perfectionem conditioni intellectionis noſtræ conuenientem: ſi primo modo: nil nobis officit; nam intellectus etiam poſt ſeparationem non intelligit illas ſubſtantias tam perfectè, vt illæ cognoſcuntur a ſeipſis: nec etiam intelligentia inferior cognoſcere poteſt ſuperiorem ſibi, tam perfectè, vt illa cognoſcitur a ſeipſa: quamuis non proinde neget aliquis intelligentias inferiores cognoſcere ſuperiores: nec eſt dicendum ſecundo modo; nam vnio animæ ad corpus, quæ eſt ei quodam conueniens, ac ſimpliciter bonum, non debet ei euertere nobiliſſimam operationem; in qua illius perfectio conſiſtit. Verum dicendo, quod intellectus coniunctus corpori intelligat quiditatem ſubſtantiarum abſtractarum, ſaltem imperfectè id forſan confitentur, quod ſatis eſt probaſſe: vt in inferius dicendis apparebit.

Euaſio. *Impugnat..* *Conciliatio.*

Diſcutitur Quæſtio de intellectione, quam habet intellectus iunctus corpori circa ſubſtantias ſeparatas. Cap. IV.

IMPLICATVR adeo his tractationibus (vt ex proximè habitis conſtat) quæſtio de modo, quo mens humana corpori coniuncta intelligere valeat ſubſtantias abſtractas, intelligentias ſcilicet cælorum motrices, vt ægre abſque illius explicatione aggreſſum opus præficere liceat: quod enim illas intellectus corpori annexus cognoſcat; præter alias rationes in præcedenti capite allatas, quam plures vlterius ſuadent. Et primo quoniam ita ſe habet intellectus ad intelligibilia, vt ſenſus ad ſenſibilia ex tertio de Anima tex. 3. ſenſus (vt puta viſus) aptus eſt cognoſcere omnia viſibilia, etiam incorruptibilia: ergo etiam intellectus debet eſſe aptus ad cognoſcendas ſubſtantias ſeparatas, quæ ſunt per ſe intelligibiles. Quod eo confirmatur, quia nihil in vniuerſo eſt fruſtra: ſed fruſtra intelligibiles eſſent ſubſtantiæ abſtractæ ſi non eſſent perceptibiles ab intellectu: quare &c. Itidem, quia vt colligitur ex proæmio primi Phyſicorum innatus eſt nobis progreſſus ex effectibus ad cognitionem cauſarum: ideo cum ſubſtantiarum abſtractarum effectus quam plures in corporeis, & ſenſibilibus appareant; poteſt ex ipſis intellectus in notitiam abſtractorum deduci: Præterea ex ſecundo tex. primi Poſterior. de ſubiecto ſcientiæ, & demonſtrationis præcognoſci debet, quid eſt; de abſtractis verò intelligentijs plures habentur demonſtrationes à Phyſicis, & Metaphiſicis; nam præter ea, quæ de Primo Motore probantur in octauo Phyſicorum, adhuc in duodecimo Metaphiſ. textu 30. oſtenditur ipſas intelligentias eſſe ſubſtantias ſempiternas: in 36. textu eiuſdem de eodem primo motore docetur, quod mouet, vt concupiſcibilis, & intelligibilis, quoduè ſit immobilis: in textu 39. quod eſt vita, & actus: in textu 51. quod ſe intelligit per ſeipſum: nec in eo, ac in quocunque immateriali diſtingui intellectionem, ac rem intellectam ab intelligente: & in textu eiuſdem operis 43. determinat numerum intelligentiarum adæquari numero cæleſtium orbium: vnde quiditas illarum ſubſtantiarum debet eſſe Phyſicis, ac Metaphiſicis cognita. Deinde excellens ſenſibile ideo ſenſum effugit, quia illius organum lædit: quod ſi ſenſus non haberet organum aptum labefactari ab obiecto; tunc quo obiectum eſſet excellentius eo magis ſentiretur: intellectus verò non recipit iniuriam; quinnimo perficitur ab excellenti intelligibili: vnde ea ma-

Affirmatiuæ partis. Argumẽtũ. 1 2. 3. 4. 5.

Digitized by Google

gis intelligere debet: Et maximè intelligibiles ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, ad differentiam materialium, quæ ex tertio de Anima 16. ſunt tantum intelligibilia poteſtate;
6. quare magis intelligere debet ſubſtantias abſtractas, quam materiales. Inſuper, quod magis eſt de ratione formali obiecti, magis eſt à cognoſcente facultate perceptibile: percipiuntur autem res ab intellectu per rationem immaterialitatis ex præcitato 16. tertij de Anima: ergo quæ ſunt magis immaterialia, quales ſunt illæ ſub-
7. ſtantiæ, ſunt ſimpliciter magis ab intellectu cognoſcibilia. Inſuper arduum eſt magis ea per intellectionem abſtrahere, quæ ſunt materiæ concreta, quam percipere, quæ ex ſe ſunt abſtracta: Mens autem humana abſtrahit ea, quæ ſunt maximè concreta (nimirum ſpecies intelligibiles) ab ipſis obiectis materialibus: quare aptius in-
8. telligere valet rationes ex ſeipſis abſtractas. Vlterius idem intellectus abſtrahit quiditatem ab ipſam habentibus: in quo quidem opere ne procedat in infinitum, deuenire debet aliquando ad abſtractionem quiditatis adeo ſimplicis, vt non amplius conſtet ex quiditate, & re ipſam habente: Abſtractæ verò ſubſtantiæ non aliud eſſe videntur quam puræ quiditates ſeipſis exiſtentes: vt ideo valeant ab intellectu co-
9. gnoſci. Arguitur etiam deſumpto fundamento ex ſecundo Metaphiſ. tex. 8. vbi habetur quod, ſi fines eſſent infiniti, non eſſet aliquod agens per intellectum: quod intantum verificari videtur inquantum ipſum agens per intellectum cognoſcat omnes fines eſſentialiter ordinatos à proximo vſque ad remotiſſimum: vnde ex illa Ariſtotelis aſſertione infertur quod, vel nullum ſit agens per intellectum, vel illud agens vl-
10. timum etiam finem intelligat. Pariter & quia in 13. textu eiuſdem habetur, quod ſi cauſæ rerum eſſent infinitæ, non liceret aliquid cognoſcere: vnde ellicitur, quod ad cuiuſque rei cognitionem neceſſarium ſit cognoſcere omnes illius cauſas: vt etiam ex proœmio vniuerſæ Philoſophiæ naturalis colligitur: ſed inter cauſas rerum eſſentialiter ordinatas, eſt etiam omnium ſupræma: ergo vel nil intelligitur: vel ipſa etiam
Reſponſio. ſupræma intelligentia ab intellectu eſt cognoſcibilis. Quod ſi reſpondeatur, recte
Replica. ex prædictis inferri, quod cognoſci debeat de ipſis ſubſtantijs ſeparatis, quod ſint, non autem, quid ſint: Inſtatur è contra, quia ex quarto Metaphiſic. contex. 28. ratio, cuius ſignum eſt nomen, eſt definitio: vnde cum definitio tradat quid eſt rei: propterea cuius cognoſcitur ratio, quam nomen ſignificat, eiuſdem cognoſcitur quiditas; ſed abſtractis intelligentijs imponuntur nomina expreſſiua illarum rationis, quæ eis tantum, ſeu ſimul, ſeu ſingulariter competit: ergo cognoſcibile de ipſis videtur, quid ſint. Inſuper quoniam in ſexto Metaphiſicorum cap. 1. habetur: eiuſdem mentis eſſe manifeſtare quid aliquid eſt, & ſi eſt; ac in ſecundo Poſterior. textu 8. ſcriptum eſt, quod cum de aliquo per ſe ſcitur, quod eſt, de eodem ſcitur etiam quid eſt, ſecus ac de illis, quæ ſciuntur per accidens, de quibus nec ſcitur quid eſt, nec ſi eſt. Quod cum de ſubſtantijs abſtractis ſciatur quid eſt, non ſecundum accidens, ſed per ſe: propte-
Reſponſio. rea earumdem eſt neceſſaria cognitio quoad, quid eſt: Et ſi reſpondeatur cognoſci de illis ſubſtantijs quid non ſint, quatenus cognoſcitur non eſſe aliquid horum inferiorum, & corporeorum, quorum rationis conditionem excedunt: non autem de il-
Replica. lis cognoſci quid ſint. Inſtatur adhuc quoniam inquit Ariſtoteles in poſtremo capite librorum Periermin. quod propoſitionem negatiuam ſemper præcedere debet propoſitio affirmatiua; vnde aſſertio hæc: bonum non eſt malum: eo eſt vera, quia prius fuit vera illa affirmatiua (bonum eſt bonum;) quod exacte etiam docet in quarto Metaphiſic. textu 16. igitur ſi de ſubſtantijs abſtractis cognoſcitur quid non ſint; neceſſarium eſt etiam ſcire quid ſint. Præterea ad cognoſcendam compoſitionem aliquorum, neceſſaria eſt cognitio extremorum ipſius compoſiti: vnde in primo Periermin. in calce 3. capitis legitur, quod eſſe ſignificat compoſitionem quandam, quæ ſine compoſitis intelligi nequet: ea verò ineſt immediate quiditati illarum ſubſtantiarum: quare ſi ſcimus illas ſubſtantias eſſe, & quod ad illarum quiditatem ſe-
11. quatur eſſe; neceſſarium eſt, vt etiam illarum quiditatem agnoſcamus. Amplius ad principale arguitur quoniam cum intellectus corpori vnitus cognoſcat ſeipſum: ipſeq; ſit de natura ſubſtantiarum abſtractarum: propterea videtur poſſe ipſas etiam ſubſtan-

Digitized by Google

ſubſtantias abſtractas cognoſcere. Ac demum productio quælibet ſuum terminum attingit; nil enim ad infinitum, ſeu ad impoſſibile enititur; vt ab Ariſtotele in ſecundo Metaphyſicorum tex. 8. docetur: Sed generatio quædam intellectiua eſt illa, per quam intellectus reducitur de potentia ad actum ſcientis: quare neceſſarium eſt vt non procedat in infinitum: ſed attingat aliquando talem terminum, vt reddat intellectum actualiter, & totaliter ſcientem.

Ex oppoſito autem quod intellectus noſter non valeat abſtractas ſubſtantias cognoſcere, probatur primo ex Ariſtotele in ſecundo Metaphyſic. context. 1. aſſerente quod, vt ſe habent oculi veſpertilionum ad lumen diei, ita & intellectus noſter ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt: quales vtique ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ: vnde quemadmodum oculi illi veſpertilionum lumen ſolis abſolute non vident, idipſum & de intellectu reſpectu illarum ſubſtantiarum eſt exiſtimandum. *Negatiuæ partis argument.* 1.

2. Mox intellectus noſter nil intelligit, quod non abſtrahat ex phantaſmatibus; quod patet ex eo quod per iacturam organi phantaſiæ euertitur operatio intellectus, ſcilicet contemplatio: quia ue dum aliquid intelligere nitimur, proponimus nobis ſpeciem, ſeu ſimulacrum, in quo illud quodammodo intueamur: vnde in tertio de Anima tex. 30. legitur, ita ſe habere phantaſma ad intellectum vt ſenſibile ad ſenſum: ſubſtantiæ autem abſtractæ non habent phantaſmata; ex ſecundo enim de Anima 36. phantaſia eſt motus factus a ſenſu ſecundum actum: vnde ſubſtantiæ abſtractæ cum non ſint ſenſibiles, latent phantaſiæ: Nec innoteſcere valent ex habentibus phantaſmata: Effectus enim qui non adæquat vim ſuæ cauſæ, non poteſt notificare illam cauſam, quippe quæ ipſum excedit; & res ſenſibiles, ſeu phantaſiabiles non adæquant vim ſubſtantiarum abſtractarum: quia ue finiti ad infinitum non eſt proportio; quæ ad cognitionem vnius ex altero eſt valde neceſſaria: quare nec eſt proportio rerum ſenſibilium ad primam cauſam: vnde illa non poteſt innoteſcere ex ſuis effectibus: ac proinde minus aliæ ſubſtantiæ abſtractæ, quæ minus cauſant, quam illa.

3. Præterea magis diſtat intelligibile æternum ab intellectu, quam intelligibile productum diſtet a ſenſu: Sed intelligibile productum non eſt cognoſcibile a ſenſu: quare longe minus intelligibile æternum poteſt cognoſci ab intellectu: Et adhuc quia ſubſtantiæ ſeparatæ non ſunt de genere quiditatis materialis, quæ eſt obiectum intellectus, vt infertur ex rationibus in ſecundo capite allatis.

Quæſitum hoc cum Ariſtoteles in tertio de Anima contextu 36. diſcutiendum propoſuerit; nec tamen id fecerit, varia propterea de eo extiterunt expoſitorum iudicia: Alexander enim putauit mentem noſtram eſſe diſpoſitionem ad ſpecies intelligibiles, per quas iam receptas coniungatur ei tanquam forma intellectus agens (quem voluit eſſe Deum) qui cum optime cognoſcat ſeipſum, & omnia alia: propterea dum fuerit perfecte coniunctus, communicet ei notitiam ſubſtantiarum abſtractarum, & cuiuſuis alterius naturæ: Cuius fundamentum eſt quod generabile quodlibet, cum attigerit finem ſuæ productionis, acquiret & perfectionem ſuæ operationis: intellectus vero noſter poſſibilis eſt generabilis: quare adepto fine ſuæ productionis, ſcilicet ſpeciebus intelligibilibus, poterit etiam perfectionem ſuæ operationis aſſequi: quæ in quacunque ratione cognoſcenda conſiſtit. *Opinio Alexādri.*

Themiſtius aſtruens intellectum tam poſſibilem quam agentem æternum, & ſeparatum: cum negaret ſpecies intelligibiles, aiebat: nobis per medium phantaſmatum connecti intellectum poſſibilem, qui dum fuerit perfecte coniunctus, optime noſcit intellectum agentem, & reliquas ſubſtantias abſtractas: inde ſuffultus quod facilius eſt cognoſcere quiditatem ſine opere abſtractionis, quam cognoſcere, & abſtrahere ſimul; quando labor ſit ſimplex, quam geminatus labor, vnde cum intelligat mens noſtra quiditatem materialem, in qua alterum etiam opus, ſcilicet abſtractionem moliri debet; aptius ideo percipiet ſubſtantias abſtractas, quæ ſunt quiditates ex ſeipſis abſtractæ. *Opinio Themiſtij.*

Auerroes in tertio de Anima comment. 5. non concedens Alexandro corruptibilitatem intellectus poſſibilis, nec Themiſtio quod idem poſſibilis cognoſcat ſub- *Opinio Auerrois.*

Digitized by Google

ſtantias ſeparatas, dicebat quod poſtquam ille per acquiſitionem omnium ſpecierum intelligibilium fuerit nobis connexus: tunc vnitur ei intellectus agens, qui ſuiipſius, & aliorum abſtractorum cognitionem ei impertitur: vnde ille euadit intellectus adeptus, perfectamq; beatitudinem obtinens: eo fretus quod cum nil in natura ſit fruſtra, neceſſarium eſt vt ſubſtantiæ abſtractæ, quæ ſunt intelligibiles, ac in ſe naturaliter intellectæ, intelligibiles ſint ab alio intellectu.

Opinio Auempace. Sed ante ipſum præceptor eius Auempace, qui poſſibilem intellectum organicum cenſuit, eumq; per abſtractionem ellicere ex phantaſmatibus rationem quiditatiuam intelligentiarum: vtebatur prætacto a nobis argumento: quia ſcilicet vel illa quiditas ex materialibus abſtracta, habet aliam quiditatem, vel non? ſi non; habetur intentum; ſi vero ſic; tunc facta noua abſtractione, rurſus id quæritur: & ne procedatur in infinitum, neceſſarium eſt vt deueniatur ad cognitionem ſimpliciſſimæ quiditatis, quales ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ.

Opinio Scoti. Scotus cognoſcens identitatem eſſentialem intellectus agentis cum poſſibili nobis coeſſentiali, in primo Sent. in prologo quæſt. 3. ac in ſecundo Sent. diſt. 6. ac in 2. Metaphiſ. ſuſtinet eum cognoſcere quiditatiue ſubſtantias abſtractas, non tamen ſecundum omnes gradus earum cognitionis quiditatiue, ſed tantum per aggregatũ prædicatorum, & conceptuum, quæ ex ſpeciebus ſenſibilium excipiuntur; vt dum quis concipit montem aureum: ſic enim intelligitur de huiuſmodi ſubſtantia, quod ſit immaterialis, infinita, immobilis, neceſſaria, ac ſempiterna: qui præter alia potiſſimum nititur in fundamento aſſertionis Ariſtotelis in proæmio Metaphyſicorum quod: omnes homines natura ſcire deſiderent; vnde infertur quod de maxima ſcientia, qualis eſt illa de ſubſtantijs abſtractis, intellectus maxime ſit ſollicitus; nec deſiderium naturale ad impoſſibile tendit.

Opinio D. Thomæ. Diuus Thomas autem in prima parte ſummæ quæſt. 68. in tertio contra Gentes cap. 41. ac in opere de Ente, & eſſentia fatetur: percipere vtique intellectum noſtrum quiditatem ſubſtantiarum ſeparatarum; eaſdem vero neutiquam quiditatiue cognoſcere: dicitur enim cognoſci alicuius quiditas, dum illius ratio, & quiditas per aliquem conceptum, ſeu a priori, ſeu a poſteriori, ſeu etiam ex aliquo ſimili deductum attingitur: quemadmodum in propoſito, ex effectu motus æterni; ex proxima dependentia a prima cauſa, ac ex conſimilitudine cum intellectu noſtro colligimus de intelligentijs abſtractis quiditatiua quędam prædicata; vt quod ſint entia incorporea, impaſſibilia, mouentia, infatigabilia, cognoſcentia, diuina, ingenita, ac perpetua: quiditatiue autem id cognoſcitur, quod vel per eius eſſentiam, vel per ſpeciem adequate repræſentatiuam ſecundum proprias differentias percipitur; qualem notitiam de ſubſtantijs abſtractis nunquam poteſt attingere intellectus corpori coniunctus; qui cum omnem eius ſcientiam educat ex ſenſibilibus, quorum ratio diſtinctæ rationis, ac inferioris ordinis eſt ab eſſentia intelligentiarum; propterea nunquam elleuari poteſt ad quiditatiuam, ſcilicet perfectiſſimam notitiam rationis illarum:

Quid ſit cognoſci per quiditatem, & quid cognoſci quiditatiue.

Approbatio. Quæ quidem doctrina valde rationabilis, circumſpecta, ac tuta eſt, per eamq; vtriuſque partis argumenta facile conciliantur, & diſſoluuntur. Vt dilucide explicatum, ac comprobatum habui ex manuſcripto doctiſſimo quodam opuſculo Illuſtriſſimi Hieronimi Baſadonæ Io. Franciſci fil. qui optime in hac ſcientia verſatus in maxima, qua eſt mecum neceſſitudine iunctus, amanti communicatione vtiliſſimam mihi de hac re attulit inſtructionem; ſecundum quam in pleriſq; ex argumentis diluendis tutiſſime pergendum putem.

Hieron. Baſad.

Solutio 1. argumenti partis affirmatiuæ. Ad primum enim partis affirmatiuæ, conceſſo quod intellectui aliqualis cognitio ſeparatarum ſubſtantiarum contingat; ſi quid vlterius probare intendat; reſpondebitur ad argumentum, quod vt omnia viſibilia percipiuntur ex ſenſu viſus: ſic & omnia intelligibilia debent cognoſci ab illa facultate intellectiua, quæ eis, vt obiecto correſpondet: ſic omnia entia intelligibilia, quæ ſint etiam obuia ſenſibus, & phantaſmata pariant, cognoſcibilia ſunt ab intellectu coniuncto: ſubſtantiæ vero ſeparatæ cum ſint intelligibilia non propria noſtri intellectus, ſatis eſt eis cognoſci ab ali-

quibus

quibus intellectibus; ſcilicet a materia abſtractis: diſpar autem eſt ratio ſenſibilium, ac intelligibilium abſtractorum in reſpectu noſtrę cognitionis; ſenſibilia enim habent ex ſe quomodo ſenſum moueant, ſuiq; imaginem in illo effingant: at ſubſtantiæ ſeparatæ, nec per ſe, nec per alienas ſpecies obijci valent intellectui; qui propterea ſe habet ad illas veluti cæcus ad colores, quos nunquam inſpexit. Sic ſoluitur & ſecundum; cui addi poteſt: fruſtrari id, quod non attingit finem, ad quem ſit inſtitutum, vt docet Philoſophus in ſecundo Phyſic. contextu 62. quo quidem modo non ſe habent intelligibilia: quippè, quæ non inſtituta ſunt propter intellectum; ſed ipſa ſunt fines, ac perfectiones intelligentium. Pariter & ad tertium reſpondetur concedendo illarum cognitionem imperfectam: non autem dilucidam, & quiditatiuam; ad quam effectus illi non valent intellectum deducere: Sic etiam ad quartum eſt dicendum: præcognoſci de illo ſubiecto quod eſt, & quid eſt, imperfecte: non quiditatiue. Subſequenti reſpondetur quod quamuis intellectus noſter ab excellenti intelligibili, quales ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, non patiatur detrimentum organi, quo ipſe caret: & quamuis etiam non excederetur ex eminentia illarum eſſentiæ: habet tamen quoad modum eſſendi improportionem cum eis, quæ penitus ſunt immateriales, & ipſe quatenus corpori iunctus, coactus eſt omnẽ ſcientiam ex phantaſmatibus ſenſibilium haurire. Dicimus ad alterum diſparem eſſe rationem immaterialitatis ſpecierum, ac ſubſtantiarum ſeparatarum; ſpecies enim non ſunt entia realia, ſed intentionalia; & quamuis ex ſe immateriales; rerum tamen materialium repræſentatiuæ, ac ideo maxime conformes intellectui immateriali quoad operationem inorganicam; ſed materiali quoad inhærrentiam corpori: qui propterea deſtinatus eſt nõ cognoſcere, niſi, ea quę a corporeis per medium ſenſuum ei repræſentantur: intelligentiæ autem ſunt entia realia, atque ſubſtantialia, ſecundũ ſuam eſſentiam nullam habentia affinitatem cum ſenſibilibus, & propterea quamuis ſint immaterialia; non tamen ſunt illius generis immaterialium, quæ cum intellectu corpori iuncto conueniunt. Ad ſeptimũ reſpondetur quod, ſi comparatio fieret circa idem obiectũ; vtique facilius eſſet idem iam abſtractũ cognoſcere; quã ipſum cognoſcere, & abſtrahere ſimul: at loquẽdo de rebus diuerſis, vt ſunt ſubſtantię ſpirituales, & materiales; non eſt mirum ſi dificilius ſit ſpirituales concipere tantum, quam materiales ſimul concipere, & abſtrahere; magis ſiquidem repugnat meræ cognitioni improportionata conditio ſubſtantiarum ſpiritualium, quæ non habent à quo intellectui repræſententur; quam reſiſtant duplici actioni intellectus, intelligendi ſcilicet, & abſtrahendi ſubſtantiæ ſenſibiles. Alteri reſpondetur quiditates abſtractas ex corporeis tanquam diſimiles, & diſtinctæ rationis, non valere ad repræſentandam intellectui rationem immaterialium, niſi imperfecte; non autem per cognitionem diſtinctam, & quiditatiuam. Ad duo ſequentia reſpondemus colligi exinde neceſſariam cognitionem finium, cauſarumq; ſubordinatarum eſſentialiter: non tamen quoad perfectam, & quiditatiuam cognitionem; ſed ſaltem talem, quæ ſufficiat ad denotandam cauſalitatem illarum in talem effectum ex eis dependentem: Sic & duabus ſuballatis inſtantijs dicimus ſufficere, quod illa definitio, ac quæuis alia eorum cognitio exprimat illarum rationem eo modo, quo eas nobis cognoſcere licet: nec eſſe neceſſariam cognitionem illarum quiditatiuam: Et ſi alteram etiam reſponſionem non penitus reſpuere velimus: quod ſcilicet de ſubſtantijs illis magis cognoſcatur quid non ſint, quam quid ſint: ad primam inſtantiam prætermiſſo, quod in Peryerminia locutus ſit Philoſophus populariter, & ad aures hominum nondum ſublimes has contemplationes adeptorum: dicimus quod omnis propoſitio negatiua præſupponit affirmatiuam in re, ſcilicet quoad eſſentiam ſubiecti illius aſſertionis; id autem non eſt neceſſarium quoad noſtram intellectionem: quemadmodũ Deus, & materia prima, habent quoad eſſe ſuas rationes, & ſuas naturas definibiles reales, & poſitiuas, quamuis ille ob excellentem ſuam eſſentiam, hæc ob defectum actus definiantur à nobis per negationem: Præterquam, quod ad ſaluandum fundamentum inſtantiæ ſatis eſt, vt de his ſubſtantijs habeatur illa non ſumme perfecta cognitio,

Solutio 2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

Inſtantia ſolutio.

Alterius inſtãtiæ ſolutio.

Digitized by Google

Alterius ſolutio. quæ iam intellectui noſtro fuit conceſſa. Ad alteram inſtantiam dicimus, quod ad
cognitionem illius connexionis exiſtentiæ cum quiditate ſufficit quæcunque, quam-
uis imperfecta illius quiditatis notitia; ex qua ſaltem appareat talis complicatio.
Inſtantia. Sed inſtabis de exiſtentia primi motoris, quæ in illius ſimpliciſſima eſſentia non
diſtinguitur, ſed eſt idem cum quiditate: vnde qui cognoſcit eius exiſtentiam, eodẽ
Solutio conceptu etiam ipſius quiditatem cognoſcere debet. Cui reſpondebitur vtique in
ſimpliciſſima eſſentia ipſius ſupræmi mouentis non diſtingui exiſtentiam à quidita-
te: vnde ſi quis perfectiſſimè illius exiſtentiam cognoſceret, idem & quiditatem ſe-
cundum omnes gradus cognitionis perciperet: quoniam vero non abſolutam habe-
mus notitiam de illa exiſtentia; quam vt Theologi, & religioſi per fidem credimus:
vt Phyſici vero ex illius effectu in rebus naturalibus coniectamur; ideo ex huiuſmo-
11. di cognitione exiſtentiæ non cogimur ad quiditatiuam notitiam illius eſſentiæ. Ad
vndecimum principale reſpondemus illationem illam inefficacem eſſe ob duplicem
defectum: primo quia intellectus non cognoſcit ſeipſum directe, vt ſcilicet a ſpecie
ſui ipſius ad illam intellectionem moueatur; ſed ſo cognoſcit per reflexionem ad ſpe-
cies, quæ illi ipſiuſmet actionem repræſentant: ex quibus non poteſt ellicere ſuimet
cognitionem perfectam, & quiditatiuam; ſed tantum, quæ illius rationem operandi
ſignificet. Nec dicas, quod operari ſequitur eſſe; vnde qui cognoſcit rationem ope-
randi cognoſcere debet, & illius eſſe: Hoc enim vim haberet ſi illius rationem ope-
randi cognoſceret à priori, & non (vt facit) à poſteriori: Secundum, ob quod deficit
conſequentia illa eſt quia, dato etiam quod intellectus exinde quiditatiuam ſui no-
titiam exciperet: non tamen poſſet per lumen illud perſcrutari intimam abſtracto-
12. rum quiditatem, quæ eſt à ratione intellectus diſtincta. Ad poſtremum dicimus,
quod ad hoc, vt illa generatio non procedat in infinitum ſufficit, quod intellectus
corpori vnitus ſua cognitione attingat terminum illum, ad quem eſt deſtinatus: qui
eſt citra cognitionem abſtractorum quiditatiuam, ad quam poſt ſeparationem à
corpore tantummodo peruenire natus eſt.

Solut. 1. argumenti partis negatiuæ. Fundamenta etiam negatiua cognitionis abſtractarum ſubſtantiarum à noſtro
intellectu: ex eadem doctrina facile ſoluuntur: quorum ad primum dicimus, vtique
verum eſſe quod vt noctua repellitur à viſione Solis, ita & intellectus corpori con-
iunctus non valet abſtractas ſubſtantias intueri: at quemadmodum non tollitur no-
ctuæ quod per effectum radiorum aliqualem ſolis ſenſationem faciat; ſine qua cum
non fugeret: ſic & intellectus poteſt ex effectibus abſtractorum aliqualem illorum
2. notitiam venari. Secundum etiam argumentum concludit tantum de intellectu im-
poſſibilitatem cognitionis quiditatiuæ, & perfectæ; non autem penitus, & abſolute.
3. Ad tertium reſpondetur veram eſſe illam diſtantiam quoad eſſe: non autem quoad
cognitionem, & in adæquatione rationis obiectiuæ.

Reſoluitur Quæſtio de Obiecto Intellectus. Cap. V.

AD inſtitutum autem reuertendo: quæſitum principale de obiecto
adæquato intellectus corpori coniuncti, & naturaliter intelligentis,
Quorumdam diſtinctio quadruplicis obiecti: & 4. concluſiones. quod ex fundamentis duarum aſſertionum oppoſitarum grauiter
agitatur, explicare nitentes aliqui, præmittunt cognoſcitiuæ faculta-
tis quadruplex eſſe obiectum, ſcilicet; Formale quod, id eſt, quod per
propriam rationem refertur ad facultatem, ab ipſaq; adæquate, ac vt, tale, percipi-
tur; vt ſonus ab auditu: Formale quo; & eſt aliquod extrinſecum obiecto; ſed ſine
quo nunquam ipſum obiectum à facultate perciperetur; vt ſe habet de lumine reſpe-
ctu coloris in viſione: Materiale, id ſcilicet in quo tanquam in eius ſubiecto, & infe-
riori recipitur obiectum formale quod: ſicut in eis, quæ pertinent ad ſenſum viſus,
albedo eſt in qua recipitur ratio coloris: & Accidentale, id nempe, quod accidit obie-
cto formali; vt vocis, quæ auditur accidentale eſt, quod exeat à Petro: tunc dicentes
obiectum intellectus noſtri formale quod, eſſe ens; quoniam omnia appræhendun-

Digitized by Google

tur ab intellectu ſub ratione entis: obiectum formale quo: eſſe phantaſmata, ac ſpecies,quæ rerum imagines intellectui repræſentant: obiectum materiale eſſe quiditatem rei materialis: ac obiectum accidentale eſſe verum, quia concomitatur ſemper intelligibile, quod non poteſt intelligi, niſi conformetur intellectui, in quo conſiſtit ratio veri; quod ita ſe habet ad intelligibile, vt Petrus ad ſuos colores, ſeu ad ſonum ab eo editum. Quam reſſolutionem quæſtionis quamuis non reprobemus, expediens tamen arbitramur per aliam diſtinctionem procedere, præmittendo nos non loqui de conditionibus obiecti intelligibilis, de quibus in ſequenti capite differendum erit; ſed de ipſo obiecto:tunc dicendo,quod obiectum intellectus triplicis conditionis reperitur. Primò enim adeſt obiectum motiuum,ac etiam terminatiuum,& eſt illud, quod mouet intellectum ſui ſpeciem illi imprimendo: quodve ab ipſo per ſe,ac principaliter intelligitur, vt dum concipitur Stella: Secundò adeſt obiectum terminatiuum,ſed non motiuum:hoc eſt id, quod percipitur, iudicaturq; ab intellectu; ſed non mouet ipſum per ſe, quia non habet medium proprium, nempe phantaſma,per quod mentem excitare valeat: tertio eſt obiectum motiuum, ſed non terminatiuum,quia ſcilicet quamuis ex ſe ſit aptum mouere;non tamen in ſui contemplationem intellectum inducit; ſed ipſum ad intellectionem aliorum dirigit: Itaque obiectum intellectus primo modo ſumptum, compræhendens ſcilicet ea, quæ mouent intellectum, ac terminant eius intellectionem, eſt quiditas rei materiatæ, ſeu ſingulariter,ſeu vniuerſaliter ſumpta: cuius aſſertionis ex rationibus in primo capite adductis iam ſufficiens habetur comprobatio: Obiectum vero terminatiuum intellectionis, ſiue ipſum intellectum per ſe mouendo, ſiue non mouendo per ſe; eſt ens abſolute, vt compræhendit omnia, quæ ab intellectu quouis modo concipi poſſint, ſiue ſint entia materialia, ſiue a materia aliena, vt intelligentiæ, ac ſiue ſint entia realia, ſiue rationis: quæ etiam aſſertio in rationibus ſecundi capitis validam habet confirmationem. Nec obijcias,quod intellectus quodammodo intelligit etiam non ens: Vnde inquit Philoſophus in ſecundo de Anima, quod omnis potentia reſpicit aliquam formam, & illius oppoſitum, vt oculus lumen, & tenebras: quare aliquod communius videtur eſſe obiectum intellectus. Reſpondebitur enim non ens non cognoſci,niſi ſub aliqua ratione entis, quam quidem obtinet tanquam ens aliquod rationis, quatenus habet eſſe apræhenſum, ſeu excogitatum ab intellectu: Ariſtoteles vero in ſecundo de Anima intelligit præcipue de oppoſitis, quæ propriè eidem potentiæ pertinere ſolent: & tenebræ (in quarum inſpectione potius dicimur non videre) videntur tantum quatenus atri coloris ſimilitudinem quandam repræſentant: non entis autem cognitio nulli potentiæ cognoſcitiuæ fuit à Philoſopho, vel à natura demandata: Obiectum demum motiuum,ſed non terminatiuum ſunt phantaſmata,ſeu ſpecies intellectui impræſſæ,quæ mouent quidem intellectum;ſed non ad cognitionem ſuiipſorum,ſed obiectorum, quorum imagines repræſentant: Hinc tollitur obiectio dicentium, quod proprius, & adæquatius obiectum eſt phantaſma, ſeu ſpecies intelligilis; quoniam eſt id, quod propriè ab intellectu appræhenditur: Id enim non eſt terminatiuum intellectionis, ſed tantum motiuum intellectus alterius rationem repræſentando; ac ideo non cognoſcibilis ab intellectu, niſi ſecundum ſuam præciſam rationem a ſuo repræſentatiuo diſtinctam, quatenus eſt aliquod ens rationis ex genere illorum, quę repoſita ſunt ſub communiſſima ratione obiecti ſecundo modo ſumpti. Inſtatur vero quoniam id videtur adęquatum obiectum,quod primo cognoſcitur: & primo cognoſcitur ab intellectu quod ei primo repræſentatur a ſpecie intelligibili, quæ primo præfert id, a quo cauſatur, ideſt phantaſma: quod propterea videtur eſſe adæquatius obiectum intellectus. Cui illi,qui admittũt ſpecies intelligibiles ante actum intellectionis optime reſpondent in ſua via, quod ſpecies intelligibiles non neceſſario repræſentant id, a quo cauſantur; ſic enim repræſentarent ſtatim,& neceſſario etiam intellectum agentem: repræſentant namque obiectum principale; quod non eſt phantaſma, ſed natura repræſentatiue contenta in eo; Vnde etiam dicunt a ſpecie intelligibili non repræſentari immediate

Reſſolutio quæſtionis.

Inſtantia.

Solutio.

Obiectio.

Solutio

Inſtantia.

Solutio.

id, a quo

Digitized by Google

id, a quo proximè fuit cauſata: ſed id, quod fuit ratio cauſandi; qualis eſt quiditas materiata: Nos vero, qui ante actum intellectionis non aliam admittimus ſpeciem præter phantaſma, reſpondemus ad argumentum quod quamuis phantaſma ſit id, quod primo obijcitur intellectui, & id quod vt cauſa materialis concurrit cum intellectu agente ad productionem illius ſpeciei intelligibilis impræſſæ, quæ eſt idem cum actu intellectionis; non tamen nata eſt intellectui repręſentare ſeipſam, ſed obiectum principale, pro cuius repræſentatione eſt inſtituta, & a natura intenta.

Alia reſolutio quæſtionis. Alia etiam adeſt recentiorum non improba quęſtionis reſſolutio per diſtinctionem quod aliud eſt obiectum intellectus ab eo quocunque modo, ſeu ſcilicet per propriam, ſeu per alienam ſpeciem; ac ſeu perfecte, & quiditatiue, ſeu imperfecte, cognoſcibile: & aliud quod per propriam rationem, & ſpeciem, phantaſma ſcilicet eſt natum appræhendi ab ipſo intellectu: quorum primum eſt ens communiſſime ſumptum: ſecundum eſt quiditas materialium.

Dubitationibus, & Quæſitis aliquibus occuritur. *Cap. VI.*

Dubitatio SVper ea, quæ in præcedenti capite determinata ſunt, quamplures emergunt ennodandæ dificultates, ac inſtruendæ hæſitationes: primo enim obijci poteſt quod obiectum latiori modo ſumptum videtur eſſe, non ens, ſed verum; nam id cenſendum eſt obiectum intellectus, per quod ipſe diſtinguitur a voluntate, a qua in eo diſtinguitur, quod, cum ambo verſentur circa ens; voluntas reſpicit bonum, & intellectus verum: quare obiectum eius videtur eſſe verum.

Solutio Cui reſpondemus verum non eſſe intellectus obiectum; ſed ipſius obiecti conditionem; vt infra conſiderabitur: diuerſaq; eſt illius ratio a bono, quod ſiquidem ſemper mouet voluntatem tanquam obiectum eius principale, eo modo, quo ens mouet intellectum: & veritas non ſemper eſt ratio mouendi intellectum; ſed eſt conditio obiecti conſequens intellectionem.

Dubitatio. Dubitatur ſecundo quia, quæ per propriam ſpeciem appræhenduntur ab intellectu, non ſunt tantum ſubſtantiæ, ſed etiam paſſiones, & accidentia, quæ non comprænhenduntur ſub ratione quiditatis: vnde videtur quod aliquid communius quam quiditas materiata, debeat eſſe ſecundum illam rationem obiectum.

Solutio. Cui reſpondetur quod nomen quiditatis hic late deſumitur prout ſignificat rationem, & eſſe nedum ſubſtantiarum, ſed & accidentium omnium, quæ cum materia habent complicationem.

Dubitatio. At rurſus inſtabitur quoniam cum id cenſeri debeat obiectum intellectus, quod primo ab illo percipitur: idq; ſit illud, quod primo a phantaſmate proponitur, ſcilicet accidens; propterea accidens, & non quiditas materiata videtur adæquatum obiectum per propriam rationem ab intellectu appræhenſibile. Quod confirmatur ex aſſertione Ariſtotelis in primo de Anima tex. 11. quod accidentia magnam partem conferrunt ad cognoſcendum ipſum quid eſt: vnde prius accidens quam quiditas materialis cognoſci videtur.

Solutio. Reſpondetur quod ſicut in eſſe, ita & in cognoſci connexa ſunt accidentia cum ſubſtantia, adeout ſimul cum accidentibus per quandam conſequentiam cognoſcatur etiam ipſa ſubſtantia: quæ in primo intuitu, quem habet intellectus de accidentibus, eſt ab eo percepribilis; alioquin non amplius eſſet ab eo cognoſcibilis: Et ad confirmationem dicimus quod accidentia conferunt pro notitia ſubſtantiæ quatenus ipſa confuſe cognita proſunt ſubſtantiæ pro illius cognitione diſtincta; ex qua diſtincta cognitione ſubſtantiæ deinde ſummopere iuuantur ipſa accidentia pro illorum cognitione diſtincta: ex quo tamen non ſequitur quod in primaria vtriuſque cognitione confuſa non ſimul ambo ab intellectu percipiantur.

Dubitatio. Obijcitur etiam quoniam id, quod non eſt ſenſibile, nec etiam eſt intelligibile; quia nil intelligitur ſine phantaſmate ex tertio de Anima tex. 30. & 39. quod quidem

Digitized by Google

dem phantaſma eſt imago obiecti ſenſibilis ex ſecundum eiuſdem operis tex. 121. & 122. at quiditas non eſt ſenſibilis ſecundum Auerroem in ſecundo de Anima comment. 63. quare non eſt intelligibilis, ac proinde non eſt obiectum intellectus. Cuius minori propoſitioni reſpondetur: non ibi determinaſſe Auerroem quod ſenſus nullo modo cognoſcat quiditatem; aduerſaretur enim Ariſtoteli in 10. textu tertij de Anima docenti, quod: ſenſitiuo cognoſcimus rationem carnis: ſed tantum negaſſe quod illa cognoſcat ſub ratione vniuerſali; quod munus eſt ſolius intellectus. *Solutio.*

Sed rurſus obijcitur quod ſi quiditas eſt obiectum intellectus, cum illa ſit quid diſtinctum ab indiuiduo habente quiditatem, vt innuere videtur Philoſophus in tertio de Anima 9. & diuerſorum obiectorum diuerſæ debeant eſſe virtutes cognoſcentes: cum potentiæ diſtinguantur per obiecta: propterea videtur quod ipſum indiuiduum habens quiditatem non ſit cognoſcibile ab eodem intellectu. Reſpondetur vtique indiuiduum habens quiditatem cognoſcibile eſſe ab intellectu, cui primo proponitur a ſenſibus præciſam quiditatem percipere non valentibus; ex qua quidem ſpecie indiuidui quiditatem compræhendentis ipſe intellectus per abſtractionem ellicit conceptum quiditatis: nec ea duplicitas conceptus exigit diſtinctas potentias cognoſcentes; nam vt fundamentaliter ſunt idem, quia repræſentant eandem rationem intelligibilem, ſic optime ab eadem potentia percipi valent. *Dubitatio.* *Solutio.*

Dum vero quæritur: cum Quiditatis nomen duplicem habeat ſignificationem; ſumitur enim, & pro forma totius, & pro forma partis; de qua nam acceptione intelligatur, cum dicitur quiditatem materiatam eſſe obiectum intellectus? Occurrentes dicimus ſpectare intellectui obiectiue quiditatem vtriuſque ſignificationis: ratio enim totius expreſſe videtur aſſignari ab Ariſtotele pro huiuſmodi obiecto in tertio de Anima tex. 10. dum ad differentiam ſenſus qui intelligit carnem, ſcilicet rationem carnis concretam in ſingulari: intellectum inquit diſcernere eſſe carnis, ipſam nimirum rationem carnis, non neceſſario ipſis indiuidualibus conditionibus inuolutam: forma etiam partis, cum annexa ſit materiæ, optime idcirco nomine, ac ratione materiatæ quiditatis potitur: ac per eandem complicationem cum materia aptiſſime ſecundum propriam rationem ab intellectu cognoſcitur: præcipue tamen id conuenit formæ, ſeu quiditati totius, quoniam illa totalem rationem materiatæ quiditatis, naturam ſcilicet actualem, ac potentialem compræhendentem includit. *Quæſitum.* *Satisfactio.*

Quæritur inſuper an ſub eo nomine Quiditatis compræhendatur ratio materiæ; ac entia rationis. Cui reſpondetur de vtroque negatiue; ipſum enim nomen quiditatis materiatæ, ſeu rei materialis, non ſignificat ipſam eſſentiam materiæ; ſed aliquod vel habẽs materiam, vt compoſitum; vel eſſentialiter ei vnitum; vt forma; vel ei inhærrens, ſeu ex ipſa dependens, vt accidẽs: ipſa vero materia expers omni actu, caret etiam quacunque vi intellectum per ſe mouendi; ideo non compræhenditur niſi ſub obiecto communiſſime ſumpto, quatenus eſt ens: Quemadmodum & ens rationis, quod non per ſe mouet intellectum; ſed ab illo producitur: vnde eſt ex eis, de quibus in Prędicamentis de Ad Aliquid inquit Philoſophus quod ſimul formantur, & intelliguntur: Quare non poſſunt eſſe de adæquato obiecto intellectus; cum nulla potentia obiectum ſibi conſtituat. *Quæſitum.* *Satisfactio.*

Quæri etiam ſolet an intellectus cognoſcat quiditatem ſubſtantiæ materialis per propriam illius ſpeciem ſeu ſenſibilem, ſeu intelligibilem diſtinctam a ſpeciebus accidentium, ex qua valeat moueri, & ad intellectionem excitare: De quo præſtare videtur reſponſio negatiua, quę cõformatur Platonicis dogmatibus, ſecundum quæ ideo neceſſariæ exiſtimantur Ideæ; quia ſine eis, ac rationibus animæ inſitis, quæ ſunt illarum participationes, nulla ex phantaſmatibus & accidentibus ſenſibilibus ellici poſſet cognitio ſubſtantiæ: quam probauit Scotus in tertio de Anima quæſt. 21. ſtatuens non dari ſpecies ſubſtantiæ ſimplicis ab accidentibus præciſæ: ſed col- *Quæſitum an ſubſtantia cognoſcatur per propriam ſpeciem.* *Satisfactio.*

ligi

Digitized by Google

ligi tantum ex accidentibus rationes, ſeu prædicata quędam, quibus ipſa ſubſtantia circunſcribitur, ea potiſſimum ratione quia nequet ignobilius producere aliquid nobilius; qualis eſt ſpecies ſubſtantiæ reſpectu ſpeciei accidentium. Quod confirmatum habet in ſeipſo quiſcunque experiendo comperiens nil concipi vt accidentibus diſſociatum: Quoniamue rationes ſubſtantiales elementorum, quamuis magis materiales, & ſenſibiles; latent tamen adeo, vt eas Philoſophus modo per qualitates motiuas, ac modo per alterantes circunſcribat: longe magis itaq; latitare debent aliæ ſubſtantiæ, quæ ſimpliciores, ſeu elleuatiores ſunt.

Obiectio 1. Oppoſitum tamen pronunciarunt Auerroes in ſecundo de Anima comment. 63. & 65. & Gandauenſis in tertio de Anima quæſt. 20. quod tueri connantur primo ex eo quod in tertio de Anima tex. 6. intellectus dicitur locus ſpecierum: vnde videtur debere cuiuſcunque naturæ ſpeciem cõpræhendere:
2. 2. quia in textu 38. eiuſdem operis legitur quod, in anima non eſt lapis, ſed forma: quibus ſignificari videtur quod ſeclusis accidentibus lapidis mera illius forma ſubſtantialis in intellectu recipiatur.
3. 3. quia non videretur recte dici poſſe quod intellectus ſingula fiat, & omnibus ſimilis reddatur, niſi ſimplicis etiam ſubſtantiæ ſpeciem ſubiret:
4. Inſuper quoniam accidentia non exacte ſubſtantiæ rationem patefaciunt; ſed tantum conferunt ad notitiam illius quiditatis ex primo de Anima 11.
5. Quiaue vt in eſſe reali per præuiam diſpoſitionem accidentium introducitur forma in materia; pariter in eſſe cognito videtur ex præcurſu accidentium produci in intellectu ſpecies ſubſtantiæ.

Notandum. Pro quarum reſſolutione confert diſtinctio duplicis conditionis ſpecierum: vnius ſcilicet quæ ſcatet ex obiecto cognoſcibili, & tanquam illius actio, ac imago ipſius repræſentatiua valet mouere intellectum: quæ quidem non datur niſi de ſubſtantia, & de accidentibus ſimul: vnde eſt quod ęgre valet quiſpiam concipere rationem ſubſtantiæ aliter quam magnitudine, figura, alijſq; accidentibus circunfuſam: alterius vero, quæ non prouenit immediate ex obiecto, vnde non eſt motiua intellectus, ſed eſt conceptus ab eo per abſtractionem formatus, ac per circunſcriptionem quamdam excogitatus, qui tantum eſt intellectionis terminatiuus, & talem ſpeciem habere valet in intellectu ſubſtantia ab accidentibus præciſa:

Solutio 1. Iuxta quam diſtinctionem ſoluuntur rationes oppoſitæ, intellectus enim reſpectu ſpecierum poſterioris conditionis, eſt locus ſpecierum, etiam ſubſtantiæ ſegregatim ab accidentibus: omnia fit ſecundum quemcunque modum eas cognoſcendi:
2. habetq; in ſe formam lapidis ſeiunctam ab accidentibus, & conditionibus indiuiduantibus ipſius lapidis.
3. 4. Accidentia conferunt ad cognitionem ſubſtantiæ diſtinctam: primariam vero, & originalem illius notitiam abſolute præbent dum ipſam per eorummet ſpeciem intellectui repræſentant. Exemplum de introductione in materia ex preuijs accidentibus concludit tantum diſpoſitionem, quæ ex eis inducitur intellectui ad illam ſpeciem abſtractam, cum hac differentia, quod materia, quæ eſt natura tantum paſſiua, per actionem alterius agentis recipit formam, ad quam fuerat ex præcurſu accidentium diſpoſita: & intellectus, qui eſt virtus iudicatiua, ſuimet actione ſpeciem illam ſimplicis ſubſtantiæ effingit, ac producit.

Quæſitum de ratione obiecti. Quæri etiam non ſine diſcrimine, ac controuerſia ſolet de obiecto intellectus. cum ipſius, non aliter quam obiecti ſcientiæ, duæ ſint partes: res ſcilicet conſiderata, & modus, ſeu ratio formalis eam conſiderandi: præter rem conſideratam, & cognitam, de qua hucuſque diſſeruimus, quænam ſit ratio ipſam cognoſcendi: De quo Piccolomineus in primo lib. de Humana Mente cap. 22. Henrici ſententiam amplexatus; quod nempe ſeu ens, ſeu quiditas materiata ſit obiectum intellectus ſub ratione Veri, in eius tutellam eas adduxit rationes:

Fundamen. 1 Primo quoniam Ariſtoteles in primo de Anima contextu 23. carpens Anaxagoram, ait: Non itaque vtitur intellectu tanquam potentia quadam circa veritatem; ſed idem dicit animam, & intellectum: infert exinde quod ſecundum mentem Ariſtotelis officium mentis ſit iudicare ſuum obiectum vt, Verum;
2. Deinde quia in tertio de Anima 34. leguntur

ea verba:

ea verba: Et quod ſine actione eſt, & verum, & falſum in eodem genere eſt cum bo-
no, & malo: ex quibus infertur quod vt ſe habent bonum, & malum ad intellectum
practicum ſcilicet ad voluntatem, ita ſe habere debeat verum, & falſum ad Theori-
cum, & iudicantem: vnde cum bonum, & malum conſtituant obiectum, & finem
practici; pariter, & verum conſtituere debet obiectum, & finem intellectus Theo-
rici. Tertio quia in contextu 49. eiuſdem ait Philoſophus quod, intellectus acti- 3.
uus ſcilicet appetitiuus diſtinguitur a ſpeculatiuo ratione finis, qui actiui eſt bonum:
vnde ſubinfertur quod cum finis ſpeculatiui ſit verum; ideo verum conſtituit eius
obiectum. Adducit & contextum 22. noni Metaphis. vbi habetur quod verum eſt 4.
attingere, & falſum non attingere: quaſi illuc determinetur: obiectum potentiæ iu-
dicantis eſſe ſemper ſub ratione veri, & falſi: Deinde arguitur quoniam vt facul- 5.
tas appetens contradiſtinguitur a cognoſcente; ita ratio, & forma appetentis debet
contradiſtingui ab ea obiecti cognoſcentis: ſed ratio obiecti appetitus eſt bonum
ſequens verum, & contradiſtinctum ab eo: quare ratio obiecti facultatis cognoſcen-
tis debet eſſe verum antecedens bonum. Arguitur inſuper quoniam ratio obiecti 6.
cuiuſque facultatis deſumitur ex fine, vnde in ſecundo Phiſicorum 26. habetur
quod vnumquodque in qualibet diſciplina conſideratur quatenus fini eius inſer-
uit: vt ideo ratio obiecti mentis debeat cum fine necti, & ab eo deſumi: quod cum
talis finis ſit Verum: proinde contrahi debet eius obiectum ex ratione veri. Septi- 7.
mo ratio formalis cuiuſque ea eſt, per cuius oppoſitum illud formaliter deſtruitur:
at iudicium formaliter deſtruitur per oppoſitum Veri in adæquatione poſiti: igitur
verum eſt ratio formalis obiecti facultatis iudicantis. Inſuper ratio per quam for- 8.
matur obiectum facultatis debet includere relationem ad illam facultatem; cuius eſt
obiectum: ſed ens vt ens, eſt quid abſolutum, & non relatum ad intellectum: idemq;
eſt de quiditate materiata: ideo nec ens vt ens, nec quiditas materiata vt talis poteſt
dici obiectum; ſed tantum per rationem veri; ſecundum quam ad facultatem iudicã-
tem refertur. Demum quia ens quatenus ens, ac quiditas materiata vt talis agere po- 9.
teſt nedum ſpiritualiter, ſed etiam modo reali: quare eo modo nõ eſt adæquata ratio
ſecundum quam ſpiritualiter iudicetur: ac propterea contrahi debet ex aliquo per
quod æquetur facultati iudicanti; quod non videtur eſſe aliud quam verum: quod
ſolum pertinet ad iudicium, ad ipſum Verum tendens.

Rationabilius tamen de hoc determinaſſe videtur Auicenna in primo ſuæ Meta- *Euerſio.*
phyſicæ, ac Scotus in ſecundo Sent. diſt. 3. & in tertio de Anima quæſt. 20. ſuſti- *Auicen. Sco-*
nentes quo obiectum intellectus noſtri ſit ens in ea ratione, quatenus eſt ens: quod *tus.*
ea primo ratione ſuadetur: Ens eſt obiectum intellectus ea ratione, in qua ipſum *Ratio 1.*
mouet: Sed mouet intellectum vt ens abſolutum, non ſecundum eſſe relatum: qua-
re non mouet ratione Veri; quod eſt in relatione poſitum; ſed ratione entis quod
eſt quid abſolutum. Profitetur Piccolomineus ſoluere hanc rationem per reflexio- *Euaſio.*
nem inquiens quod obiectum vt mouet facultatem neceſſario includit relationem
ad eam, quæ relatio eſt illius propria ratio. Aduerſus quem prætermiſſo quod ſi re- *Impugnatio.*
latio obiecti ad facultatem eſt dicenda illius ratio? illa eſt potius intelligibilitas; ſeu
perfectiuum intellectus; non autem veritas. Quod vero falſum ſit, obiectum inclu-
dere neceſſariam relationem: quiſlibet experiendo diſcernit, dum ſimplices termi-
nos abſque aliquo reſpectu appræhendit: quinnimo ipſas etiam falſitates, & non
ſub ratione Veri: quinetiam inter leues homines habetur aliquando diſciplina de
aggregato terminorum, quorum aliquibus accidit eſſe veros, & aliquibus eſſe fal-
ſos; ſed ipſi de illorum veritate aut falſitate nullam habent intentionem; nihilomi-
nus huiuſmodi illorum cognitio, intellectio eſt. Inſuper ratio óbiecti debet eſſe
adeo communis, vt pertineat ad omnes intellectiones: contingunt vero nedum in-
tellectiones compoſitæ cum relatione, ſeu cum reſpectu veritatis aut falſitatis, ſed
etiam ſimpliciſſimæ, in quibus nullatenus veri, aut falſi conditio concurrit: quare
aliquid vero communius eſt ratio talis obiecti. Vt etiam adnotat Scotus, intelle-
ctus cognoſcit verum per actum reflexum; quando ſcilicet conuerſus ad intellectio-
nem a ſe

nem a ſe habitam, conſiderat eam vt adæquatur ad rem: contingunt autem ei etiam actus non reflexi; ſed recti. *Euaſio.* Reſpondet Piccolomineus, aliud eſſe cognoſcere verum, & aliud percipere, quod cognoſcatur verum, quorum ſecundum pendere quidem ex intellectione reflexa: ſed primo modo haberi per actum rectum: *Impugnatio.* Sed contra eſt quod actu recto intelligimus nedum entia, quæ ſunt vera; ſed etiam aliqua entia rationis, quæ ſunt abſolute tam ſcilicet formaliter, quam fundamentaliter falſa. Adde quod ſi quia accidit his, quæ intellectione illa recta cognoſcuntur vt ſint vera; propterea veritas eſt ratio intelligibilitatis: pariter quia ijſdem intellectis contingit eſſe bona, vel mala, vniuerſalia, vel ſingularia; dicendum conſimiliter eſſet quod bonum, malum, ac alia huiuſmodi ſunt ratio formalis intelligibilitatis: *Euaſio.* Nec tutum habet effugium cum inquit rationem veri in cognitione tam late ſe habere, vt in obiecto antecedat quamcunque aliam rationem, ac modum: quia ſiue aliquod iudicetur vt bonum, vel vt malum, ſeu vt vniuerſale, vel particulare, ſemper antecedit ratio veritatis, vel falſitatis. *Impugnatio.* In oppoſitum enim, præterquam quod non penitus certum eſt quod cognitum quatenus cognitum, ſit primo verum, quam bonum vel ſingulare, aut alterius huiuſmodi conditionis: Eo etiam conceſſo omnimode ratio entis vt ens, ſimpliciter, & abſque aliqua contractione & reſpectu eſt prius cognita, quam ratio veri & falſi. Accedit quod verum eſt affectio entis; ac ideo poſterior eſt ente; res enim primo fiunt, mox ſunt: deinde cognoſcuntur, ac poſtea ex adæquatione illarum ad intellectum reſultat, ſeu innoteſcit veritas, quæ eſt poſterior entitate: & poſterius non eſt ratio cognoſcendi prius. Præterea obiectum vnius ſcientiæ, quod ſe habet veluti quædam ſpecies obiecti intellectus, non poteſt eſſe ipſo obiecto intellectus vniuerſalius. Sed Metaphyſica ſpeculatur ens vt ens, quod eſt vniuerſalius, quam ens vt verum: vnde non videtur quod conditio veri poſſit determinare obiectum intellectus.

Solutio argumenti 1. Pro ſolutione autem oppoſitarum rationum, dicimus ad primam, quod ex illa auctoritate non infertur: Verum eſſe rationem formalem obiecti, de quo in præſentia loquimur; ſed tantum, quod verum eſt ex numero eorum, quorum cognitio ſpectat intellectui; carpit enim Ariſtoteles eo loci Anaxagoram, qui Democrito quodammodo adhærens dicebat: intellectum eſſe idem cum ſenſu; & vtrumque ipſorum contemplari verum: aduerſus quem inquit Philoſophus verum non ſpectare ſenſui, ſed intellectui: ex quo non ſequitur, quod illud inſpiciat tanquam ſui rationem formalem. *Solutio 2.* Pariter, & ex auctoritate adducta in ſequenti non licet inferre, quod verum ſit ratio formalis obiecti: ſed tantum, quod tanquam modus, & conditio entis, ſit alterum ex his, quæ cognoſcuntur ab intellectu: ibi enim aſſignatur diſcrimen intellectus ſpeculatiui à practico, ſeu appetente; quod in eo conſiſtit: quia cum vterque ex eis ſpeculetur verum, & falſum; ſpeculatiuus conſiderat ipſum ſecundum ſe, & non contractum ad opus; practicus vero, qui conſiderat ipſum, vt operetur; reſpicit illud, vt ordinatum ad opus; ac ideo, vt bonum, vel malum: propterea inquit ibi Philoſophus, quod verum, & falſum ſine actione, ſcilicet ſpeculatiuum, eſt in eodem genere cum bono, & malo, ſcilicet vero, & falſo practico: conueniunt enim ſubiectiue, & percipiuntur ab eodem intellectu; ſed iuxta diuerſas conditiones, ex diſtinctis illius facultatibus, ſcilicet ſpeculatiua, & volitiua: Et cum exinde infertur, quod vt ſe habet bonum, & malum ad intellectum practicum &c. Reſpondemus iuxta dicta ſuperius non eſſe veram illam identitatem reſpectuum abſolute; bonum etenim mouet intellectum eo modo, quo ens mouet voluntatem: ac propterea poteſt dici ratio formalis obiecti intellectus practici; verum autem non eſt ſemper ratio, quæ mouet intellectum; ſed tantum eſt conditio quædam conſequens ipſum obiectum, quod eſt *3.* ens: ac ideo tanquam quædam entis conditio, eſt intelligibile. Conſimiliter ex auctoritate tertio allata (quamuis non expræſſerit ibi Ariſtoteles, quod verum ſit finis intellectus: ſed dixerit ſolum, quod bonum eſt finis voluntatis: omnibus tamen conceſſis, tanquam ſi prolata fuiſſent) colligi poteſt, quod cognitio veritatis eſt finis, & perfectio quædam intellectus; qui in vero cognoſcendo perficitur: ex quo tamen

non ſe-

Digitized by Google

non ſequitur, quod illa ſit ratio formalis adeo, vt quæcunque intellecta ſub ratione veri ab intellectu appræhendantur. Sic etiam, quod quarto affertur de nono Metaphyſicorum probat tantum verum, aut falſum eſſe conditionem conſequentem rationem entis cogniti,& non aliud. Ad quintum argumentum,quod deficit in forma: reſpondemus, quod vt bonum eſt ratio obiecti voluntatis, quæ eſt facultas arctioris ambitus; ita intellectus ſpeculatiui, qui eſt facultas communiſſima,latiſſimum eſt obiectum, adeo vt non intra limites veri coerceatur; ſed ad quamcunque entitatem ſecundum communiſſimam rationem entitatis extendatur. Ad ſextum reſpondemus, quod ex fine non ſumitur obiectum facultatis adeo, vt ſit idem cum illo: ſed ex eo deſumitur, quatenus ad ipſum ducit, ac confert: quemadmodum cognitio entis ſecundum abſolutam,ac communiſſimam rationem,prodeſt intellectui pro adeptione veritatis, quæ quamuis adæquetur fini; excedi tamen debet à ratione obiecti: quoniam intellectiua facultas, quæ communiſſima eſt,obiectum communiſſimum, & nulla differentia, ſeu ratione, contractum exigit: Subſequenti dicimus, quod ex falſitate læditur finis illæ intellectus,qui conſiſtit in notitia veritatis:at non deſtruitur illius actio, ſcilicet intellectio, ad quam, vt obiectum refertur ens ſecundum ſui rationem abſolutam, & abſque contractione ad veritatem. Octauum concluderet potius talem rationem eſſe,quatenus intelligibile: quoniam ipſa potius intelligibilitas eſt relatio,ſecundum quam ens refertur ad facultatem intellectiuam: Verum iam ſuperius negauimus, quod obiectum intellectus includat relationem; quando vt adæquatum communiſſimæ facultati debeat eſſe communiſſimum, ac penitus abſolutum. Quod ens agere poſſit etiam materialiter nil officit rationi obiecti intellectus, à quo non recipitur actio entis, niſi ſpiritualiter, vt ei à phantaſmatibus inſinuatur; vnumquodque enim recipiens per modum ſibi conſentaneum recipit.

4. 5. 6. 7. 8. 9.

Soluuntur argumenta in ſecundo, ac tertio capite adducta.

Cap. VII.

VERITATE declarata, & inuolutionibus explicatis inſtrumenta altercationis tollenda ſunt ſoluendo argumenta inquantum præhabitæ determinationi obſiſtant: vel ea ſaltem ad bonum ſenſum redigendo: in quo exordiendo à ſecundo capite, reſpondemus ad primum concedendo neceſſitatem illius conuenientiæ quoad modum eſſendi inter facultatem intellectiuam,& obiectum preſſius ſumptum,quod comprræhendit ea, quæ per propriam ſpeciem ſunt nata intelligi; quæ ſcilicet ſunt intellectus motiua, ac terminatiua intellectionis; non eſt autem neceſſaria talis conuenientia cum obiecto lato modo ſumpto prout comprræhendit etiam ea,quæ per alienam ſpeciem appræhenduntur: quæ ſcilicet ſunt tantum terminatiua,non motiua,& ſunt entia immaterialia excedentia conditionem quiditatis materiatæ,quæ quidem quamuis non perfectiſſimè, & quiditatiuè: ſecundum ſuam quiditatem tamen modo imperfectiori poſſunt ab intellectu viribus etiam naturalibus cognoſci. Conſimiliter ad ſecundum eſt dicendum, quod loquendo de his, quæ per propriam ſpeciem ſunt nata mouere intellectum: cum ipſi intellectui non aliud phantaſia niſi materialia ſubminiſtret: propterea non niſi quiditas materiata eſt talis rationis obiectum: at quemadmodum facultas ſuperior ſemper addit aliquid his, quæ ei à proxima inferiori anteponuntur: ſic non eſt mirum ſi potentia intellectiua, quæ eſt communiſſima, ac eminens, ex phantaſmatibus quiditates materiatas repræſentantibus educere valet incrementum ſuæ cognitionis (quamuis ſecundum gradum imperfectiorem) etiam vſque ad quiditates immateriales: Exinde patet ſolutio ad tertium. Pariter, & ad quartum, cui totam argumentationem ſecundum præhabitum ſenſum noſtrum ſubſcribimus: dummodo concedatur nobis, quod intellectus phantaſmatum præſidio fulcitus attingere valeat rationem ſibi valdè conſimilem quiditatum immaterialium;ſecundum illum modum tamen non perfectum,quem ei iuncti cor-

Sol. 1. argum. *Solutio 2.* *Solutio 3.* *Solutio 4.*

Solutio 5. poris obſtaculum permittit. Ad quintum reſpondemus officium differentiæ agentis in intellectu eſſe, redigere ad actum ea, quæ ſunt intelligibilia poteſtate; non depurando, vel illuminando: ſed tantum iudicando: quod quidem officium iudicandi concurrit nedum in cognitione materialium; ſed etiam dum intelliguntur abſtracta; neceſſitas ſiquidem differentiæ agentis non ſequitur conditionem intelligentis materialia magis quam immaterialia: ſed intelligentis aliquid à ſe diuerſum: vnde eſt, quod non egent hac differentia agente cæleſtes intelligentiæ; quoniam intelligunt per ſpecies ſibi inſitas, & conſubſtantiales: quod etiam dicendum eſſet de intellectu noſtro ſeipſum cognoſcente, niſi intellectionem illam auferret ex ſpeciebus aliorum; in quorum inſpectione opus habet ea differentia: Quod vero dixit Philoſophus in 16. tertij de Anima: habentia ſcilicet materiam eſſe intelligibilia in potentia: non fuit ad excludenda ab intelligibilitate materialia: ſed tantum ad denotandum, quod materialia non ſunt intelligibilia actu, ſeu ſemper intelligibilia, quoniam ad ſui intellectionem requirunt præcedentem actionem ſenſus abſtrahentis à conditionibus materialibus (etſi non in repræſentando) ſaltem quoad realitatem: & hoc ad differentiam immaterialium, quæ cum nulla egeant depuratione, ideo ſunt ſemper actu

Solutio 6. intelligibilia ab illis, à quibus per ſe ipſa, & per propriam rationem intelliguntur. Ad ſextum dicimus, quod intellectus debet eſſe denudatus ab eis, quæ per ſe ipſa, & per proprias ſpecies nata ſunt eum mouere: ex quibus conſtituitur obiectum preſſiori modo ſumptum: à ſeipſo autem, ſeu à ratione abſtractorum non debet eſſe denudatus quoniam illorum, ac ſuiipſius cognitionem habet per ſpecies alienas, intellectione

Solutio 7. ſcilicet reflexa. Tria ſequentia non aliud concludunt efficaciter niſi quod quidi-

8. tas materiata tantum ſit obiectum appræhenſibile ab intellectu per propriam ſpe-

9. ciem; vt iam conceſſum eſt: nec inde tollitur, quod ſub obiecto communi etiam im-

Solutio 10. materialia compræhendantur. Quoad poſtremum quam plurimis prætermiſſis, quæ ab alijs dicuntur, præcipuè ab Auerroe in tertio de Anima commentario 36. non abſurde dicere videntur aliqui quod cum in illo 36. textu propoſuiſſet Philoſophus determinandum, an intellectus corpori vnitus cognoſcere valeat ſubſtantias ſeparatas credendum eſt quod hoc executus fuerit in aliquo opere, quod temporis iniuria fuerit elapſum: vnde eſt quod id feciſſe ſupponens in decimo Ethicorum conſtituit fęlicitatem humanam huius vitę in contemplatione ipſarum ſubſtantiarum abſtractarum: de quibus ex textu illo 39. ſequitur non haberi notitiam perfectiſſimam, & quiditatiuam, adeo vt valeant ſub obiecto per ſe mouente intellectum compræhendi: non tamen euertitur illarum cognitio, quæ ex ſpeciebus ſenſibilium infertur.

De rationibus 3. cap. quid dicendum. Rationes tertij capitis ſuſtinentes obiectum intellectus eſſe ens, cum ſint comprobatiuæ illorum, quæ adhuc habita ſunt: dummodo concedatur tale obiectum excedere conditionem terminatiui, & motiui, ſeu propria ſpecie perceptibilis, & compræhendere omnia, quæ quocunque modo; ſiue ſcilicet per propriam ſpeciem, ſiue per alienam ſunt a noſtra mente cognoſcibilia; propterea non adeſt occaſio in eis immorandi: eoq; magis quod ſi quis aliqualem illarum explicationem expetat, id habent abbunde in prædictis: præſertim in ſolutionibus capitis quarti.

DE IM-

Digitized by Google

DE IMMORTALITATE·

INHÆRENTIA. AC. PLVRALITATE.

ANIMÆ. RATIONALIS.

Opinio ac fundamenta negantium immortalitatem animæ humanæ. Caput I.

INgenij fæcunditas, ſeu praua curioſitas hominum adeo cogitationibus affluit, vt iam ſua bona faſtidiens: in falſa ſibi dedecora excitanda, labemq; moliendam, ſuis inueſtigationibus inſtat: rationalis animæ æternitatem in dubium vocans, & Ariſtotelis litteram in improbos de ea ſenſus detorquens, vt iniuroſam ſibi doctrinam concludat: ſuiq; naturam, cæleſti dono perpetuam, & diuinam, opere deprauati iudicij mortalitatis ſorde commaculet, & brutis æqualem effingat: cui quidem, mentis, ſeu voluntatis lapſui, qui tamen non modico errore, vel ſine totius vitæ ſtatus iactura contingit, ſuccurendo; æque diſputandum eſt in eos, qui caducitatem animæ ex propria, ſeu qui ex Ariſtotelis ſententia ſuſtinuerunt: qui quamplures vetuſtæ, ac recentioris ætatis extitere; præſertim Cynici, & Epicurei, Democritus, Thales, Empedocles, qui innumeres apud Græcos inuenerunt ſectantes, inter quos Plinium in ſeptimo lib. Hiſtoriæ Naturalis cap. 55. vt ſenſiſſe creditur Hippocrates, ac etiam Galenus ob ea, quę in libro Quod animi mores corporis temperaturam ſequantur, in libro de ſemine, ac in ſecundo de Generatione fętus, aſſeruit: & ex ſectatoribus, ac expoſitoribus Ariſtotelis Aristoxenus, Auempaces, Alpharabius, Alexander Aphrodiſienſis, Gregorius Nicenus in libro de Anima, Iuſtinus martir in ſua Peræneſi, Theodoretus in libro de Natura Humana, Plutarchus in primo de Placitis Philoſophorum: deinde ex mente Ariſtotelis Cardinalis Gaietanus in tertio de Anima cap. 2. Pomponatius in ſuo opere de Immortalitate animæ, Simon Portius in libello de Mente humana, & Scotus in 4. Sentent. diſt. 43. quæſt. 2. Heruæus in Quodlibetis lib. 1. quæſt. 11. ac Sueſſanus in Opuſculo de Immortalitate animæ cap. 1. qui Ariſtotelem de hoc ancipitem, ſed potius ad mortalitatem vergentem repræſentant, vt innumeres prætereantur: quorum talia ſunt fundamenta.

Primum quoniam Philoſophus in primo Phyſicorum contex. 83. proponit ſe deinde habiturum ſermonem de formis phyſicis generabilibus, & corruptibilibus: Quod cum in eodem opere Phyſico agat de hac forma, quæ eſt anima humana; ſequitur, ipſam ſecundum Ariſtotelem eſſe generabilem, & corruptibilem.

Secundo quoniam habetur apud eundem Philoſophum in ſecundo Phyſicorum 12. formam eſſe naturam, eamq; inſeparabilem eſſe a materia aliter quam ratione; inde colligitur mentem non eſſe a corpore ſeparabilem.

Deinde quoniam ſtatutum habetur ab eodem in tertio Phyſicorum: impoſſibile eſſe quod infinitum reperiatur: Quod ſequeretur, quando præteritorum hominum, qui (ſup-

Cynici. *Epicurei.* *Democritus.* *Thales.* *Empedocles.* *Plinius.* *Hyppocrates.* *Galenus.* *Ariſtoxenus.* *Auempaces.* *Alpharabius* *Alexander.* *Gregorius.* *Iuſtinus.* *Theodor.* *Plutarchus.* *Gaietanus.* *Pomponat.* *Portius.* *Scotus.* *Heruæus.* *Sueſſanus.* *Argument. 1*

Argumen. 2. qui (ſuppoſita mundi æternitate in primo de Cælo & mundo, ac in octauo Phyſic. *Argumen. 3.* determinata) fuerunt infiniti, ſingulæ ipſorum animæ in eſſe ſeruentur.

Euaſio. Nec tutè euadere videntur dicentes, quod data etiam mundi æternitate, infinitas animarum non ſequitur; eo quod infinitum non eſt augmentabile: & præcedenti numero animarum nouæ animæ quotidie in lucem editæ adduntur.

Replica. Contra enim omne illud videtur eſſe infinitum; in quo ſemper liceat aliquid accipere: Inſuper quoniam dato diſputationis gratia caſu quod mundus ſit nunc deſiturus; ita vt non amplius nouę animæ, quæ illis addantur, produci poſſint non ne illis animabus concedetur numerus infinitus, porò cum eis infiniti conditiones conuenient? At ex eo quod mundus poſſit, vel non poſſit deſinere, non tollitur numero animarum: quare omnino animæ illæ cenſendæ ſunt infinitę. Nec dicatur fingi quid impoſſibile: quod ſcilicet mundus deſinat; Non enim nouus eſt hic modus diſputandi apud Ariſtotelem, & alios philoſophos. Et tertio tollitur euaſio quoniam omne finitum eſt aliquo numero ſignabile, qui nullus poteſt illi animarum numero aſſignari: Nec licet euadere quoniam ſunt aliqua, vt grana arenæ, & ſtellæ; quæ quamuis non infinita ſunt innumerabilia. Falſum enim eſt quod talia ſint innumerabilia per ſe, & abſolute; numerum ſiquidem habent, qui tamen imperceptibilis eſt ob noſtram imbecillitatem: ſed perfectæ menti ſupræmæ optime conſtare credendum eſt.

Euaſio. Ex cum reſpondetur ad principale argumentum ex Diuo Thoma in ſecundo contra Gentes cap. 81. Toleto in ſecundo de Anima quæſt. 2. & alijs: impoſſibile eſſe ſecundum Ariſtotelem infinitum in corporeis, quæ materiam, & locum exigunt, quæ ambo ſunt in vniuerſo finita: non autem infinitum ſpirituale.

Replica. Inſtatur è contra quia habetur in eodem tertio Phyſicorum contextibus 66. & 71. ex ſola materia prodire infinitum, non ex forma: ac propterea nequaquam actu, ſed tantum potentia reperiri: Inſuper & in octauo Phyſicorum 48. loquens Philoſophus de Motoribus Cęlorum, qui expertes materia ſunt, inquit non eſſe infinitos; quia infinitum repugnat naturæ: Vt pariter in primo Phyſicorum 50. dixerat: principia non eſſe infinita, quoniam melius eſt eſſe finita: Tertio quoniam poſitionem illam id inconueniens ſequeretur, quod infinitum poſſet augeri, vt fieret per ſupperaditas animas, quę aſſiduo producuntur: Ac demum ſequeretur quod duorum infinitorum (quales eſſent numerus animarun modo in eſſe exiſtentium, & numerus eorumdem, quæ futuræ ſunt poſt mille annos) vnum eſſet maius altero; vel quod quamuis in ſpacio mille annorum talis numerus reciperet accreſſionem, omnimode cum præſenti numero eſſet æqualis.

Argumen. 4. Quartum deſumitur argumentum ex quarto Phyſicorum 17. vbi inquit Philoſophus: formam non eſſe locum, quia contingit locum a re ſeparari: non autem formam.

Argumen. 5. Mox ex ſexto Phyſicorum 32. vbi ſtatutum habetur: omne mobile eſſe diuiſibile: vnde ſi anima per ſeparationē a corpore deberet de loco ad locum moueri, oporteret eam eſſe diuiſibilem.

Argumen. 6. In octauo etiam Phyſicorum 52. habetur: principia, quæ ſe mouent per accidens eſſe corruptibilia: vnde cum anima rationalis ſe moueat per accidens dum mouet corpus: videtur eſſe corruptibilis.

Argumētū. 7. In primo de Cælo contex. 126. diſputans Philoſopus aduerſus Platonem determinat omnia orta neceſſario interire; inceptumq; ac finibile reciprocari: quemadmodum & in tertio Phyſicorum 60. ſtatuit: cuius eſt principium eius neceſſario eſſe & finem: ſed anima humana in conſtitutione ſui corporis habet principium, nam ex duodecimo Metaphyſicorum 16. nulla forma poteſt eſſe ante ſuam materiam: Igitur debet habere finem.

Reſponſio. Et quia reſpondetur ex Iauello in tertio de Anima, & alijs: id eſſe corruptibile, quod genitum eſt productione phyſica per motum; ac cui adeſt contrarium; non autem anima rationalis, quæ oritur abſque propria tranſmutatione, & non habet

contra-

Digitized by Google

contrarium: Inſtant è contra recentiores dicentes quod Philoſophus in 125. contextu illius primi de Cælo hoc determinaturus præmittit declarationem terminorum inquiens: ingenitum ſignificare id, quod ſemper fuit, & eſt; ac incorruptibile id, quod nunc eſt, & de eo nunquam verum erit dicere quod non ſit: Vnde de quocunque modo genitis, vel ingenitis id fateri viſus eſt. Adduntq; adduxiſſe Philoſophum de hoc rationem in textibus 126. 127. & 128. inquiens quod, quia datur aliquod ſemper ens; quod ſcilicet ſemper fuit, eſt, & erit; & aliquod ſemper non ens: ideo debet dari inter illa medium, quod eſt generabile, & corruptibile: Quare tam de genitis phyſicæ, & habentibus contrarium, quam de quouis alio modo genitis, & ſe habentibus, id determinaſſe videtur. Inſuper inſtant quoniam ſi talis anima producta aliquando fuit; vel eſt producta ex aliquo; ac proinde phyſice ex ſubiecto in potentia ad eſſe: vnde eſt corruptibilis: vel ex nihilo: quod eſt contra decretum Ariſtotelis in primo Phyſicorum 33. & 34. approbantis commune illud Philoſophorum dogma quod ex nihilo nihil fiat: & in 75. contextu eiuſdem operis aſſerentis: impoſſibile eſſe vt ex ſimpliciter non ente aliquid fiat. *Replica.*

Et cum reſpondetur in productionibus ſufficere præexiſtentiam alicuius; in quo res producenda introducatur: nec eſſe neceſſarium ſubiectum; ex quo ſeparatim, ac per ſe, id fiat. Inſtatur adhuc quoniam inde ruere videretur ratiocinatio Ariſtotelis in primo Phyſicorum 82. qua probat æternitatem materiæ ex eo quod ſi producta de nouo fuiſſet; id factum eſſet ex alia materia: Sic & in primo de Cælo probare nititur quod ſi Mundus aliquando incepiſſet, factus fuiſſet ex aliqua alia mole: ac in octauo Phyſicorum contex. 6. & alijs: probaturus æternitatem motus; de omnibus mobilibus & mouentibus communiſſime loquens inquit quod, ſi aliquando incepiſſent, neceſſario per motum (in quo requiritur aliquod ſubiectum) incepiſſent. *Reſponſio.* *Replica.*

Adduntq; quod ſi Philoſophus intellectum a Deo creatum exiſtimaſſet, id alicubi ſignificare debuiſſet: quod quia numquam fecit, videtur quod numquam crediderit. *Confirmatio.*

Inſuper, & eſt ratio, quam magnifecit Plinius in ſeptimo lib. de Hiſtoria Naturali cap. 55. cum principio correſpondere debeat finis, & è conuerſo: igitur anima ex nihilo genita debet aliquando in nihilum redigi. *Confirmatio.*

Alterum ex præcipuis argumentis, quod in præcitato loco conſtruxit, ac magnifecit Pomponatius (vt reuera maioris momenti videtur) deſumitur ex primo de Anima in tex. 12. & ſubſequentibus; vbi ait Philoſophus quod, ſi anima habet propriam operationem, quam exercere valeat ſine corpore, tunc eſt cenſenda ab ipſo ſeparabilis: alioquin vero non: At non alia eſt propria operatio animæ rationalis, quam intellectio; de qua habet idem Philoſophus in tertio de Anima 39. non fieri ſine corporeis phantaſmatibus: ratumq; eſt apud eum: oportere intelligentem phantaſmata ſpeculari: nec aliquid eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu; a quo ducit ortum omnis noſtra cognitio: Quare ipſa anima humana videtur a corpore inſeparabilis. *Argumētū.* 8

Ex cum reſpondetur quod animæ ſeparatæ a corporibus intelligunt per ſpecies ellicitas ex phantaſmatibus dum cum corporibus degerent, quas poſt ſeparationem ſuperſtites ſeruant. Habent inſtantiam de animabus puerorum in vtero materno defunctis; quę cum nulla phantaſmata appræhenderint; proinde ab omni negotio deſtitutæ, & otioſæ manerent. *Reſponſio.* *Replica.*

Et roborari videtur inſtantia ex contextu. 64. primi de Anima, vbi ait Philoſophus quod dicere, operationes animales exerceri ab anima, perinde eſſet, ac ſi diceretur ipſam animam texere, vel ædificare: ſed rectius eſſe dicere quod iraſcatur, cogitet, amet, & ratiocinetur, non anima, ſed homo animam habens: vt videatur anima non apta ex ſeipſa ad intellectionem. *Confirmatio.*

Vimq; recipiunt arguendi ex 20. textu tertij de Anima pronunciante quod poſt *Confirmatio.*

Digitized by Google

ſeparationem ob carentiam partis intellectus paſſiuæ non reminiſcimur: vnde non videtur quomodo tunc valeat intellectus eas ſpecies phantaſmatum intueri.

Argumēt. 9. Sumitur etiam argumentū ex 2. lib. de Anima t. 6. vbi tradita eſt Animę definitio communis per actum corporis phyſici organici poteſtate vitam habentis: vnde videtur quod tunc tantum anima ſui ſtatus perfectione, ac integritate, ſuoq; fine potiatur, dum fuerit corpori iuncta: ipſamq; a corpore ſeparatam, non niſi extra ſuum ſtatum naturalem, in potentia ad corpus, atque violenter, ſe habere. At nullum violentum poteſt eſſe æternum ex ſecundo dę Cœlo 18. nec perfert natura vt aliqua potentia maneat perpetuo fruſtrata.

Inſuper exinde arguitur quoniam de anima ſeparata a corpore non verificatur talis definitio, tunc enim non eſſet actus alicuius corporis: vnde non videtur reperiri poſſe ſine corpore.

Et confirmatur quoniam quæ ingrediuntur definitionem conueniunt definito per ſe: & quæ per ſe conueniunt ſunt neceſſaria.

Quinetiam quoniam quæmadmodum Ariſtoteles in duodecimo Metaphyſicorum 30. reprobans Ideas Platonicas ait quod eſſent otioſæ, quia nil mouerent: pariter & de anima a corpore ſoluta dici poteſt quod eſſet otioſa; cum nullum corpus moueret.

Ex confirmatur a Portio in præcitato loco quoniam nomen Endelechiæ, quod in definitione deſumptum eſt tanquam genus, conuenit formis corruptibilibus, & quæ ſunt finis generationis.

Additurq; formam immortalem, & a materia non pendentem, non eſſe per materiam, & corpus a Phyſico definiendam; vt factum eſt de anima rationali: ſed eſſe Metaphyſico relinquendam.

Et pariter quoniam forma eſt quod quid eſt rei ex ſecundo Phyſicorum 28. & quiditas rei compoſitæ: nec rationabile eſt vt deſtruatur eſſentia compoſita ſeruata ſua quiditate: vnde ſequi videtur, non poſſe ſeruari animam poſt corporis deſtructionem.

Argumē. 10. Deinde ellicitur argumentum ex 26. contextu eiuſdem ſecundi de Anima; vbi Philoſophus ex ſuperaddita definitione colligit animam non eſſe corpus, nec poſſe exiſtere ſine corpore, ea ratione, quia eſt actus corporis: Quod correſpondet contextui 19. ſecundi Phyſicorum in quo, ex eo quod formæ phyſicæ definiuntur per materiam, deducitur ipſas ſine materia ſubſiſtere non poſſe.

Argumē. 11. Arguitur etiam a Scoto in quarto Sentent. diſt. 43. ob verba poſtremi contextus ſeptimi Metaphyſicorum 39. quibus habetur quod dum compoſitum reſoluitur; partes quæ ſuperſunt erant materiales & elementares: vnde colligitur quod intellectus, qui non eſt materialis, non poſſit in reſolutione compoſiti humani ſeruari.

Argumē. 12. Præterea cum inquit Philoſophus in duodecimo Metaphyſicæ 39. perpetuam eſſe diuinam fœlicitatem; humanam vero haud diuturnam: indicat ſe hominis animam, quæ fœlicitate frui valet, non exiſtimare perpetuam.

Argumē. 13. Ac ideo in primo Ethicorum cap. 10. redarguit Solonem, eo quod hominem poſt mortem vera fœlicitate potiri aſſeruerit.

Argumē. 14. Vlterius in tertio eiuſdem operis cap. 6. legitur quod in mortis periculo fortis etiam formidat, quia mors extremum eſt terribilium; nec mortuo aliquid boni, maliue accidere videtur.

Argumē. 15. Inquiunt deinde quod ſi Ariſtoteles cognouiſſet, aut concedere voluiſſet humanarum mentium æternitatem; aliquando ſaltem ſe expreſſiſſet; aliquidue de illius ſtatum poſt mortem compoſiti diſſeruiſſet; quod non faciendo, oſtendit ſe ſecus opinari.

Argumē. 16. Arguitur adhuc quoniam æterna & mortalia non inuicem conſentiunt, connectuntur, vel proportionantur; ex decimo enim Metaphyſ. 26. perpetuum & corruptibile genere differunt; vt proinde etiam ſubiecto, & materia differre debeant;

& ex pri-

Digitized by Google

& ex primo de Cælo 22. immortale immortali coaptari debet, & non aliter: At animæ rationalis talis cum corpore eſt proportio, atque connexio, vt ei ad vnum per ſe conſtituendum coniungatur; taliſq; videtur conſenſus, vt integro opere ſuſtinuerit Galenus: Mores animi temperaturam corporis ſequi: cuius doctrinæ non obſcura dedit ſigna Philoſophus tum in primo de Anima contex. 14. docens ex diuerſitate complexionum alios iræ, alios miſericordiæ, alios gaudio, & alios formidini, pronos eſſe: tum in ſecundo de Partibus Animalium cap. 4. inquiens varietatem ſanguinis inducere varias animorum facultates: animaliaq; exanguïa magis eſſe obnoxia timori, & Apes, ac formicas multis ſanguineis eſſe prudentiores: Inſuper & in ſecundo de Anima dum ait quod molli carne præditi, mente ſunt aptiores: ac in trigeſima parte Problematum problem. 1. cum inquit: Atram bilem reddere homines ad ſcientias aptiſſimos: & in ſexto Moralium Nicomachiorum dum aſſerit: nobis ex natura quodammodo inſitos eſſe mores; quia in pueris aliquæ propenſiones, igniculi, ac veluti ſemina futurorum morum inſpiciuntur: ac vt cætera prætereantur in proœmio Phiſiognomicæ cum affirmaret, animas, ac illarum affectiones inſequi corpora: Vnde nullo modo hec anima videatur æterna.

Accedit quod ſi rationalis anima eſt immortalis, vel coniungitur corpori, & *Argumẽ. 17.* phantaſiæ mortali naturaliter, vel præter naturam: non ſecundum, ex quo ſequeretur generationem hominis eſſe violentam, & interitum tantum eſſe naturalem; omnemq; actionem viuentis hominis eſſe violentam: præterquam quod æterna debent ab omni violentia eſſe immunia: Nec eſt dicendum primo modo, ſcilicet quod vniatur ſecundum naturam; nam ex primo de Anima 49 melius eſt ei dum eſt a corpore ſoluta.

His addunt quod ſi intellectus humanus ſeparabilis eſſet a corpore, falſo dixiſſet *Argumẽ. 18.* Philoſophus in ſexto Metaphyſicorum 3. quod niſi reperirentur intelligentiæ abſtractæ, ſcilicet motrices Cælorum; tunc Phyſica eſſet prima Philoſophia; nam talis anima omnino abſtracta requireret ſibi ſcientiam Metaphyſicam de illa differentem.

Præterea cui ineſt vis durandi tempore infinito, debet ineſſe virtus infinita; colligit enim Ariſtoteles in octauo Phyſicorum, infinitam virtutem primi motoris ex eo quod infinito tempore mouet: Sed in eſſentia finita, qualis eſt anima, nequet ineſſe virtus infinita. *Argumẽ. 19.*

Et cum reſpondetur animam infinito tempore ſeruari ex vi non propria, ſed ſupræmi agentis ſingulorum eſſe conſeruantis; de quo liquidem legitur in duodecimo Metaphyſicæ contex. 38. quod ab ipſo Cælum, ac vniuerſa natura dependent: & in nono lib. eiuſdem operis habetur, quod niſi Deus eſſet, nil aliud in vniuerſo reperiretur: in primoq; de Cælo 100. ſcriptum eſt ab ipſo rerum omnium eſſe clarius, obſcuriuſue dependere. *Reſponſio.* Inſtatur è contra quoniam quod non eſt per ſe incorruptibile, id eſt per ſe corruptibile; ac ideo debet corrumpi: Quare ſi intellectus non eſt per ſe incorruptibilis; ſequitur vt debeat aliquando corrumpi: Vnde habetur in decimo Metaphyſicorum 26. nil interire ex accidenti; ſed omne corruptibile neceſſario corrumpi. *Replica.*

Rurſus quod eſt alicui eſſentiale, conuenit ei per ſe: ſed corruptibile, & incorruptibile, ex decimo Metaphyſic. prædicantur eſſentialiter de ijs, de quibus dicuntur: Quare ſi intellectus eſt incorruptibilis, debet eſſe talis per ſe.

Deinde quod eſt æternum habet vim vt ſemper exiſtat: vnde ſi talem vim habeat intellectus; non igitur fit de nouo; ſed ſemper extitit: quod tamen impoſſibile fuit ante exiſtentiam ſui corporis, vt docet Philoſophus in duodecimo Metaphyſicorum 16. *Argumẽ. 20.*

Itidem, quod eſt incorruptibile videtur debere eſſe, & inde fatigabile: ſed anima humana ad corporis defatigationem debilitatur, ægriuſq; ad agendum diſponitur: Quare etiam ad interitum defatigabilis videtur. *Argumẽ. 21.*

Adhuc

Digitized by Google

Argumẽ. 22. Adhuc quia manente cauſa manet effectus: ideo ſi ipſa anima humana eſſet æter-
na, æternam etiam vitam deberet ſuo humano compoſito præbere.

Argumẽ. 23. Demum omne, quod per ſe exiſtit debet eſſe indiuiduum, & hoc aliquid: quod
non conuenit niſi compoſitis habentibus materiam: formis vero non niſi per redu-
ctionem: Quare non videtur poſſe anima ex ſeipſa exiſtere.

Oppoſita ſententia animam immortalem ſtatuens adducitur, ac per rationes ex Ariſtotelis verbis deſumptas comprobatur. Cap. II.

OPPOSITAM veritatem ſatis ſupernaturali lumine fulgen-
tem, validiſſimis etiam rationibus naturalibus, ac ex dogmatibus
Ariſtotelis depromptis, plerique tum ex ſe, tum ipſum Ariſtote-
lem interpretando philoſophantes demonſtrare nituntur: Ex
quibus, vt prætermittantur ij, qui quamuis intellectum immorta-
lem concederent; ipſum tamen in ſingulis hominibus vnicum, &
non informantem aſtruerunt, aduerſus quos ſiquidem non minor
Pythagoras. inferius eſt ineunda diſputatio; immortalem reputarunt animam noſtram Pytha-
Socrates. goras, & Socrates referente Platone, de illo in Timeo Pythagoreo, de hoc in Phedo-
Plato. ne, cum quibus in hoc, & ipſe conſenſit, vt ſe patefecit iiſdem in locis; & adhuc in
Simplicius. decimo de Legibus in decimo de Republica; ac in Epiſtolis: inſuper, & Simplicius
Ammonius. in primo de Anima commentario 66. & tertio de Anima 20. Ammonius, Olympio-
Olympiodor. dorus, Philoponus in proœmio de Anima aduerſus Alexandrum: inter Arabes Aui-
Philoponus. cenna ex relatione Mirandulani in quarto ſuo libro de Examine Vanitatis cap. 9. &
Auicenna. ex Latinis Albertus Magnus tractatu ſecundo de Anima cap. 20. & tractatu tertio
Alb. Mag. cap. 13. Diuus Thomas in ſecundo contra Gentes cap. 79. octauo Phyſicorum Le-
D. Thomas. ctione 12. duodecimo Metaphyſicæ Lectione 3. Et in decimo Quodlibeto, quæſt. 3.
Aegidius. art. 1. Aegidius libro 3. de Anima cap. 4. Ferrarienſis in ſecundo contra Gentes cap.
Ferrarienſ. 79 Durandus in ſecundo ſentent. diſt. 18. quæſt. 3. & vt innumeres prætereantur
Durandus. Gaſpar Cardinalis Contarenus in opere ſuo de Immortalitate Animæ aduerſus
Contareni. Pomponatium, eiuſdemq; familiæ liceat mihi commemorare præceptorem, & pa-
truum meum Nicolaum in publicis ſuis lectionibus, & diſputationibus accerimum
defenſorem huius veritatis: quæ fulcitur ex multis, quas inuenit, approbationibus
apud Ariſtotelem; qui nullibi de mortalitate verbum habet; & ſæpe veritati expreſ-
Ratio 1. ex au- ſa voce immortalitatis atteſtatur: & Primo in ſeptimo Phyſicorum contex. 20. in cu-
thoritate. ius poſtremis verbis determinat intellectum inalterabilem, cum inquit. *Manifeſtum*
eſt igitur, quod alteratio in ſenſibilibus eſt, & in ſenſibili parte animæ; in alia autem
nulla, niſi ſecundum accidens: quod autem eſt inalterabile, id non videtur eſſe corru-
ptibile; procedit namque corruptio ex præcurſu alterationis.

Ratio 2. Secundo adeſt contex. 49. primi de Anima, in quo exprimere videtur Philoſo-
phus: intellectum non dependere à corpore; ab ipſoq; recte ſeparabilem eſſe, cum in-
quit: *Laborioſum autem eſt, & commixtum eſſe corpori non potens abſolui; & propterea*
fugiendum ſiquidem melius eſt intellectui non cum corpore eſſe, quemadmodum, &
conſuetum eſt dici, & multis placet.

Euaſio. Nec tuta eſt euaſio dicentium Ariſtotelem non id ex propria, ſed ex aliorum ſen-
Impugnatio. tentia proferre. Cum enim Philoſophus aliorum dicta ad ſuas concluſiones inferen-
das deducit; rationabile eſt, vt ipſa vera reputet, & vt talia proferat: alioquin vanæ
eſſent eius probationes, quæ fundamentis non veris inniterentur.

Ratio 3. Tertium, & quidem tutius fundamentum habetur in textibus eiuſdem operis 65.
& 66. quorum in prioris inquit Ariſtoteles, quod *intellectus videtur innaſci ſubſtan-*
tia quædam exiſtens; & non corrumpi: maxime enim corrumperetur vtique ab ea, quæ
eſt in ſenio debilitate, nunc autem quemadmodum in ſenſorijs accidit; ſi enim acciperet
ſenex oculum talem; & videret vtique ſicut & iuuenis: quapropter ſenium non eſt
quia ſuſtinuit aliquid in anima; ſed id in quo: ſicut in ebrietatibus, & morbis: mox

in ſequenti

Digitized by Google

in ſequenti ſubdit: *ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari mar eſcit alio quodam interius corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt* paucisq; interiectis ſubinfert: *Intellectus autem fortaſsis diuinius quid, & impaſsibile eſt.*

Nec refert quod vſus fuerit Philoſophus ea voce *fortaſsis* vnde colligunt aduer- *Euaſio.*
ſarij: ipſum de hoc dubitanter, & ſine determinatione locutum fuiſſe. Ex aduer- *Impugnatio.*
ſo enim dicetur quod hoc potius quam dubitatio, eſt modeſtus loquendi modus
conuenientiſſimus in illo libro, qui non eſt proprius talis tractationis de intellectu;
de quo ſpectat ad tertium de Anima: Præterquam quod (vt ſuperius conſiderabatur) quemadmodum ait hic quod, intellectus eſt fortaſſe diuinus, & impaſſibilis;
non inuenitur quod alicubi dixerit: ipſum eſſe fortaſſe mortalem: Et accedit quod
quamuis ſemel in allatis verbis vſus fuerit ea voce (fortaſſis) bis tamen in iiſdem
verbis prætermiſſit talem conditionem dum inquit, intellectum eſſe ſubſtantiā innatam, quæ non corrumpitur: & dum inquit ipſum eſſe impaſſibilem.

Nec obijciatur quod ex illis verbis inferri etiam poſſit æternitas animæ ſenſiti- *Euaſio.*
uæ: maxime cum afferant exemplum oculi ad ſenſum attinentis. Vt enim mens *Impugnatio.*
Ariſtotelis exploretur, obſeruandum eſt quid ibi concludat; quod eſt intellectum
eſſe impaſſibilem, incorruptibilem, & diuinum: Et additur neruoſam ibi confici
rationem conſimilem illi, quam formauit Plato in decimo de Repub. dicendo quod
ſi mens interit, hoc eſt vel ex proprio eius malo, vel ex alieno: non ex proprio; cum
ipſa non habeat per ſe contrarium; nec (vt apparet ex locis ſecundi, & tertij de Anima, quæ ſubſequenter afferuntur) eſt virtus affixa organo, ex cuius contrario, ac
deſtructione lædi poſſit: non ex morbo alieno; nam id contingeret ob deprauationem prouenientem ex ſenectute; quod tamen non euenit; cum id neque contingat
de anima ſenſitiua: vnde efficax eſt conſequentia ex vi illius regulæ Topicæ: ſi de
quo magis ineſſe videtur non ineſt; ergo nec de quo minus: Nec inde tute colligitur, ſenſitiuam eſſe immortalem; nam cum ipſa ſit vis organo affixa; propterea ad
ipſius corporis deſtructionem conſequenter deficit.

Occurit principali rationi Pomponatius in præcitato eius opere de Immortalita- *Euaſio alia.*
te animæ inquiens: humanam mentem vocari diuinam non ratione propria; ſed ratione generis mentium, cui diuinitas competit. Sed vanum videtur hoc dictum: nam *Impugnatio.*
vel hec conditio generis mentium competit humanæ menti: & tunc habetur intentum, quod ſcilicet ipſa ſit quid diuinum, & immortale: vel non; & tunc error, ac deceptio eſſet Ariſtotelis dum attribueret humanę menti aliquam conditionem ex reſpectu generis, ſub quo (cum illius conditiones non participaret) non contineretur.

Aliter occurens Simon Portius in ſuo libello de Mente humana inquit: huma- *Euaſio alia.*
num intellectum dici diuinum per comparationem ad reliquas partes animæ vtentes inſtrumento. Quod etiam vanum eo apparet quod Philoſophus loquitur ab- *Impugnatio.*
ſolute dum inquit, eum eſſe diuinum, eſſe immortalem, eſſe intelligibilem actu; &
non potentia tantum, non eſſe naturam, vel naturalis conſiderationis.

Et alij dixerunt loqui Philoſophum de actu intelligendi, quo conſtituitur mens *Euaſio alia.*
inſpectrix, in qua eſt officium intellectus agentis. Quod tamen euidenter falſum *Impugnatio.*
eſt; nam operatio intellectus cum dependeat etiam a cæteris illius partibus alijs ab
agente, non poteſt dici illis partibus diuinius; vt ibi dicitur de intellectu agente:
Ac inſuper quia ipſe actus intelligendi eſt quid mortale, vt clare aſſerit Philoſophus in 20. textu tertij de Anima; vt propterea nullo modo vocandus eſſet æternus, ac diuinus.

Effugia vero quæ pro hac vitanda ratione conſtituerunt Alexander inquiens: a- *Euaſiones a-*
gentem intellectum eſſe Deum: Auerroeſq; ſtatuens ipſum aliam ſubſtantiam quę *liorum.*
homini aliter quam per informationem aſſiſtat: inferius illud in capite 4. hoc in 5.
examinabuntur.

Prahabitis rationibus eandem immortalitatem ſuadentibus additur altera de- *Ratio 4.*
ſumpta ex 92. contextu eiuſdem primi de Anima, vbi ait Philóſophus quod, quam
partem corporis mens contineat dificile eſt fingere.

Quod

Ratio 5. Quod confirmatum habetur in ſecundo lib. illius operis contex. 11. in quo Philoſophus, quoniam ſuperius tradiderat definitionem animæ inquiens, eſſe actum corporis phyſici organici: ne crederet aliquis etiam intellectum organicum, ac proinde a corpore inſeparabilem: ait quaſdam partes nil prohibere a corpore ſeparari, propterea quod nullius corporis ſunt actus; ſubinferens non eſſe manifeſtum ſi anima ſit actus vt nauta nauis: Vnde cum dicatur nil prohibere eam ſeparari, ſtatui videtur illius immortalitas; nam ſi eſſet mortalis, prohiberet ſeparabilitatem eius propria conditio. Præterquam quod omne corruptibile neceſſario corrumpitur, & nil accidentaliter corrumpitur ex 26. decimi Metaphiſicorum, & in perpetuis ex tertio Phyſicorum 32. non differt eſſe a poſſe; vt ſi intellectus poſſit eſſe immortalis, immortalis omnimode ſit: Ac inſuper quia nullius corporis eſt actus, ideſt nullo vtens, aut egens organo corporeo: propterea iuxta dicta in 13. textu primi de Anima, optime colligitur, ipſum eſſe ſeparabilem, & æternum.

Ratio 6. Deinde huic veritati atteſtatur Philoſophus in textu eiuſdem operis 21. inquiens intellectum eſſe aliud genus animæ a ſenſitiua, & vegetatiua; ipſumq; poſſe a cæteris ſeparari tanquam perpetuum a corruptibili.

Euaſio. Effugere nituntur aduerſarij dicentes, ſignificari ibi ſeparationem intellectus quoad operationem; quia ſcilicet intelligit abſque vſu organi, ac propterea non interit eo modo, quo facultas organica, quæ per deſtructionem organi perit: nec in-

Impugnatio. de tamen ſequitur quod abſolute ſit corruptibilis. Sed ita dicentes apprime propoſitum noſtrum confirmant; nam ſi intellectus eſt ſeparabilis a corpore ſecundum operationem eo, quod nullo corporeo organo ſit affixus; plane ſequitur iuxta regulam 13. contextu primi de Anima, ac iuxta rationem per ſe euidentem quod ſit etiam re ſeparabilis, & immortalis.

Accedit quod dicit Ariſtoteles, ipſum intellectum eſſe ſeparabilem tanquam perpetuum a corruptibili, quæ verba *tanquam perpetuum* non attingunt operationem; ſed determinant de ſubſtantia intellectus quod ſit perpetua; dicitur enim expreſſe ipſum eſſe ſeparabilem quoniam eſt perpetuus: vnde niſi ipſe eſſet vere perpetuus, tunc vtique ex vanitate aſſumpti rueret etiam illa concluſio de illius ſeparabilitate: Adde quod ſi perpetuitas illa prolata fuiſſet non de eſſentia intellectus, ſed de operatione, expreſſa falſitas eſſet; cum ipſa intellectio nedum non ſit perpetua; ſed ob multa, quæ contingunt impedimenta, neque ſit continua.

Confirmatio. Quod valide etiam confirmatur ex contextu eiuſdem operis 151. vbi Philoſophus vt quid abſurdiſſimum reſpuit iudicium Empedoclis, & Homeri, qui intellectum, ac ipſum intelligere quid corporeum reputarunt.

Ratio 7. In tertio vero de Anima, tanquam in loco huic rei magis proprio frequentibus aſſertionibus huic immortalitati ſuffragatur: & primo in textu 4. vbi ex eo quod intellectus omnia intelligit infert, eum eſſe immixtum: laudans ſententiam Anaxagoræ: Mentem debere eſſe immixtam, vt dominetur, ſcilicet vt intelligere valeat: ſubdenſq; rationem, nimirum quoniam intus exiſtens prohibet alienum: Vnde arguitur quoniam quod ita eſt immixtum, vt eſt mens ſecundum Anaxagoram, eſt immortale; nam Anaxagoras inquiens mentem eſſe immixtam, ſignificare voluit eam eſſe ſeparatam a corpore, non pendentem ab eo, & impaſſibilem, vt colligi poteſt ex Ariſtotele tum in hoc textu, tum in octauo Phyſicorum 37. in primo de Anima 34. ac in tertio eiuſdem 12. Et Intellectus hic ab Ariſtotele taliter dicitur eſſe immixtus.

Ratio 8. Quod quidem confirmatur ab Ariſtotele in textu 6. quatuor de ipſo intellectu aſſerente: primo ſcilicet quod eſt immixtus corpori: ſecundo quod non eſt aliqua qualitate, vt calore, aut frigore alterabilis; id enim quod non eſt alterabile, non habet materiam; vnde non eſt corruptibile: tertio quod nullum habet inſtrumentum; talis enim facultas eſt immortalis, vt ſuperius oſtenſum eſt: ac quarto quod eſt locus ſpecierum; quod enim eſt locus ſpecierum immaterialium debet eſſe a materia ſeparatum; cum locus & locatum ſibinuicem correſpondere debeant: Inſuper

quoniam

Digitized by Google

quoniam ſi mens eſſet coniuncta materiæ, tunc non mens, ſed ipſum compoſitum, deberet dici locus ſpecierum.

Nec dicas cum Scoto in quarto Sentent. diſt. 43. quæſt. 2. Ariſtotelem ibi determinare dumtaxat intellectum non eſſe organicum, & vtentem inſtrumento; non autem eum eſſe immixtum abſolute: Non inquam nam cum probet intellectum taliter eſſe immixtum ex eo, quod alioquin haberet inſtrumentum; tunc idem per idem probaret. *Præoccupatio*

Mox in ſequenti textu inquit intellectum diſſimiliter a ſenſu eſſe impaſſibilem quia vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum, quod non facit vehemens intelligibile, quod quinnimo perficit intellectum: vnde colligere poſſumus, ipſum non pati in agendo, ac immortalem eſſe; mors enim dicitur eſſe terminus ad quem præcedentis paſſionis. *Ratio 9.*

Nec inſtes quoniam etiam facultas ſenſitiua, vt viſus non læditur ex vehementi viſibili, puta magni montis, aut Cæli; Vehemens enim ſenſibile non dicitur ſecundum extentionem molis, ſed ſecundum intenſionem graduum, & redundantiam virtutis. *Præoccupatio*

Recentiores reſpondent quod quamuis intellectus non eo modo, quo ſenſus interimatur per accidens ad deſtructionem organi ex vehementi obiecto: non tamen inde ſequitur illius immortalitas: quoniam ex alia cauſa ipſum interire contingit: At ratio ſuum omnimode robor retinere videtur; nam ſi anima per ſe eſt impaſſibilis, nec interire valeat per conſecutionem ad interitum corporis, quo tanquam organo non vtitur; conſequens eſt vt nullo modo ſit corruptibilis. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Subinde in textu 8. ait quod cum intellectus fuerit ſingula factus, tunc ſeipſum poteſt intelligere: vnde colligitur intentum noſtrum; tum ex antecedente, quoniam ſcilicet quod omnia fit, nimirum quod omnia intelligit, non debet eſſe per materiam ad aliquod genus contractum, ſed debet eſſe immixtum ab omnibus, vt valeat omnibus dominari: tum etiam id colligitur ex conſequenti; quod enim valet in ſe conuerti, debet eſſe ſolutum a materia; facultates namque in materiam extenſæ nequent ſupra ſe conuerti: vnde in 25. contextu eiuſdem operis habetur quod, ſi aliquod non habet contrarium, id ſeipſum cognoſcit, eſt actu, & eſt ſeparabile: Et quod ſolutum eſt a materia eſt immortale. *Ratio 10.*

Et idem efficaciter confirmatur in ſubſequentibus 9. ac 10. contextibus, vbi habetur, quod cum aliud ſit res aliqua, veluti ipſa caro, includens ſcilicet materiam; & aliud eius eſſe, nimirum forma totius, quæ eſt immaterialis: ſenſitiuo cognoſcitur ipſa res: mens vero cognoſcit illius eſſe, quod eſt immateriale: vnde colligitur mentem eſſe tali obiecto conſimilem; ac proinde immaterialem: quæ conſequentia eſt efficax ex vi illius regulæ quod ſimile a ſimili cognoſcitur, vt tradidit Plato: quod placuit etiam Empedocli ſe his verſibis explicanti. *Ratio 11.*

Comperimus tellure tellus, liquore liquorem.
Aere naturam aeream, igne cernimus ignem.

Et ipſemet Ariſtoteles in fine ſecundi Poſteriorum, ac in ſexto Moralium Nicomachiorum cap. 1. ſtatuit, cognitionem fieri ob aliquam ſimilitudinem: & pro cognitione diſtinctorum in genere inſtitutas eſſe diſtincta genere facultates.

Quod magis confirmat in ſubſequenti contextu 11. inquiens quod in Mathematicis, quibus ineſt materia tantum intelligibilis quoniam adeſt res cum tali materia, puta rectum, & eſſe ipſius recti: intellectus appræhendit eſſe rei præſcindendo etiam a tali materia: vnde ellicitur ſumma immaterialitas ipſius intellectus ſecernentis ſuum obiectum nedum a materia ſenſibili, ſed etiam a materia intelligibili. *Confirmatio.*

Ac pariter id confirmatur in ſequentibus 15. ac 16. ſtatuentibus quod cum intellectus ſit immaterialis, propterea idem eſt in eo intelligens, & intelligibile. *Confirmatio.*

Et clarius id comprobat Philoſophus in textu eiuſdem operis 19. inquiens de intellectu agente quod eſt ſeparabilis, immixtus, & impaſſibilis: vnde cum intellectus agens ſit idem re cum poſſibili, ſequitur vniuerſum intellectum eſſe talem. *Ratio 12.*

Rurſus

Ratio 13. Rurſus id patet in ſequenti 20. textu, vbi repetit intellectum ſecundum ſuam eſſentiam eſſe immortalem: & ſoluit inſtantiam cur non recordemur: quod vanum eſſet quærere niſi ipſa anima ſeruaretur in eſſe.

Ratio 14. Fundamentum inſuper immortalitatis communiter ellicitur ex primo de Partibus Animal. cap. 1. vbi inquit Philoſophus Mentem non eſſe phyſicę conſiderationis, ſed Metaphyſicæ: quod tripliciter probat, primo quia ſi naturalis philoſophus differeret de omni anima, tunc præter ſcientiam naturalem nulla relinqueretur ſcientia: quemadmodum ipſemet in tertio Phyſicorum textu 3. dixerat quod ſi non darentur formæ ſeparatæ, naturalis ſcientia eſſet prima Philoſophia: Secundo id probat quia mens non eſt natura, quod deducitur ex eo quod non eſt principium alicuius motus, accreſſionis ſcilicet, lationis, vel alterationis; eſt enim tantum principium remotum, & proximum ſolius motus artificioſi, vt patet ex tertio de Anima, ac ex libro de Motu Animalium: Adde quod non eſt terminus generationis: Tertio id probat quoniam quę ſunt ex abſtractione, qualis eſt mens humana, non ſunt phyſicæ conſiderationis: Vndę elliciuntur comprobationes immortalitatis tum ex probationibus, tum ex concluſione: ex concluſione inquam, quia forma, quæ non eſt phyſicę conſiderationis, ſed Metaphyſicæ cenſenda eſt immortalis, vt ſuadetur ex poſtremo textu primi Phyſicorum proponendo agendum de formis generabilibus & corruptibilibus, ex 26. ſecundi Phyſicorum ſtatuente de formis ſeparabilibus attinere ſermonem ad Metaphyſicum: ex 17. primi de Anima, vbi habetur ſeparabile ſpectare ad primum philoſophum, ac ex ſecundo contex. ſexti Metaphyſicorum determinante ad primam ſcientiam attinere ſeparabilia, & immobilia. Inſuper colligitur idem ex tribus probationibus; nam ex eo quod, ſi de ipſa differeret Phyſicus rueret prima philoſophia: ex eo quod non eſt natura, principium motus, vel finis generationis: ac ex eo quod eſt ex abſtractione; plane ſequitur intentum.

Euaſio. Recentiores quidam aduerſarij non parum, nec immerito celebres ab infringendam vim huius rationis reſpondent quod: cum intellectus duplex ſit conſideratio: prima ſcilicet vt eſt forma corporis, ſecunda quoad ſuam quiditatem: ſignificare ibi velle Ariſtotelem quod, intellectus non pertinet ad Phyſicum, non quidem quoad primam, ſed quoad ſecundam ſignificationem; quemadmodum & quæcunque alia forma phyſica conſiderata ſecundum quiditatem, & vt ens ſimplex eſt, ſpectat ad Metaphyſicum.

Impugnatio. Sed talem interpretationem (vt clarum eſt) littera illa non perfert; loquitur enim ibi Philoſophus de intellectu ad differentiam ſenſus, & aliarum formarum phyſicarum dum inquit: cum non eſſe phyſicæ conſiderationis: vnde patet quod eximere eum vellit a phyſico iure magis quam alias formas phyſicas: Quod eo magis patet quoniam talem immunitatem a phyſica contemplatione probat Philoſophus de intellectu ex eo quod non eſt natura, & principium alicuius motus: ac quia ſe habet ex abſtractione, quæ non conueniunt ſenſui, & alijs phyſicis formis: Quare patet, non eandem eſſe circa hoc omnium formarum rationem: ac ita ſubtrahere a phyſica conſideratione intellectum, vt de alijs formis non facit.

Euaſio. Reſpondent iterum Ariſtotelem varie loqui iuxta varia eius inſtituta; etenim in loco pręcitato loquitur ſecundum opinionem exiſtimantium ipſum intellectum immortalem, in libris vero de Anima loquitur ſecundum eos, qui putarunt ipſum intellectum mortalem.

Impugnatio. Verum vbicunque Philoſophum abſolute, & ſine aliqua contractione loquentem inſpicimus, nos credere cogimur tunc ex propria ſententia, & ad nos inſtruendos, non confundendos, aut decipiendos eſſe locutum; vt quam immortalitatem eius hic prolata verba ſuadent, abſolute determinatam immortalitatem cenſere teneamur. Præterquam quod, vt ex adhuc allatis manifeſtum eſt, in libris de Anima (vbi ipſi dicunt loqui Ariſtotelem ſecundum opinionem ponentium animam mortalem) magis apertis verbis ipſam immortalitatem determinare videtur.

Accedit

Accedit ad eandem immortalitatem comprobandam famoſa littera ſecundi de Generatione Animal. in cap. 3. in qua quærens Philoſophus quomodo animæ per generationem in fætu inducantur; inquit primo quod, cæteræ animæ, vt vegetatiua, & ſenſitiua, educuntur ex potentia materiæ in ſemine exiſtente; quoniam facultates inſtrumentariæ nequeunt ſine inſtrumentis reperiri: ſubinferens: *Reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat eaq; ſola diuina ſit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*: quæ quidem tres conditiones abſolutam mentis immortalitatem ſignificant. *Ratio 15.*

Nec tutum videtur refugium aſſerentibus loqui ibi Ariſtotelem de intellectu agente, non de anima noſtra. Nam præter ea quæ ſuperius pro confirmatione tertiæ rationis dicta ſunt reijcitur talis ſenſus ex hac eadem littera, in qua proponitur inueſtiganda ipſius origo ijs verbis. *Quamobrem de mente, etiam quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant plurimum dubitatur: ſed ennitendum pro viribus, & quoad fieri poteſt accepiſſe operepretium eſt*: Quod ſi intellectus agens eſſet intelligentia ſeparata, ſcilicet Deus, quem ſolum inter intelligentias huic officio aptum eſſe probat Zabarella in eius libro de Mente Agente cap. 13. tunc tria inconuenientiſſima in ijs verbis Ariſtoteles protuliſſet: primo ſcilicet dum determinandum proponit: ex quo, & an extrinſecus adueniat; quod vtres notiſſima, ſuperfluum eſſet quærere, aut demonſtrare: Secundo quoniam inquit de hoc plurimum dubitari: Ac tertio cum de hac re (quæ eſſet faciliſſima) pollicetur ſe pro viribus determinaturum: Ac pariter cum talem mentem exprimat ibi nomine animæ intellectualis vna cum anima ſenſuali, ſignum præbet eum non de intelligentia, ſed de anima noſtra loqui. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Et pariter aliena videtur ab Ariſtotele interpratatio dicentium eum ibi loqui non de anima tantum humana, ſed de anima vniuerſe ſumpta ſe extendente etiam ad animas Cælorum: quod tum de hac, tum de præcedenti auctoritate primi de Partibus Animalium fatentur: E contra namque, ſi id eſſet; irrationabiliter Philoſophus talem proponeret, & taliter ſolueret dubitationem. Inſuper quoniam cum propoſita fuerit quæſtio de animabus vegetatiua, ſenſitiua, & rationali: male ſoluta eſſet cum præter reſponſionem de anima vegetatiua, & ſenſitiua, reſpondiſſet tantum de animabus Cælorum, & non de anima noſtra rationali, de qua etiam fuit propoſita quæſtio: Ac inſuper improbe tunc dixiſſet mentem non eſſe principium motus; nam intelligentiæ ſunt propria, & proxima motus principia: Et demum quia in libris de Partibus, ac de Generatione Animalium tenetur Philoſophus agere de animabus mortalium; de quibus habitus fuit ſermo in libris de Hiſtoria Animalium. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Nec iuſta adeſt occaſio dubitandi ſuper hec verba ſecundi de Generatione Animalium quia dixerit Ariſtoteles, ſingulas partes animæ prius in ſemine reperiri in potentia: vnde inferatur, omnem animam, etiam ſcilicet intellectiuam educi de potentia materiæ. Clarum enim eſt pro ſolutione quod quamuis in conceptu ſit potentia ad omnes animas; diuerſimode tamen reducitur ad actum ipſarum: ad cæteras ſcilicet per eductionem ex potentia materiæ, ſeu ex ſeminario formarum materiæ cohærrenti; ad intellectum vero per acceſſum ex extrinſeco. *Obiectio.* *Solutio*

Nec pariter obijci debet quoniam ibidem inquit Philoſophus omnem virtutem, ſeu potentiam animæ corpus participare: vnde videatur etiam de Mente verificari quod corpus exigat; ac proinde non ſit ſeparabilis, & immortalis. Certum eſt enim dupliciter ipſi animæ poſſe competere corpus: vel ſcilicet ex quo: ideſt ex cuius potentia educatur: quod repugnat conditioni intellectus: vel per quod, ſeu cum quo, aut in quo educatur; & talis affinitas cum corpore non repugnat ſimplicitati, ac immortalitati animæ rationalis. *Obiectio.* *Solutio*

Præterea tutiſſimum fundamentum habetur ex duodecimo Metaphyſicorum contex. 16. ac 17. vbi Philoſophus de formis differens inquit, formas mouentes, nimirum intelligentias præcedere rerum exiſtentiam; formas vero informantes nequaquam: *Ratio 16.*

quaquam: Et quærens deinde an ex eis aliqua poſſit manere poſt corpus: reſpondet id non eſſe poſſibile de omnibus; at nil id prohibere de aliqua, ſcilicet de anima rationali.

Euaſio. Quod autem vana ſit euaſio dicentium ibi per intellectum poſt obiectum corporis ſuperſtitem, ſignificare voluiſſe aliquam ſubſtantiam abſtractam, vel Deum: ex *Impugnatio.* eadem littera conſtat: quia ſcilicet poſtquam determinauit de formis abſtractis, quæ ſunt intelligentiæ; mox ennumerat talem intellectum inter formas informantes, inquiens quod inter formas informantes ſolus intellectus valet poſt corpus remanere: quod alioquin abſurde dictum fuiſſet, perinde ac ſi quis diceret omnia corpora Cæleſtia eſſe incorruptibilia preterquam terra; quandoquidem terra non ſit corpus Cæleſte.

Ratio 17. Accedit auctoritas eiuſdem Ariſtotelis in primo Moralium Nicomachiorum ſtatuentis hominem capacem ſummi boni, quod ſummum bonum conſiſtere putat in perfecta cognitione, ac preſertim in cognitione ſubſtantiarum abſtractarum; quam in hac vita impoſſibile eſt aſſequi.

Quod confirmat in tertio eiuſdem operis cap. 5. inquiens, hominem vtentem intellectu liberum, & dominum eſſe, ac ideo per prælectionem agere; indicans abſolutam illius independentiam a corpore, ac immortalitatem.

Itidem & in eodem tertio, ac etiam in nono eiuſdem operis inquit virum fortem debere pro communi bono, pro patria, atque pro amicis ſe morti exponere: quod forſan non dixiſſet quando putaſſet ipſum hominem totale ſuum eſſe per mortem corporis abijcere.

Conferre etiam videtur huic inſtituto littera primi libri eiuſdem operis in cap. 11. vbi habet quod proſperi amicorum euentus, ac eorundem infortunia aliquid conferre videntur defunctis ita tamen, & tantum, vt nequeant fælices reddere non fælices; vel non fælices reddere fælices: ex quo patet quod ſtatum defunctorum felicium, ac infælicium cognouerit, & confeſſus ſit.

Alijs fundamentis ex naturali ratione deſumptis immortalitas animæ humanæ demonſtratur. Cap. III.

SEd quoniam exiguum præhabitæ ſententie fundamentum eſt aſſenſus Ariſtotelis, qui ſecus etiam opinando nihil rei veritati officeret; quod magis refert, oſtendendum eſt ipſius rationis fundamento eam veritatẽ fulciri: quod inter quamplurima media, quibus probari valeat, non aſpernandam habet rationem, quæ ad exemplum moris Ariſtotelici, aliorumq; philoſophantium deſumitur ex vniuerſali hominum conſenſu; cum enim *Ratio 1.* etiam iuxta doctrinam Ariſtotelis, humana cognitio ipſa vi veritatis cogatur; naturaliterq; inſitum nobis ſit quodam inſtinctum ad verum, & ad bonum dirigens: propterea iure id verum creditur, quod tale ab omnibus, aut pleriſque reputatur: Vnde cum homines cuiuſcunque nationis, aut religionis, præſentis, aut elapſi cuiuſuis ſeculi; ſiue ſcilicet Latini, ſiue Græci, Arabes, vel Caldei; ſiue Chriſtiani, ſiue Maumethani, Hebrei, vel Gentiles conſenſerint credendo immortalitatem animæ rationalis, eiq; (quamuis diſides circa modum) præmia, aut pænas poſt mortem expectantes: validum inde argumentum immortalitatis extat.

Confirmatio. Conſimilis eſt ratio Plotini in libro de Immortalitate Animæ cap. 10. quod ſcilicet, talis eſt anima, qualis ab animo ſyncero, haud deprauatio, ac corpori mancipato exiſtimatur: ſed purus, & æquus animus, qui eſt ſui rectus iudex, credit ſe æternum, & ſoli impuri, vitijſq; ac ſordibus inquinati ſecus opinantur.

Ratio 2. Adeſt deinde ratio, quam formauit Diuus Thomas in prima parte quæſt. 75. artic. 6. nimirum; Omne quod interit interire per contrarium, aut ex deficientia alicuius ad eius eſſe neceſſario requiſiti; Animam vero rationalem non habere contra-

contrarium; caret namque materia, nec corpus eſt abſolute neceſſarium ad illius eſſe: quod eo probatur quoniam ipſa habet ſuum eſſe per ſe, idemq; in corpore, & extra corpus; cum eo tantum diſcrimine, quod illud communicat corpori dum ei inexiſtit; minime vero dum eſt ſoluta.

Euaſio. Extat reſponſio Scoti dicentis quod cum dicitur intellectum habere proprium eſſe: vel intelligitur tale eſſe vt contradiſtinguitur tantum ab eſſe accidentium: & tunc concluſionem non ſequi: nam etiam forma elementaris quatenus eſt ſubſtantia ſi eſſet ſine materia haberet eſſe per ſe: vel intelligitur tale eſſe per ſe, quod conuenit compoſito & tunc falſam eſſe aſſertionem; nam ſi anima taliter haberet eſſe per ſe, non indigeret compoſito.

Impugnatio. Sed vrget è contra Gaietanus in commentario ſuper eundem locum Diui Thomæ inquiens ipſius animæ rationalis ſubſiſtentiam per ſe, ac independentiam a corpore apparere ex illius operatione; nam quod valet omnia cognoſcere nullam corpoream naturam includere debet; intus enim exiſtens prohibet alienum; quemadmodum color in oculo, vel ſapor in guſtu omnem huiuſmodi ſenſationem euerteret: ſed intellectus eſt omnium cognoſcitiuus: Quare &c. Quod inſuper deducitur ex eo quod operatur ſine organo; ſi enim operaretur per organum non eſſet aptum ad omnia cognoſcenda.

Euaſio. Reſpondent ſectatores Scoti non inde ſequi intellectus ſeparabilitatem, & ſubſiſtentiam per ſe; nam ex prima ratione ſequitur tantum eius immixtio ab obiecto materialiter, quod etiam ſtatuit Philoſophus in tertio de Anima contex. 4. Ex ſecunda vero ſequitur tantum quod non ſit determinata ad aliquam certam partem corporis, vt ſe habet de ſenſu, quod etiam probatur in tertio de Anima tex. 6.

Impugnatio. Inſtat iterum Gaietanus eodem loco, ac in primo de Anima cap. 1. inquiens eadem ratione colligi ſeparationem animæ ab organo, ideſt a parte corporis, ac eius ſeparationem a toto corpore; nam quemadmodum colligitur, intellectum non eſſe commixtum organo, quia alioquin eſſet calidus, aut frigidus: pariter id ſequitur & de toto corpore; a quo, ſi non eſſet ſeparabilis ſecundum operationem; ſed requireret ipſum totum corpus, in quo ipſum vna cum intellectione, ac ſpeciebus intelligibilibus reciperetur; tunc intellectus eſſet organicus; quia ſcilicet haberet totum corpus pro organo; ac proinde eſſet calidus, aut frigidus.

Confirmatio. Et pro maiori principalis rationis comprobatione adnotamus inſtitutum eius eſſe probare quod anima intellectiua; quę eſt deforis veniens, ac per ſe diſtinctim a corpore producta (quamuis illius productio fuerit ex corporis productione excitata) habeat ſuam ſubſiſtentiam formalem, & realem a corpore diſtinctam, per quam valeat ſeparata ſubſiſtere: Et hoc ex eo videtur inferri, quod res ita ſe habent ad eſſe, vt ſe habent ad operari; omne enim eſſe inſtitutum, directum, & appropriatum eſt ad operari: vnde cum intellectus per ſe, & abſque corporea organorum compagine aptus ſit ad agendum, ſequitur vt per ſe etiam habeat ſubſiſtentiam a corporea diuerſam.

Quod eo confirmatur quoniam quod non haberet per ſe exiſtentiam a corporea ſeparatam nunquam poſſet ſine corporei organi concurſu operari; non enim eſt operari, niſi entis in actu. *Praeoccupatio* Vnde nil valet effugium recentiorum quorumdam dicentium quod quamuis intellectus agat ſine organo corporeo: requirit tamen neceſſario ad ſuum eſſe corpus, cum ſit eius forma inhærens: ac ideo non eſt ab eo ſeparabilis: Per hoc enim non infringunt vim rationis; quæ ex eo quod intellectus valet ſeorſum ſine organo corporis agere: concludit quod etiamſi vnitus corpori, debeat propriam, & a corporea diſtinctam exiſtentiam habere.

Nec obijcias quoniam cum intellectio dependeat ex phantaſmate; non ideo videatur intellectus ſine corpore intelligere. Reſpondebitur enim quod quamuis intellectus corpori vniti intellectio dependeat originaliter ex phantaſmate: cum tamen ſpeciem ex ipſo phantaſmate ſemel deſumpſerit; tunc ſeu iunctus, ſeu ſepara-

Digitized by Google

tus a corpore valet ſine phantaſmate intelligere: præter illa quæ inferius in cap. vltimo pro ſolutione 8. argumenti dicentur.

Ratio 3. Inferri etiam ſolet immortalitas animæ rationalis ex illius libertate, per quam elleuatur ſuper conditionem brutorum animalium, & per quam corpori, eiuſq; propenſionibus, & ſenſitiuo appetitui, nedum aduerſatur, ſed etiam dominatur: quæ quidem libertas, ac dominatio eſt ſignum abſolute immortalitatis, & æternitatis: vnde audimus Ariſtotelem in tertio de Anima 4. laudantem Anaxagoram, qui dixerit mentem immixtam eſſe a materia vt valeat dominari.

Ratio 4. Deducitur idipſum ex obiecto intellectus, quod eſt ens in communi complectens materialia, & immaterialia: vnde neceſſario fit vt debeat aliquando intellectus ad cunctorum notitiam peruenire poſſe: quemadmodum & viſiua potentia nequet aliter quam per inſpectionem omnium colorum adimpleri: id autem eſt ei impoſſibile dum corpori iunctus eſt; tunc ſiquidem non valet immaterialia percipere, niſi imperfecte, & ſub ſpecie materialium: Quare concedendus eſt ſtatus eius in quo poſſit etiam materialia intueri.

Pariter cum de ipſius obiecto ſit ens & veritas; inde ipſius deſiderium haud fruſtrabile nunquam quieſcet quouſque deuenerit ad ſummum illud ens, ac eminentiſſimam veritatem, vbi eſt origo veritatis, & entitatis: quæ, dum hæret corpori, nunquam aſſequi valet.

Et rurſus eo confirmatur quoniam innatus eſt mentis affectus rebus inſpectis, ipſarum omnes inquirendi cauſas vſque ad primam: naturale enim ex proæmio Metaphyſicorum eſt deſiderium ſciendi, & ſcire eſt rerum cauſas cognoſcere, ex proæmio Phyſicorum, ac primo Poſteriorum; & prima cauſa, quæ eſt Deus, nequet inſpici à mente vnita corpori, ſe habente ad ipſum non aliter quam oculus noctuæ ad ſolem.

Ratio 5. Vnde cõſimilis educitur ratio ex obiecto voluntatis; quo ſcilicet (quoniam eſt infinitum) nunquam animus ſatis expleri valet in hac vita; ſed quouis bono adepto aliud vlterius expetit: Vnde cum voluntas non ſit impoſſibilium ex tertio Ethicorum cap. 5. neceſſarium eſt dari ſtatum animę poſt mortem; in quo totalem ſui appetitus amplitudinem explere valeat.

Confirmatio. Quod confirmari videtur ex inſito hominibus deſiderio nominis, famæ, & gloriæ poſt mortem; cui propterea tam ennixam adhibent curam, vt ſcilicet poſt mortem corporis in honore, atque decore viuant: vnde videtur aliquid ipſius hominis pro ſubiecto huius expetiti boni, poſt corporis obitum ſupereſſe.

Rationes quędam pręter mittuntur. Prætermittimus duas, quæ adduci ſolent rationes: prima ſcilicet quia quiſlibet animus appetit perpetuo eſſe, & nunquam deficere: Ac quoniam in hac vita multi improbi homines proſpere viuunt, multiq; innocentes vexantur: Vnde neceſſarius ſit alter ſtatus, in quo homines de ſuis probe, vel improbe actis iuſte retribuantur: Videmus namque peruicacem aduerſarium reſponſurum, idipſum etiam de brutis animalibus dici poſſe.

Propterea deueniemus ad eam, quod, non eſt corruptibile id quod non eſt generabile, vt docetur in primo de Cælo; nec mens eſt generabilis; quoniam quatenus rationalis, & intellectualis non habet corpus aliquod ſe nobilius, ſeu non longe ignobilius, a quo poſſit generari: Quod confirmatur quia cum eadem ſit alicuius rei potentia ad eſſe, & ad non eſſe; dicitur enim potentia contradictionis; ideo quęcunque incipiunt, etiam deſinunt eſſe: ſed animæ rationales nequent habere principium ſui eſſe ab alio, quam a Deo; cum enim ſint nobiliores, nequent naturalem genitorem inuenire: Ac inſuper quia non ſunt materiales, vt patet ex eo quod recipiunt materialia immaterialiter. Nec licet eas corrumpi per accidens ad deſtructionem ſui corporis. id enim competit quidem accidentibus, & formis materialibus, quæ non habent per ſe ſubſiſtentiam: at quod per ſe ſubſiſtit non generatur, vel corrumpitur per accidens; quo enim modo alicui competit eſſe, eodem ei

competit

Digitized by Google

competit generari, aut corrumpi: Et anima rationalis per ſe ſubſiſtit, cum per ſe ſine corpore operetur; vt nuper oſtenſum eſt.

Et vlterius idem ſuadetur ex ſimilitudine humanæ mentis cum Deo, & intelligentijs æternis, quæ dicuntur immortales, quia ſunt intellectiuæ, & rationis compotes: Inſuper quoniam Deus, & intelligentiæ eo probantur eſſe immortales, quia ſunt ſpirituales; nec attingi valent ex corrumpente corporeo, & naturali, cuius actiones, & effectus non valent in rem ſpiritualem imprimi: Animæ vero rationales cum Deo, & intelligentijs in ſpiritualitate conueniunt: Ac demum quoniam ens ſpirituale nil habet contrarium, quod poſſit illius corruptionem machinari. *Ratio* 7.

Præterea adeſt Politica ratio quoniam ſi hominum, non aliter quam ferarum totale eſſe in obitu corporis periret; tunc magna cum mundi deformitate rueret omnis virtus, & recta operatio; cum enim ipſius virtutis finis non ſit ipſamet virtus, ſed aliquid externum ab ipſa expetendum, aut euitandum: & bonum, ac id ſine quo nullum adeſt bonum, eſt eſſe; ſi omne humanum eſſe conſiſteret in hac vita; tunc ſola vita præſens, ac illius bona ab hominibus eſſent optanda: vnde æquum non eſſet pro patria, pro veritate, pro iuſtitia, pro virtute, ac pro dedecore vitando mori: nemoq; virtutes, & probitatem (cuius proceſſus eſt labor) inſequi, vitiaq;, & otium, in quibus eſt voluptas, effugere vellet: Præterquam quod virtutem ſectantes quamplurima ſibi comoda ſubtrahunt, grauiaq;, & auſtera ſubeunt, quibus frequenter animus corpuſue labefactatur; vnde mortem approperant: quod cum non ſit reputanda virtus illa, quæ abſque alicuius boni ſpe vitam cum toto eſſe deſtrueret: ſequeretur quod virtus exiſtimanda potius eſſet vitium, quam virtus. *Ratio* 8.

Demum (& eſt ratio, quam formauit Plato inter alias, quas vel ſuperius adduximus, vel vt ineficaces, ſtudio prætermiſſimus: Id cui per ſe, ac ſui conditione competit vita, non eſt capax mortis; cum mors, & vita ſint contrariæ: animæ vero per ſe, & propria conditione competit vita: Nec obijciatur quod etiam de animabus brutorum hoc idem liceat fateri: Quoniam cum illæ ita corporis nexum requirant, vt ſine illius organo nequeant operari; congruens eſt vt ad illius corruptionem pereant: at de mente, quæ apta eſt agere per ſe, aliud debet eſſe iudicium. Nec dicas quod mors competit animali, cui per animam vita, ac per eius receſſum mors competit: Non inquam, nam mens eſt quid per ſe, & abſolutum; vnde ei primo competit eſſe, quod deinde per eius participationem communicatur corpori: quare per ſe conſiderata nullo modo eſt capax interitus. *Ratio* 9.

Oſtenditur intellectum agentem non eſſe Deum, vt putauit Alexander. *Cap. IV.*

PRæhabita immortalitatis fundamenta, eaq; præſertim quæ in Ariſtotelicis atteſtationibus conſiſtunt, infringere nitentes Alexandri ſectatores inquiunt quod Ariſtoteles animam immortalem aſtruens locutus eſt de Intellectu agente, qui ſecundum ipſum eſt ipſe Deus, cui maxime impaſſibilitas, æternitas, ac diuinitas competunt.

Sed irrationabilitas talis aſſertionis patet præſertim ex primo de Anima textibus 65. & 66. vbi ad differentiam ipſius intelligere, quod eſt marceſcibile ex corruptione alicuius interioris, dicitur quod intellectus eſt quodam diuinum, & impaſſibile; quod ſuperfluum fuiſſet fateri de Deo; de quo ſiquidem cuilibet notum eſt quod ſit impaſſibilis, atque diuinus: Ac ſi id eſſet, longe minus dicendo quod intellectus eſt quodam diuinum, & impaſſibile, addere debuiſſet vocem illam *fortaſſis* quando non liceat heſitare in illis attributis ipſi Deo aſſignandis. *Ratio* 1.

Inſuper, vt arguit Ioannes Grammaticus, inſtitutum Philoſophi in libris de Anima eſt de anima, eiuſq; partibus diſerere; non de Deo: Vnde ſi intellectus eſſet Deus, non eſſet eo loco conſiderandus. 2.

3. Quod valide confirmatur ex communi ratione deſumpta ex 17. textu tertij de Anima, vbi intellectus agens dicitur differentia animæ noſtræ: cuiuſmodi quidem non eſt Deus.

Euaſio. Reſpondent Alexandrei, ac inter ipſos præſertim Iacobus Zabarella in libro de Mente agente cap. 16. ibi non fuiſſe dictum, quod intellectus agens vna cum poſſibilis ſit differentia animæ noſtræ: ſed tantum quod tales differentiæ ſunt in anima noſtra; quod etiam de agente eo verificatur, quia Deus, qui vbique eſt, iungitur per ſuum lumen phantaſmatibus in anima exiſtentibus tanquam perfectio: vnde dicitur differentia animæ quatenus ad illius officium intelligendi conſpirat.

Impugnatio. Sed hoc haud perferendum videtur; primo quoniam oppoſitæ differentiæ ſe habentes vt actus & potentia debent eiuſdem eſſe rationis: vnde ſi differentia patiens eſt pars animæ, & ſecundum ſuam ſubſtantiam ei intrinſeca; idipſum eſſe debet de differentia agente: Quod liquido cernitur ex eo quod inde Philoſophus ex eo quod in intellectu eſt differentia paſſiua, infert neceſſitatem differentiæ actiuæ illi correſpondentis, quæ illam deducat ad actum, ea ratione, quia in omni natura eſt aliquid vt materia, & potentia, & aliud vt cauſa, & factiuum: vnde ſuadetur quod ipſas exiſtimauerit eiuſdem generis: Propterea quæmadmodum differentia patiens creditur ineſſe animę, non tantum quoad actum ſecundum; ſed quoad actum primum; pariter & de agente putandum eſt quod non inexiſtat animæ quoad actum ſecundum tantum; ſed eſſentialiter tanquam actus primus; qualiter non nobis ineſt Deus.

Adde quod attinentia ad actum ſecundum ab Ariſtotele in textu *66.* primi de Anima dicuntur interire: quare dum inquit intellectum eſſe immortalem, credendum eſt quod locutus fuerit de actu primo.

Inſuper huiuſmodi differentia agens eſt efficiens proprium talis generis: vnde eſt quod in citatis verbis inquit Philoſophus quod neceſſaria eſt hec facultas agens in intellectu. quemadmodum in omni natura requiritur aliquid vt patiens illius generis, & aliud vt efficiens ad exemplum artefactorum: Sed Deus qui eſt cauſa tantum vniuerſaliſſima, nō eſt alicuius generis proprius. Propterea cū Deus tanquam cauſa vniuerſaliſſima cūctis pręſit, & omnibus aſſiſtat; ideo ſuperfluū fuiſſet probare quod etiam hominū intellectionem adiuuet: Sed ſtatuendo talem differentiā agentem in intellectu requiri, rationabile eſt, vt de facultate talis generis propria intellexerit.

Accedit quod ſi id eſſet verum pari ratione dicere liceret lumen Solis eſſe ſenſum agentem; quatenus illius actio conſpirat ad officium viſionis.

4. Præterea quoniam ſi id eſſet; tunc nobis aſſiſteret tanquam Cæleſti orbi intelligentia: ſed hoc eſt contra decreta ab ipſo in octauo Phyſicorum 84. quod ſcilicet Deus vere, ac potiſſime exiſtat in Cælo.

5. Deinde arguunt multi eo quod in 20. textu tertij de Anima legitur, ſine mente paſſiua nil intelligere: quod falſum eſſet dum intellectus agens eſſet Deus; cui ſiquidem etiam ſine noſtra mente paſſiua non deeſt modus intelligendi.

6. Mox vt arguit Themiſtius, in eodem 20. textu cum dixiſſet Philoſophus, hoc ſolum eſſe immortale, & æternum ſubdit *non reminiſcimur autem* indicans ex noſtra eſſentia eſſe intellectum, qui etiamſi ſeruetur, non tamen reminiſcimur: Vnde cum ex ſecundo Phyſicorum 28. ac octauo Metaphyſicorum tex. 12. forma ſit totum quod quid eſt rei, & intellectus agens, qui eſt forma noſtra, eſſentialis eſſet Deo, ſequeretur nos eſſe Deos.

7. Adde quod intellectio diuina eſt ipſius Dei eſſentia; nam in ſeparatis a materia idem eſt intelligens, intellectio, & intellectum: & quicquid eſt in Deo eſt Deus: Sed intellectio noſtra non poteſt dici eſſentia diuina, cum ſit accidens, actio imperfecta, ex facultate poſſibili, ex phantaſmatibus, ac corporeis organis (quamuis remote) dependens: Quare &c.

8. Rurſus quia ſi id eſſet ſequeretur non in noſtro libitu eſſe ipſum intelligere; nam actio illa eſt in noſtra libera poteſtate, quę pendet ex cauſa nobis intrinſeca: & Deus eſt nobis

Digitized by Google

eſt nobis externus; vnde vel ſemper, & neceſſario, vel tum tantum cum Deus vellet intelligeremus.

Zabarella in præcitato loco reſpondet quod inconueniens id ſequeretur ſi Deus aliquando ſuam nobis opem negaret; ſuumq; lumen non ſemper effunderet: At illum nobis ſemper eius radios emittere: ſed aliquando ex nobis procedere impedimentum ex defectu habitus, vel ex deprauatione phantaſiæ. *Euaſio.*

Sed ita loquens in aliud incomodum incidit; quoniam enim Deus ſemper vniformiter agit, vt ideo nunquam habentibus diſpoſitionem ſuam opem adhibere ceſſet; propterea ſequeretur vt habentes diſpoſitionem neceſſario intelligerent; neq; poſſet aliquis tali diſpoſitione præditus ab illa intellectione deſiſtere: cuius tamen oppoſitum ex ipſa experientia comperitur. *Impugnatio.*

Nec dicatur non ſufficere quod habeat diſpoſitionem, & opem agentis ad hoc vt neceſſario intelligat: Sed vlterius beneplacitum ipſius libere voluntatis requiri: Non tuta inquam euaſio; nam libertas, & arbitrium conſiſtere debet in parte agente: quod ſi intellectus habeat ſibi eſſentialem partem tantum paſſiuam: non videtur quomodo in eius arbitrio ſit electio, ac velle, vel nolle intelligere. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Demum idipſum aptiſſime probatur ex eo quod intellectus agens, etſi non formaliter, realiter tamen eſt eiuſdem met eſſentiæ cum poſſibili; quod patet primo ex eo quod natura non multiplicat entia ſine neceſſitate: & ſufficit hec diſtinctio formalis differentiarum intellectus ad omnes illius operationes ſaluandas: Inſuper quoniam definitur anima tota per actum corporis phyſici: Quare non videtur poſſe aliqua eius pars realis eſſe mere potentia a parte actuali eſſentialiter diſtincta; Quinetiam quoniam Philoſophus poſtquam in ſecundo contextu ſecundi de Anima diuiſiſſet omnem ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum, deinde in contextu 4. inquit: animam non eſſe ſubſtantiam, quæ eſt materia, neque compoſitum, ſed eſſe formam, actum, & ſpeciem: Adde quod ſi formæ naturales, vt lapidis, & huiuſmodi, quę ſunt minus ſimplices non conflantur ex diſtinctis ſubſtantijs, longe minus id eſt credendum de intellectiua, quæ eſt ſimplicior. *Intellectus agens eſt idē eſſentia cum poſſibili.*

Nec fundamenta ab Alexandro; eiuſq; ſectatoribus pro hac poſitione iacta, valida ſunt, ſed facile ſoluuntur: cum enim primo arguitur quoniam ex 18. contextu tertij de Anima intellectus agens aptus eſt omnia facere: & nil valeat omnia facere niſi Deus: videatur proinde ipſum intellectum agentem eſſe Deum. Facile occuritur per hoc, quod dicitur ibi intellectum agentem, omnia facere, ſicut poſſibilis eſt, omnia fieri: vnde quemadmodum de poſſibili non intelligitur quod fiat omnia abſolute, adeo vt fieri poſſit equus, canis, vel lapis; ſed illa omnia tantum, quæ ſpectant ad intellectionem; omnes ſcilicet ſpecies intelligibiles recipiendo: ſic ſufficit vt agens ea omnia faciat, quæ ad idem officium intelligendi pertinent, nimirum redigendo ad actum intelligibilitatis omnes ſpecies, quæ ſunt poteſtate intelligibiles. *Argument. 1* *Solutio.*

Et cum arguitur ſecundo quoniam in 17. contextu tertij de Anima intellectus agens comparatur arti reſpectu artefactorum: vnde quemadmodum ars eſt ipſis artefactis extrinſeca; pariter & intellectus agens debeat eſſe ſeparatus a poſſibili. Reſpondetur optime exemplum adæquari; nam quemadmodum ars extrinſeca eſt artefactis, ita & intellectus agens ſeparatus eſt ab obiecto intelligibili, vt docet Philoſophus in textu 4. eiuſdem operis laudans dictum Anaxagorę. Inſuper quoniam quemadmodum ars eſt cauſa communis omnium artefactorum, ſic & intellectus agens eſt commune principium omnium ad illud genus attinentium. *Argumen. 2.* *Solutio.*

Et cum additur tertio haberi in 19. textu eiuſdem operis quod actio intellectus agentis eſt eius ſubſtantia; nulliuſq; actionem eſſe eius ſubſtantiam, niſi Dei, qui eſt ſubſtantia omnium ſimpliciſſima. Reſpondetur quod actio dicitur eſſe illius eſſentia, non quidem in primo modo per ſe, ſed ſecundo modo: & hoc ad differentiam poſſibilis; quia ſcilicet quemadmodum illum inſeparabiliter ſequitur facultas patiendi, ita agenti inſeparabilis eſt facultas agendi. *Argumen. 3.* *Solutio.*

Cum etiam inſtatur ob textum 20. afferentem, intellectum agentem ſemper intelligere, *Argumen. 4.*

Solutio

telligere, quæ inceſſabilis actio videtur ſoli Deo competere. Reſpondetur ibi ſignificari, intellectum poſſibilem actu, qui dummodo talis fuerit, ſemper intelliget.

Argumen. 5.

Et cum arguitur ab Alexandro quoniam, vt habetur in decimo Metaphys. contex. 2. in omni genere neceſſarium eſt deuenire ad aliquod primum, quod rationem illius generis in ſe continens; ſit cauſa vt cætera illius generis talia ſint: veluti ſumme bonum eſt cauſa vt reliqua bona ſint talia: ac ſumme viſibile cuiuſque alienę viſibilitatis eſt cauſa: vnde cum in genere intelligibilium adſit Deus, qui eſt primo, & per ſe tale: videtur quod debeat eſſe cauſa intelligibilitatis cæterorum, ac proinde quod ſit ipſemet intellectus agens.

Solutio.

Optime reſpondetur quod id primum ſui generis ſatis eſt vt ſit cauſa cæterorum vniuerſalis & remota: Et ſufficit quod Deus primo intelligibilis ſit cauſa non proxima operis, ſed principij, ex quo ipſum opus dependet, vt verificetur illa propoſitio.

Argumen. 6.

Cum etiam arguitur quia facultas quo eſt præſtantior eo præſtantius aliquod externum exigit, ideo quemadmodum materialis oculus adiuuatur ex ſole corporeo; ita intellectus, qui eſt oculus immaterialis, & ſublimior requirat ſolem eminentiorem, qualis eſt Deus.

Solutio.

Reſpondetur vtique facultatem intellectiuam obtinere principium præſtantius, quam habeat ſenſus, ſcilicet ipſum intellectum agentem, qui eſt illius pars eſſentialis; eoq; ad eius perfectionem & integritatem conferens; quod eſt agens proprium; non vniuerſale tantum.

Argumẽtũ. 7.

Et dem im cum obijcitur quod vni & eidem eſſentiæ ſimplici nequent ſimul potentia & actus coexiſtere: vnde cum intra eſſentiam ſimpliciſſimam intellectus ſit pars poſſibilis, non poſſit eidem ineſſe & agens, qui eſt actus.

Solutio.

Retorquetur hoc argumentum acrius in ipſos; nam cum intellectus ſit eſſentia ſimplex, non ideo conſtare debet ex diſtinctis ſubſtantijs; quales eſſent Deus, & realitas animæ noſtræ: Repugnaret quidem ſimplicitati animæ talium differentiarum diſtinctio realis, & eſſentialis: minime vero illarum diſtinctio poteſtatiua, quatenus ſcilicet ſunt tantum diuerſæ eiuſdem eſſentiæ facultates: Quemadmodum etiam repugnaret ſi eidem ſubiecto ineſſet intellectus actu, ſcilicet habitu, qui omnia intelligibilia cognoſceret, ac intellectus potentia, qui ſcilicet nil intelligeret: at facultas agens & facultas patiens poſſunt abſque aliqua repugnantia eidem ineſſe.

Intellectum non eſſe ſubſtantiam ſeparatam, vt Auerroes putauit; ſed formam hominis informantem. Cap. V.

VRgentibus autem præhabitis rationibus immortalitatem animæ ſuadentibus: alterum aduerſæ ſententiæ refugium eſt apud illos, qui intellectum (quamuis non putauerint Deum) ipſum tamen haud inhærtere, & dare eſſe homini, vt formam informantem; ſed ei tantum (non aliter quam in naui nautam) aſſiſtere aſſeruerunt: qui cum primum erroris ſemen receperint ex Platone aſſerente in Alcibiade hominem eſſe animam corpore vtentem, ipſum in doctrina Ariſtotelis inſerere, & ampliare ſtuduerunt, & fuerunt Theophraſtus, Simplicius in ſecundo de Anima cõment. 7. & Ioannes Grammaticus ibidem comment. 11. ac Themiſtius in tertio de Anima cap. 27. & ſequentibus: Sed præſertim Auerroes in tertio de Anima comment. 5. ac in Deſtructionibus deſtruct. aduerſus Algazelem, quem omnes eius ſectatores acriter inſequuntur: vt Zimara, Sueſſanus, Iandunus, Vicomercatus, Gandauenſis: & præter alios Piccolomineus in libro de Humana Mente cap. 17. qui propterea præallatis rationibus immortalitatem concludentibus reſponderunt: immortale ſtatui ab Ariſtotele non aliquid nobis proprium, & intrinſecum; ſed ſubſtantiam quandam abſtractam, & nobis non inhærrentem, quam (vt in altero capite diſcutietur) reputarunt omnium hominum vnam.

Plato. Theophraſtus. Simplicius. Io. Gram. Themiſtius. Auerroes. Zimara. Sueſſ. Iandunus. Vicomercat. Gandauens. Piccolom.

Talem

Digitized by Google

Talem autem errorem vniuerſa Latinorum Schola exactis diſputationibus reprobat: præſertim Diuus Thomas in prima parte quæſt. 76. in ſecundo contra Gentes cap. 73. in opuſc. 16. cui titulus eſt de Vnitate intellectus contra Auerroiſtas: Magnus Albertus in tractatu eiuſdem tituli. Scotus in quarto Sent. diſt. 43. quęſt. 1. Aegidius libro de Pluralitate Intellectus patientis: Durandus in ſecundo Sent. diſt. 17. quæſt. 1. ibidemq; Ariminenſis artic. 1. & 2. Henricus Gandauenſis Quodlibeto 9. quæſt. 14. & 15. Hæruæus quodlibeto 1. quæſt. 11. Ochamus Quodlibeto 1. quæſt. 11. Sed in eandem inuhæctus eſt Alexander Aphrodiſienſis, ac cum eo Pomponatius, & Zabarella præter alios quamplurimos his rationibus. *D. Thomas. Albertus M. Scotus. Aegidius. Durandus. Gre. Arimin. Gandauens. Harueus. Ocham.*

Prima, quæ ſumitur ex operatione; nam quemadmodum materia ex tranſmutatione, ita & ratio hominis, ac illius forma intellectiua ex operatione potiſſime cognoſcuntur: Propria vero hominis operatio eſt intelligere: Quare debet procedere a forma propria hominis: quod cum procedat ab intellectu; ſequitur ipſam animam intellectiuam eſſe propriam hominis formam: Antecedens patet tum ex eo quod homo per talem actionem diſtinguitur a brutis: tum ex Ariſtotele in primo de Anima 64. aſſerentis non intelligere animam, ſed hominem: Inſuper & in proæmio libri tertij proferentis quod per intellectum intelligit anima (ideſt homo) & ſapit: Quæ confirmantur in primo Ethicorum cap. 9. & adhuc quoniam in nono Metaphyſicorum 16. intelligere dicitur eſſe actio immanens, quæ alioquin eſſet actio tranſiens: Et etiam eo probatur, quoniam ineſt nobis cognitio rerum ſub aliqua ratione, ſub qua nequet percipi a ſenſu, vt cognitio vniuerſalium, ſecundarum notionum, ipſius ſenſus, eiuſq; diſtinctionis ratione obiecti a cæteris alijs: appræhendimus complexionem principiorum, ac ratiocinando a noto ad ignotum progredimur: quæ omnia excedunt vires facultatis ſenſitiuæ. Quare videntur fieri in nobis per intellectum. *Alexander. Pomponat. Zabarella. Ratio. 1.*

Nec dicatur talem eſſe actionem Cogitatiuæ, ſeu imaginatiuæ facultatis: Hinc enim ſequeretur intellectum in homine eſſe ſuperfluum; cum ipſe nullam habeat nobiliorem operationem quam intelligere: Ac inſuper ſequeretur etiam bruta intelligere; quando & ipſa eadem facultate ſint prædita. *Euaſio. Impugnatio.*

Nec dicatur hominem non conſtitui in eſſe per animam intellectiuam: ſed per cogitatiuam facultatem, quæ perfecior eſt quam cogitatiuæ brutorum: Hinc enim fieret vt bruta non magis differrent ab hominibus, quam differant inter ſe; nam quęmadmodum Leo (exempli gra.) quamuis perfectiorem cogitatiuam habeat quam ſus: eſt nihilominus animal irrationale: pariter & homo ſi non in alio, quam in perfectione cogitatiuæ beluas excederet, ſequeretur ipſum non eſſe rationalem; non enim facultas cogitatiua per ſe apta eſt ratiocinari, & intelligere. *Euaſio. Impugnatio.*

Nec dicas differre hominem a brutis quoniam illius cogitatiuæ aſſiſtit intellectus eam ſuo lumine perfundens; vnde ſequitur in homine intellectio; quæ non contingit in beluis, quibus intellectus non aſſiſtit: Hoc enim vanum eſt, nam ſicut nauis non dicitur intelligere ex eo quod homo proprie intelligens ei aſſiſtit: pariter nec dicendum eſſet intelligere hominem; cui tantum per aſſiſtentiam mens vniretur. *Euaſio. Impugnatio.*

Nec etiam dicatur cum Ianduno in tertio de Anima quæſt. 5. quod cum dicitur, hominem intelligere, id verum eſt ſi pro homine intelligatur aggregatum quodam ex ipſo homine, & intellectu: Vanum enim non minus hoc eſt; nam vel hoc eſt aggregatum duorum ſe habentium vt actus & potentia; vel duorum habentium ſeparatas exiſtentias actu; quarum vna aplicata tantum, & aſſiſtens ſit alteri: primo modo habetur intentum: ſecundo vero modo abſurdum eſſet dicere hominem intelligere perinde ac ſi diceretur intelligere Cælum quatenus intelligentia ei aſſiſtens intelligit: vel ægrotare lectulum, quia homo ei incumbens ægrotat: Inſuper quoniam propria alicuius operatio eſt illa, quæ ei competit quocunque præciſo, quod non ſit de illius ſubſtantia, vel ad illius conſtitutionem pertineat, vt calefactio ignis: ſed præciſo ab homine intellectu tunc per ſolam cogitatiuam non intelliget: *Euaſio. Impugnatio.*

Digitized by Google

telliget: quare intellectus, per quem homo intelligit, debet eſſe quid ei intrinſecum, & ſubſtantiale.

Euaſio. Zimara Sueſſanus, & alij Auerroiſtæ reſponderunt argumento, intellectum vniri homini per phantaſmata: ac inde fieri vt intelligente intellectu, ipſe etiam homo, *Impugnatio.* cui eſt vnitus intelligere dicatur: Sed talem aſſertionem etiam Diuus Thomas præuidit, & impugnauit: iure quidem, quoniam vnio phantaſmatum cum intellectu non aliud eſſe videtur quam coniunctio rei cognoſcibilis cum facultate cognoſcitiua, vt puta albedinis, quæ eſt in pariete cum oculo: vnde quemadmodum paries nunquam dicitur videre ex eo quod albedo ei inexiſtens mouet oculum ad viſionem: pariter nec dicere liceret: hominem intelligere eo tantum quod phantaſmata ei inexiſtentia excitarent mentem homini non inhærentem ad intellectionem. Accedit quod talis vnio cum phantaſmatibus non eſt talis; vt ipſa phantaſmata ſint cauſa efficiens intellectionis, vt dici poſſit intellectionem eſſe operationem hominis, quoniam ex aliquo ei intrinſeco procedat: ſed tantum concurrunt tanquam obiectum, cuius non eſt ſuum ſubiectum reddere per ſe operantem: Adde etiam quod ſeu dicatur dari ſpecies impræſſas; ſcilicet intellectum ellicere ſpecies ex phantaſmatibus tanquam propria intellectionis inſtrumenta; ſeu dicatur ipſum immediate intueri phantaſmata, nec aliud quam ipſum actum intellectionis inde extrahere, omnino non connectitur phantaſma cum intellectu, vt illorum fiat vnio; ſed ei tantommodo vt obiectum extrinſecus apponitur.

Euaſio. Occurit Piccolomineus in ſecundo de Humana Mente cap. 17. & 18. inquiens duplicem eſſe nexum intellectus cum homine, alterum ſcilicet per operationem, nimirum per phantaſmata, qui conuenit hominibus tantum adultis: alterum vero per naturam, qui conuenit hominibus ab origine, & talem inquit eſſe vnionem maio- *Impugnatio.* rem, intimioremq; quam ſit vnio materiæ cum forma. Sed ita loquendo multis ſe dificultatibus implicare videtur, & primo dum inquit talem vnionem per naturam maiorem eſſe, quam ſit illa, quæ fit ex materia, & forma; ſi enim id eſt cum forma, quæ vnitur materiæ illam informet, tunc magis intellectus informabit hominem, cui tam arcte, ac valido nexu per naturam vnitur; Inſuper quoniam non datur maior nexus quam potentiæ & actus, ex quibus proprie vnum per ſe conſtituitur: vnde non videtur quomodo ex intellectu, & homine fieri poſſit hec maior, & intimior connexio.

Obiectio. Nec obijciatur dictum illud Auerrois in ſecundo de Cælo comment. 30. quod ſcilicet ex intelligentia & Orbe magis fit vnum per ſe quam ex materia & forma; quamuis tamen intelligentia non informet orbem: Reſpondebitur enim quod ratio cur illa dicatur maior vnio eſt tum propter vnitorum eminentiam: tum propter immediatum illorum nexum, ſcilicet abſque aliqua intermedia diſpoſitione, vt contingit in connexione inferiorum: tum etiam propter ipſorum coniunctorum inſeparabilitatem.

Et iterum roboratur prædictæ euaſionis impugnatio quoniam ex duobus actu exiſtentibus (quales eſſent homo, & intellectus ipſum non informans) non poteſt fieri vnum per ſe; vnde longe minus poteſt fieri vnum magis quam fiat ex materia, & forma.

Euaſio. Nec valet quod dicunt Auerroiſtæ, quod ſcilicet quemadmodum lumen, quamuis extrinſecum, & non informans aerem, eſt tamen ei ratio recipiendi colores, ſic intellectus etſi non ſit forma hominis, eſt tamen ratio per quam homo eſt intelli- *Impugnatio.* gens: Tale enim exemplum non eſt adæquatum; nam recipit colores aer, non vt aer, ſed vt perſpicuum, cui lumen eſt vere actus, ac forma dans illi tale eſſe perſpicuitatis; intellectus vero iuxta doctrinam Auerrois non ita ſe habet ad hominem, cui ſiquidem non dat eſſe eo modo, quo lumen dat eſſe perſpicuo. Inſuper quoniam in perſpicuo, quod recipit colores non eſt lumen, ſed ipſum perſpicuum in tali eſſe per colorem conſtitutum; & intellectus, qui non eſt organo addictus per ſe recipit intellectionem.

Quod

Digitized by Google

Quod confirmatum videtur ex ſecundo de Anima cap. 2. vbi Philoſophus explicans definitionem animæ inquit, eam eſſe actum primum, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, patefaciens expreſſe, nos intelligere; & mentem, qua id efficimus, eſſe nobis formam intrinſecam, & informantem.

Arguitur ad idem quoniam ſi anima rationalis non inhærreret homini; tunc ipſa in intelligendo non neceſſario penderet ex phantaſmatibus; ſed poſſet a ſeipſa ſpecies aliunde recipere: quod eſt contra Ariſtotelem aſſerentem in tertio de Anima 39. neceſſario intelligentem phantaſmata ſpeculari:& alibi, nihil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. *Ratio 2.*

Et confirmari videtur ex voluntate ac voluntarijs operationibus hominum, ad quas non eſt apta facultas ſenſitiua, quæ ſemper ad vnum certum genus appetibilium eſt determinata: vnde eſt quod ſolus homo,& non bruta, voluntarie operatur: quare id prouenit ex intellectu; qui propterea forma nobis inhærrens eſt exiſtimandus: Nec dubium eſſe debet de antecedenti, ſi aſſentiendum eſt Ariſtoteli id determinanti in primo Perihiermenias capite de futuris contingentibus: in ſecundo Phyſicorum cap. de fortuna, & caſu; in ſexto Metaphyſicorum dum probatur dari entia contingentia, & in Moralibus, vbi paſſim diſeritur de Prudentia, & admittitur concilium de futuris, quibus obſiſtere licet. *Ratio 3.*

Adeſt & ratio tacta ſuperius, quoniam ſcilicet ſi intellectus non eſſet forma hominis inhærrens, ſed tantum aſſiſtens, vt aduerſarij tuentur, ſequeretur ipſum intelligere hominis eſſe actionem tranſeuntem, quemadmodum actio tranſiens eſt illa nautæ, quæ terminatur in nauim; vel actio intelligentiæ, quæ recipitur in orbem cœleſtem: At intelligere eſt actio immanens, vt omnes concedunt,& clare ellicitur ex Ariſtotele in nono Metaphyſicorum 16. Quare &c. *Ratio 4.*

Nec tute ſe recipiunt dicentes: intellectionem eo immanentem eſſe, quoniam intellectus obiectiue dependet ex corpore, quatenus ad agendum mouetur ex phantaſmatibus, vt ab obiecto: Non inquam; nam quemadmodum dum intelligentia intelligit orbem cœleſtem; non propterea dicitur quod orbis intelligat: ſeu dum nauta inſpicit nauim, non propterea dicitur nauis videre, conſimiliter & ex intuitu phantaſmatum ab intellectu non inhærrente pars humana, cui propria, & interna ſunt phantaſmata, non intelligeret; ſed tantum vt obiectum in intellectione concurreret. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Argui etiam ſolet ad idem quoniam niſi per inhærrentiam ipſius mentis homo conſtitueretur in eſſe animalis rationalis, & ab alijs animalibus diſtingueretur; ſequeretur ipſum non minus quam cætera eſſe animal brutum. *Ratio 5.*

Nec valet reſponſio dicentium, hominem diſcerni a brutis per cogitatiuam: quoniam vel hec cogitatiua eſt eademmet imaginatiua, ſeu phantaſia, de qua ſermonem habet Philoſophus in fine ſecundi de Anima, & talis cum ſit communis brutis nequeratferre diſcrimen: Nec valet ſi dicatur, ipſam eſſe nobiliorem, & perfectionem; etenim magis & minus non alterant ſpeciem, nec res diſtinguuntur ſpecifice, niſi per diſtinctas ſubſtantias, actuſq; formales: Vel hec cogitatiua eſt diſtincta anima a ſenſitiua brutorum, & tunc mirabile eſſet quod de tali diſtincta anima nullum ſignum dediſſet; quinnimo de ipſa communiter, vt homini, & ſingulis animalibus indifferenti locutus fuerit. Prætérquam quod cum homo non conſtitueretur in eſſe per animam rationalem, ſed per talem cogitatiuam (qualiſcunque ipſa eſſet) ſequeretur hominem omnino eſſe animal brutum; minime autem rationale. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Ellicitur adhuc ratio ex verbis Ariſtotelis in ſecundo de Anima vbi cum in primo tex. propoſuiſſet determinandam communiſſimam rationem animæ: deinde in tex. 6 definitionem attulit inquiens eam eſſe, actum primum corporis phyſici potentia vitam habentis, ideſt organici: vnde ſequitur quod tam intellectus quam cæteræ animæ ſit actus primus, ac proinde forma informans ipſius hominis. *Ratio 6.*

Reſpondent Auerroiſtæ, præſertim Piccolomineus in loco ſupercitato quod ibi Philoſophus conſiderauit totam animam, non partem aliquam, ac propterea ſatis *Euaſio.*

eſſe vt

eſſe vt anima ſecundum ſe tota det eſſe homini: nec eſſe neceſſarium, vt id vnaquę-
Impugnatio. que pars, etiam ſcilicet intellectus præbeat. Sed hoc haud ſuſtinendum videtur; nunquam enim dici poteſt, totam animam dare eſſe homini, dum aliqua illius pars ad idem non concurrit.

Euaſio. Addunt talem animæ definitionem non eſſe vniuocam, ſed ab vno, quoniam nomen actus primi in cæteris animabus indicat quidem actum informantem: in in-
Impugnatio. tellectu vero ſignificat actum aſſiſtentem. Sed euertitur hoc effugium ex recta obſeruatione progreſſus Ariſtotelis in eodem ſecundo libro de Anima, in quo poſtquam in primo tex. aſſignandam propoſuiſſet rationem communiſſimam animæ, mox in ſecundo tex. attulit diuiſionem ſubſtantiæ, quæ eſt genus ſubſtantiæ in materiam, formam, & compoſitum, inquiens materiam eſſe potentiam, & formam eſſe actum perficientem materiæ, & conſtituentem hoc aliquid, ſubinde in textu 4. aſſignaturus definitionem inquit, animam non eſſe corpus, vel materiam, ſed formam corporis phyſici: vnde euidens eſt quod intellexerit de ſuperconſiderato actu, qui ſcilicet refertur ad materiam, quæ eſt potentia, vt perficiens ad ſuum perfectibile: quod magis conſpicuum reddidit in textu 7. aſſerens non eſſe quærendum ſi ex anima & corpore fiat vnum per ſe, quemadmodum nec id quærere liceret de cæra, & figura: vel de cuiuſque rei materia, & eo cuius eſt materia, ſcilicet actu formali; ex actu etenim, & potentia non niſi vnica natura in actu formali conficitur: Et idem repetitur in ſequenti 8. contextu cum dicitur animam eſſe quod quid eſt corporis: quod non videtur verificari de forma aſſiſtente, ſed de informante, de qua ſcriptum eſt in ſecundo Phyſicorum 28. ipſam eſſe quod quid eſt rei: habeturq; ibidem comparatio corporis animati ad ſecurim, adeovt ſe habeat anima ad corpus, ſicut ad ſecurim figura, quæ quidem non aſſiſtens eſt; ſed dans eſſe, & informans ipſam ſecurim. Quod adhuc confirmatur in ſequentibus textibus 9. & 10. vbi explicatur quomodo ſe habeat anima ad corpus per exemplum potentiæ viſiuæ ad oculum; cui quidem euidens eſt ipſam viſiuam facultatem non aſſiſtere tantum; ſed informanter inhęrere.

Confirmatur idipſum ex eo quod ipſam animam Ariſtoteles frequenter explicat nomine entelechiæ, quod eſt nomen quodam reſpectiuum ſignificans actum perficientem, & informantem corpus: quod ſi ſignificare tantum voluiſſet operationem, & principium vt agens, vti potius debuiſſet voce energiæ, quæ continuam operationem ſignificat.

Obiectio. Sed dicet forſan aliquis, quod ſi neceſſarium eſſet definitionem animæ de quacunque parte definiti verificari, ſequeretur quod etiam intellectus eſſe debere organicus. Cui reſpondebitur id eſſe aliqualiter verum etiam de intellectu; qui ſiquidem eſt actus talis corporis cui inſunt organa, quodve in officio etiam ipſi intellectui inſeruienti (nempe conſtruendi phantaſmata) ipſis organis vtitur. Præterquam quod de tali definitione conceſſo (quod & ipſi fatentur) eam eſſe analogam; vt tamen ſaluetur quod ſe habeat ad omnes animas ſecundum anologiam vniuocam (cuius oppoſitum nefas eſſet aſſerere) oportet vt in aliqua ex conditionibus expreſſis conueniat cuilibet animæ: quod cum non proprie ſit de poſteriori, ſcilicet de vſu organi; neceſſarium eſt vt ſaltem ſecundum priorem conditionem, nempe ſecundum informationem, & per rationem veræ entelechiæ, vnicuiq; animæ aptetur.

Ratio 7. Eademq; veritas confirmari videtur in ſecundo de Generatione Animal. cap. 3. vbi legitur: in conceptu procedente tempore animam ſenſualem, qua fit animal, atque rationalem, qua fit homo *recipi* quod ſi in homine recipitur intellectus: certum eſt quod ei inhęreat.

Ratio 8. Sed firmius id ſtatutum videtur in duodecimo Metaphyſicorum 17. vbi Philoſophus loquens de formis non valentibus præcedere vel ſubſequi ſuam materiam (quæ proculdubio ſunt formæ inhærentes) inquit quod de aliqua ipſarum ſcilicet de intellectu, hoc non eſt impoſſibile: vnde cum conſiderauerit intellectum vt aliquam ex huiuſmodi formis; certum eſt quod ipſum conſimilem reputauerit.

Ac de-

Digitized by Google

Ac demum ſi Ariſtoteles poſuiſſet intellectum noſtrum intelligentiam abſtra-*Ratio 9.* ctam; tunc poſtquam de ipſo exacte in tertio de Anima diſſeruit, non dubitaſſet aliquam ſubſtantiam abſtractam reperiri, vt facere videtur in ſeptimo Metaphyſicorum 6. agendum proponens in ſubſequentibus an præter ſubſtantias ſenſibiles aliqua abſtracta reperiatur, vel non: vt etiam facit in libro duodecimo tex. 29. quinnimo deinde in tex. 43. determinauit non alias eſſe ſubſtantias abſtractas, niſi quę cœleſtia corpora mouent: vnde cum ex illis intelligentijs intellectus noſter non poſſit eſſe omnium prima, vt in præcedenti capite oſtenſum fuit; nec vlla ex cæteris, quæ ſingulæ vt cauſę particulares ſingulis ſphæris mouendis addictæ ſunt; nec valent ad effectus vniuerſales: Ideo intellectus non eſt ſubſtantia aliqua abſtracta, ſed eſt homini eſſentialis.

Nec tuta eſt euaſio dicentium quod Ariſtoteles illo ſermone de Intelligentijs am-*Euaſio.* plexus eſt etiam humanam intelligentiam, quæ eſt cum illis eiuſdem generis, & ra-*Impugnatio.* tionis: Alienam enim ab hac gloſa ſuam indicauit mentem Philoſophus, cum ibi nullam de tali intelligentia mentionem fecerit: ſed quinnimo expreſſe locutus ſit de intelligentijs cælorum motricibus: Quas quidem cum inueniat ex motu perpetuo, cum quo nullam habet connexionem talis intelligentia; eam propterea prorſus ignorauit, & ſtatuit tot eſſe intelligentias, quot ſunt ſphærę cæleſtes, & non amplius.

Nec tute effugiunt dicentes ex numero ſphærarum intelligentijs correſponden-*Euaſio.* tium eſſe ſphæram humanam. Renuit enim hoc littera contextus ſubſequentis; in *Impugnatio.* qua ſtatuta hac æquatione in numero Intelligentiarum, & Orbium Cæleſtium, ſubiungit ſtatim, quot ſint ipſi orbes: ex Mathematicis, qui Aſtrologiæ incumbunt eſſe quærendum: apud eos autem ſphæra hec humana nunquam locum habuit.

Nec talem vim habent rationes aduerſæ quin facile diluantur: Cum enim primo *Argument. 1* arguitur quoniam quod eſt impaſſibile, immixtum, & ſeparatum non poteſt eſſe forma in materia; talis enim forma ſimul cum corpore patitur; mixta eſt cum qualitatibus ſenſibilibus, nec aliter quam ratione eſt a materia ſeparata: Sed talis eſt intellectus ſecundum Ariſtotelem in tertio de Anima; ergo non eſt actus informans materiam. Reſpondetur quod cum intellectus ab Ariſtotele dicitur impaſſibilis, *Solutio.* non intelligitur impaſſibilitas abſolute, ſiquidem in 2. textu eiuſdem tertij libri habetur: intelligere eſſe pati quodam, vel aliud huiuſmodi; ſed excluditur ab illo paſſibilitas corruptiua, per quam ſcilicet diſponitur res ad interritum; & tantum admititur paſſio perfectiua, qualis eſt intellectio, in qua per appræhenſionem vehementis obiecti ipſe intellectus non læditur, ſeu corruptione non patitur. Dicitur immixtus quia per ſe non conſtat ex aliquo ente materiali: ac inſuper quia non eſt mixtus alicui organo corporeo, quo ſcilicet in intelligendo vtatur: quę eadem immixtio ab organo ſignificatur cum dicitur: eum eſſe ſeparatum.

Et cum additur quod informans materiam quantam neceſſario ad illius exten-*Argumen. 2.* ſionem extenditur, quoniam ſubijcitur figuræ tanquam ſubiectum, non quidem materia ſimplex, ſed inſimul cum actu eam informante, & vna ſecum ad compoſiti conſtitutionem conſpirante: Quare intellectus informans materiam inſimul cum eam figuram quantitatis ſubiret, ac proinde ad corporis extenſionem extenderetur: vnde aliud incõueniens ſequeretur, quod ſcilicet eſſet (ſaltem per accidens) diuiſibilis. Reſpondetur extenſionem, ac diuiſibilitatem conſequi quidem neceſſario for-*Solutio.* mas illas informantes, quæ ex materia tanquam parte ſubſtantiali conditæ ſint, ſeu ex illius poteſtate ſint eductæ, & dent eſſe corporeum: At intellectus vnitur corpori iam exiſtenti quanto per formam elementarem; cui dat eſſe intellectuale: non autem corporeum: non educitur ex potentia materiæ, nec ipſis materialibus organis in eius actionibus vtitur: qua propter non extenditur, vel eſt diuiſibilis; vt propterea dixerit Ariſtoteles in primo de Anima contextu 92. nec fingere nobis licere quam partem corporis occupet intellectus.

Inſtantia. Et ſi exinde arguatur quoniam ſi nullam partem corporis occupat, non videtur
Solutio. eum eſſe formam corpori inhærrentem. Reſpondebitur Ariſtotelem ibi ſignificare velle occupationem corporis tanquam organi: non autem negare illius occupationem quatenus informans, & dans eſſe.

Argumen. 3. Quod ſi pariter inſtetur quoniam ſi intellectus eſt forma informans hominem; igitur in quacunque parte humani corporis reperitur tota ſecundum ſubſtantiam, ac conſequenter ſecundum ſuas facultates; vt ideo poſſit quæcunq; pars talis corporis,
Solutio. etiam ſcilicet manus, & pes, intelligere. Reſpondebitur quod quia anima intellectiua donec coniuncta eſt corpori deſtinata eſt ad intelligendum per inſtrumentum phantaſmatum; proinde ibi proxime ſuam habet actionem; vbi præſto ſint ipſa phantaſmata, quæ cum ſint in capite, ibi propterea primariam actionem intellectus auocant; quamuis tamen intellectus vbique, & abſque preſcriptione in corpore exiſtens, vbique etiam eandem habeat intelligendi operationem, quamuis non proxime, quod proculdubio fieret etiam in manu, pede, & vbique, dum præſens ibi eſſet inſtrumentum phantaſmatum.

Argumen. 4. Arguitur etiam quoniam ex ſecundo Phyſicorum 70. forma eſt idem quod finis generationis: Sed intellectus non eſt finis generationis; nam finis generationis eſt natura; & intellectus ex primo de Partibus Animal. cap. 1. non eſt natura: Quare
Solutio. intellectus non eſt forma informans. Cui reſpondetur quod ſi intellectus conſideretur per ſe, & ſecundum ſuum, eſſe abſolutum, a corporeq; ſeparatum; ſic non eſt natura: ſi vero conſideretur vt eſt forma corporis & dans illi eſſe hominis; ſic eſt vtique natura, & finis generationis quamuis non eductus ex poteſtate materiæ.

Inſtantia. Et ſi quis dicat eam formam conſtituere compoſitum naturale, ad quam materia eſt in potentia: & materia cum ſit natura non eſt in potentia niſi ad illas formas, quæ per tranſmutationem naturalem ex ea educuntur: non autem ad illas, quæ deforis
Solutio. veniunt; qualis eſt intellectus ex ſecundo de Generatione Animal. cap. 3. Reſpondebitur negando minorem; nam materia cum ſit apta perfici, & informari ab anima rationali, ideo eſt in potentia ad illam (vndecunque ipſa adueniat) recipiendam: quam quidem omnino ipſum corpus non recipit ſine tranſmutatione in ipſo corpore præcedente, & excitante illius introductionem.

Argumen. 5. Et ſi pariter vt ſuperius inſtetur quoniam forma non attinens ad Phyſicum non videtur informare corpus phyſicum, & talis eſt intellectus ex Ariſtotele in primo
Solutio. de Partibus Animalium cap. 1. Conſimiliter reſpondebitur quod ſecundum Ariſtotelem in illo loco, intellectus non eſt phyſicæ conſiderationis per ſe, & ſecundum illius eſſe abſolutum; ſecundum quam rationem pertinet ad Metaphyſicum; ſed ſi conſideretur vt eſt forma corporis, ſic vtique ad phyſicum ſpectat. Adde quod non eſt phyſicæ conſiderationis vt ſubiectum; cuiuſmodi non ſunt niſi corpora mobilia; eſt tamen phyſicæ conſiderationis tanquam phyſici obiecti principium, eo modo quo in eadem ſcientiam de Deo, de caſu, & fortuna, de materia prima, & alijs per ſe incorporeis, quatenus de principijs ſubiecti, diſſeritur.

Argumen. 6. Quinetiam arguitur quoniam omnis forma, quæ materiam perficit videtur ita egere materia, vt ſine illa conſiſtere nequeat: Sed anima rationalis etiam ſine materia valet exiſtere; ſiquidem, ex ſuperius ſtatutis, eſt a corpore ſeparabilis: igitur
Solutio. non videtur poſſe materiam informare. Cui reſpondemus negando maiorem propoſitionem; intellectiua namque anima in ſui conſtitutione duplicem ſortitur conditionem, & facultatem; alteram ſcilicet coniungibilitatis cum corpore, cui primo inducitur: alteram vero ſubſiſtendi per ſe, dum fuerit ab illo auulſa; quarum vna intra ipſam eſſentiam animæ alteri non repugnat.

Argumētū. 7. Et cum arguitur quoniam vnumquodque ita ſe habet ad eſſe, vt ſe habet ad operari: & intellectus quoad operari eſt ſeparatus a corpore; ſine quo ſiquidem in-
Solutio. telligit, ſcilicet abſque vſu organi. Quare &c. Reſpondetur quod vere intellectus quatenus eſt operatur, etenim dum eſt corpori coniunctus, tunc quamuis abſque organo, tamen non ſine phantaſmatibus, & auxilio corporis intelligit;

quod

quod dum fuerit a corpore abiunctus, tunc abſque corporeo famulatu intelligere valebit.

Cum etiam arguitur quoniam forma immaterialis non videtur apta dare eſſe materiale; quia inter formam, & formatum debet eſſe proportio, vt ſint eiuſdem conditionis: Sed intellectus eſt immaterialis; ſi enim ſecus eſſet, tunc non eſſet aptus ad recipiendas omnes formas materiales; quando recipiens debeat eſſe denudatum a natura recepti; nec valeret per conuerſſionem in ſeipſum ſuimet ſpeciem recipere, quæ tamen optime facit. Reſpondetur formam immaterialem non poſſe quidem dare eſſe corporeum, & extenſſum; vt formæ elementares, pariter, & vegetatiua, ac ſenſitiua, quæ in ſuis actionibus organo vtuntur: poſſe tamen dare eſſe inextenſſum, & vitam intellectualem: nec vllo modo inconuenit, vel extra proportionem eſt, quod forma, quæ eſt actus correſpondens potentiæ exiſtenti in corpore, ipſum corpus informet. *Argumētū.* 8 *Solutio.*

Et ſi inſtetur quoniam quod non eſt aptum communicare materiæ ſuam facultatem, & actionem, nec aptum videtur ad ei communicandum ſuum eſſe: non enim videntur eſſe magis ſimplices, & abſtractæ facultas, & actio, quam eſſentia ex qua pendent: Vnde cum intellectus nequeat communicare materiæ intellectionem, quæ eſt propria eius operatio; videtur vt nec poſſit ei communicare ſuum eſſe ſubſtantiale. Reſpondebitur negando maiorem propoſitionem: nec ratio eſt quia eſſe animæ ſubſtantiale ſit minus ſimplex, vel materialius; ſed quia facultates, & operationes nequent inhærrere materiæ, niſi illius organa informent: animæ vero ſubſtantia per intimam ſui inſinuationem abſque vſu organorum poteſt ſe corpori communicare ipſum animando, & in eſſe intellectuale conſtituendo. Adde quod videtur etiam intellectus corpori ſuam actionem communicare (etſi non per organum) ſaltem per obiectum, quatenus intelligendo dependet ex ſpeciebus, quas ſenſus ſuggerit ex medio phantaſmatum, quæ neceſſario intelligens intuetur: vt propterea dixerit aperte Philoſophus in primo de Anima 64. non intelligere animam ſed hominem, cuius eſt anima. *Inſtantia.* *Solutio.*

Et cum arguitur adhuc quoniam cum inter obiectum & facultatem cognoſcitiuam debeat eſſe proportio: ideo vniuerſalia, quæ intelliguntur per abſtractionem a materia, adæquata ſunt tantum facultati a materia abiunctæ; vnde cum intellectus percipiat vniuerſalia; ſignum eſt eum eſſe a materia ſeparatum. Reſpondetur quod intelligere vniuerſalia competit, non quidem formæ penitus a materia ſeparatæ ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum facultatem tantum; quæ quidem corporeo organo non vtatur; in quo ſenſu tantum verificatur intellectum eſſe ſeparatum, & immaterialem: non autem quia non ſit forma dans eſſe corpori materiali: Et ita ſaluatur optime proportio; cum vniuerſalia abſtracta a ſingularibus, & materialibus, non re, ſed tantum ratione, cognoſcantur ab intellectu non ſecundum rem, ſed tantum ratione, ſeu actione a corpore abſtracto. *Argumēt.* 9. *Solutio.*

Nec officit littera 82. contextu primi de Anima, vbi inquit Philoſophus intellectum eſſe quid antiquiſſimum, & ſecundum eius naturam diuinum, ſeu dominum: quod non videretur eſſe ſi tanquam forma materiali corpori inhærreret. Reſpondetur enim loqui ibi Philoſophum ad mentem Empedoclis ita opinantis; aduerſus quem aſſerentem, animam conſtare ex elementis diſputans Ariſtoteles ratione ad hominem (vt ſcilicet eum ſuis principijs deuincat) inquit quod cum intellectus ſecundum ipſum Empedoclem ſit quodam antiquiſſimum, & diuinum; ideo ſi eſſet conflatus ex elementis, non videtur a quo illa elementa eum componentia poſſent inuicem connecti, ac contineri; ſiquidem talis vnio fieri deberet ab aliquo nobiliori; & intellectus, qui ſecundum Empedoclem eſt de natura diuina, non habet ſe nobilius, quod huic officio ſit aptum: Quod euidens eſt; nam Ariſtoteles ex propria mente loquens de ipſo intellectu, ac de omnibus formis in duodecimo Metaphyſ. 16. inquit, non poſſe ſuam materiam precedere: quod ſequeretur dum omnino verificaretur, eum antiquiſſimum eſſe. *Argumē.* 10. *Solutio.*

Digitized by Google

Argumẽ. 11. Nec etiam obſtat littera contextus 11. libri ſecundi de Anima, vbi de ipſa rationali proculdubio loquens, ait aliquam eſſe partem animæ, quæ nullius corporis eſt
Solutio. actus. Reſpondetur enim iuxta ſupradicta non ibi negare Philoſophum intellectum eſſe actum corporis abſolute, etiam ſcilicet quoad informationem: ſed tantum negare voluiſſe eum eſſe actum corporeo organo vtentem.

Quaritur an Intellectus ſit vnus numero in omnibus Hominibus. Cap. VI.

QVoniam altera ex valde erroneis aſſertionibus, quæ de anima rationali circunferantur, cuiue innitantur ij, qui ſtatum eius a corpore ſeparatæ inficiantur, eſt quod intellectus non multiplex; ſed vnicus ſingulis hominibus, tum præſentis, tum præteriti, ac futuri ſeculi ſit; eius di-
Themiſtius. ſcuſſio haud prætermitenda eſt: Hec fuerat opinio Themiſtij, vt patet apud eum in ſecundo de Anima cap. 27. & ſequentibus vſque ad 32. quam ar-
Auerroes. ctius recepit Auerroes in tertio de Anima comment. 5. & in Deſtructionibus de-
Zimara. ſtruct. contra Algazelem: eumq; inſecuti ſunt Zimara, Iandunus, Thomas Angli-
Iandunus. cus, Vicomercatus, Piccolomineus, nec non & Cardinalis *Beſſario*, *vt patet in ter-*
Anglicus. tio eius libro aduerſus Calumniatorem Platonis cap. 21. ſingulisq; qui ipſam ani-
Vicomercat. mam rationalem hominis non informantem; ſed aſſiſtentem tantum exiſtimarunt:
Piccolom. Exceptis Mirandulano in 32. libro de Euerſione ſingularis certaminis ſect. 1. ac li-
Mirandulanus. bro 33. ſect. 2. & 6. & Achillino in libro de Intelligentijs quodlibeto tertio dubio 2. & 4. qui eam quamuis vnicam, informantem tamen poſuerunt: contra quos etiam
Achillinus. ſingulariter erit inferius diſputandum; ſed primo adducentur fundamenta Auerroiſtarum: quorum primum eſt quod habent ex ipſo Auerroe in diſputat. 1. cap. 8.
Argumẽtũ. 1 quod ſcilicet multitudo indiuiduorum non niſi per materiam contingit ex duodecimo Metaphyſicorum 49. vbi habetur quod ſi primus motor eſſet numero multiplex, ſequeretur eum habere materiam: & ante in quinto lib. eiuſdem operis contextu 12. dictum fuerat, id eſſe vnum numero, cuius materia eſt vna numero: Sed intellectus non habet materiam ex tertio de Anima contex. 5. ergo non poteſt eſſe numero multiplex.

Argumen. 2. Secundum argumentum habetur ibidem, & eſt, quod admiſſa multiplicatione intellectuum iuxta numerum hominum, inde (ſuppoſita mundi æternitate ſecundum Ariſtotelem, ac ipſorum intellectuum immortalitate) ſequeretur infinitos intellectus actu reperiri, contra id quod determinatum eſt in tertio Phiſicorum.

Argumen. 3. Argui etiam ſolet quoniam niſi intellectus eſſet omnium vnus, ſequeretur non poſſe præceptorem inducere ſcientiam in mentem diſcipuli; ſcientia enim non eſt qualitas phyſica, cuius eſt alteram ſimilem ſpecie in alio producere, vt calor ignis alium in ligno procreat calorem; ſed eſt eadem ſcientia, quę ex magiſtro ad audientem per eundem eis communem intellectum transfunditur.

Argumen. 4. Præterea ſi plures eſſent mentes humanæ, ſequeretur vnam ipſarum non eſſe eiuſdem ſpeciei cum altera; quoniam vel illa redderetur indiuidua per corpus, vel per ſeipſam: non primum; quia ſubſiſtit ante corpus: non ſecundum quoniam in eadem ſpecie non ſunt differentiæ ſubſtantiales; ſed tantum accidentales: Quare &c.

Argumen. 5. Addit Piccolomineus in libro 2. de Mente humana cap. 20. ex Ariſtotele in ſecundo de Anima 35. finem multitudinis indiuiduorum ſub eadem ſpecie eſſe, vt quæ numero non ſunt æterna, per ſucceſſionem reddantur æterna in ſpecie, vnde cum ipſa mens humana ſit æterna, non erat naturæ conſentanea illius multiplicatio.

Argumen. 6. Quod itidem deducere nititur ex eo quod nullibi Philoſophus ſtatum mentis ſeorſum a corpore indicauit.

Argumen. 7. Et demum arguitur quoniam in tertio de Anima contex. 18. comparat Philoſo-

phus

phus intellectum lumini, quatenus ſcilicet phantaſmata ſuo ſplendore colluſtrat: vnde quemadmodum ad illuſtranda omnia viſibilia ſufficit vna lux ſolis, ſui ad illuſtranda omnia intelligibilia ſatis eſt vnica lux communis mentis, cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate.

Talem vero poſitionem vt rationis, & Ariſtotelis doctrinæ alienam, vniuerſi ferè expoſitores impugnant, ex quorum potioribus fundamentis, alterum eſt, quod ipſemet Auerroes innuit inquiens multiplicitatem actuum ſecundorum indicare multitudinem actuum primorum: Intellectioneſq; quæ ſunt actus ſecundi hominum multiplicari ſecundum multitudinem hominum; nam quod intelligit Socrates non percipit Plato; quodve vnus ſcit paſſim alter ignorat. *Euerſio.* *Ratio 1.*

Nituntur Auerroes, & illius ſectatores vim rationis infringere negantes ad multiplicationem operationum ſequi multitudinem formarum, aſſerenteſq; eiuſdem intellectus multiplicari intellectiones ex multitudine phantaſmatum, ſine quibus non ſit intellectio. *Euaſio.*

Sed fortiter hoc impugnat Diuus Thomas in prima parte ſum. quæſt. 66. artic. 3. & in Opuſculo 16. Pantaſma enim in intellectione non habet officium formæ, ſed tantum obiecti mouentis; rationem enim formę tenet ſpecies intelligibilis, quæ tanquam in ſubiecto recipitur in ipſo intellectu, non enim recipiuntur ipſæ ſpecies intelligibiles a corpore, vel a ſenſu: ideo quemadmodum ſi omnium hominum vnicus eſſet oculus, neceſſarium eſſet vt eo inſpiciente aliquem colorem, eundem colorem omnes homines inſpicerent: pariter & ſi vnicus eſſet omnium intellectus, neceſſarium eſſet vt dum in vno homine per impreſſionem ſpeciei intelligibilis ſit alicuius rei intellectio, ſinguli homines eandem intellectionem haberent. *Impugnatio.*

Vnde nec licet dicere: diſtinctas intellectiones procedere non ex pluralitate intellectuum, ſed ex varietate hominum, in quibus ſiunt. Dictum eſt enim quod non ſenſus, aut corpus, ſed intellectus abſque vllo organo corporeo eſt ſubiectum illud, in quo ſpecies intelligibiles proxime, & immediate imprimuntur: vnde ſi ipſe intellectus idem eſſet in omnibus; cui dubium erit quod facta in vno homine intellectione, eadem in omnibus, quibus idem ineſſet intellectus, haberetur? Vanum eſt etiam cum dicunt, diſtinctas intellectiones, vt quid poſterius, non arguere diſtinctionem intellectus, qui eſt eis prior: Diſtinctæ namque intellectiones, quę ſint de diuerſis intelligibilibus, vel in diuerſis temporibus poſſunt vtique cadere in eodem numero intellectu: at eiuſdem rei, eodemq; tempore, diſtinctæ & repugnantes intellectiones, quales ſunt opiniones contrarię in eodem intellectu, nunquam erunt poſſibiles; cum nequeant oppoſita ſimul in eodem reperiri. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Reſpondent quidam quod intellectus immediate intuetur phantaſmata: nec dari aliam ſpeciem in intellectu præter actum intellectionis: ac ideo ex ipſis phantaſmatibus præcedere diſtinctionem intellectionum. Quæ reſponſio coincidit cum ſuperiori aſſerente, omnem diſtinctionem prouenire ex phantaſmatibus: quæ propterea eandem ſibi impugnationem euocat. Præterquam quod ſi in intellectione iuxta doctrinam Ariſtotelis intellectus ſit id, quod intelligitur; ideo ſi eſt eadem ſimpliciſſima, ac indiuiſibilis ſubſtantia in omnibus: quomodo quod ſit in vno, non fieret in omnibus; vt omnes idem intelligerent? Sed quod intellectus præter phantaſmata, & actum intellectionis habeat etiam ſpecies ſibi impræſſas & qualeſnam ſint late a nobis in proprio ſermone deſſeretur. *Euaſio.* *Impugnatio.*

Alijdicunt imprimi in diuerſorum hominum intellectu ſpeciem, non eandem numero, ſed tantum ſpecie; ac proinde diſtinctas ab eis fieri intellectiones. Sed & hec vanitas eſt; nam ſi intellectus meus eſt idem qui eſt in Franciſco; igitur eadem ſpecies numero (exempli gratia) ſolis, quæ in me concipitur, concipietur etiam ab intellectu eodem, ſimpliciſſimo, ac indiuiſibili exiſtente in Franciſco: nec aliquid apparet, quod ſpeciem illam poſſit quoad numerum variare: Præterquam quod hoc etiam conceſſo, ſequeretur ineuitabiliter quod dum ergo incumbo exempli gratia Philoſophiæ, omnes homines tunc eidem contemplationi, etſi *Euaſio.* *Impugnatio.*

V 3 non in

Digitized by Google

non in numero, ſaltem in ſpecie, operam darent, quod experientia falſum depręhenditur.

Euaſio. Nec licet Auerroiſtis dicere: intellectiones eſſe diuerſas ob diuerſitatem cogitatiuæ. *Impugnatio.* Nam niſi admittatur quod Cogitatiua, quæ eſt facultas ſenſitiua, patiatur ab intelligibili, ipſumq; recipiat, & intelligat; quod falſum eſt, cum intellectus ſit ſubiectum illud, quod in intellectione patitur, & eſt locus ſpecierum; nullo modo id concedendum videtur.

Confirmatio. Quod non leuiter roborat ratio prætacta, quod ſcilicet ex vnitate intellectus ſequeretur quod in eodem ſimul contrariæ eſſent opiniones, quæ in diuerſis hominibus inueniuntur; alij enim crediderunt intellectum vnicum, quem alij putarunt multiplicem; aliquiue ipſum eiuſdem eſſentiæ; & alij diſtinctum a vegetatiua, & ſenſitiua anima reputarunt.

Euaſio. Nec valet reſponſio Achillini in Quodlibeto 3. dubio 2. quod ſcilicet nequent in eodem ſubiecto recipi duo contraria in eſſe reali; ſed id non inconuenire in eſſe cognito; cum communis ſit regula quod contrariorum eadem eſt ſcientia. *Impugnatio.* Vanum quidem effugium; certum ſiquidem eſt, non poſſe duo contraria ſimul eſſe in eodem ſubiecto: quod quamuis duæ res contrariæ vt calor & frigus, ſimul ab intellectu cognoſcantur; quia ſcilicet illorum ſpecies ſpirituales, quatenus ipſorum repræſentatiuæ non ſunt contrariæ: duæ tamen opiniones, quæ in animo non habent eſſe tantum repræſentatiuum; ſed ſunt illius qualitates reales, vere ſunt contrariæ, ac ideo incompoſſibiles in eodem intellectu.

Ratio 3. Quare ne id inconueniens neceſſario ſequatur, quod ſcilicet contrariæ opiniones ſint in eodem; abijcienda eſt talis poſitio de vnitate intellectus: Quam inſuper ſequeretur quod idem intellectus rem eandem ſciret, & ignoraret; quodue idem intellectus ſimul de eadem re plures, ac diſtinctas haberet operationes: Quinetiam ſequeretur quod eadem voluntas ſimul idipſum vellet & nollet, amaret, & odio haberet: quodue ab eadem mente, & voluntate eodem tempore virtutes, ac vitia prodirent, vt eadem ſe ſimul præmijs, ac ſuplicijs dignam redderet.

Reijcitur opinio Achillini, & Mirandulani. His accedit & ratio, quæ potiſſimum vrget prædictam ſententiam Achillini, & Antonij Bernardi Mirandulani putantium intellectum omnium vnicum, quamuis informantem: ex qua poſitione, ſicut & ex præcedenti, efficaciter infertur, quod homines cuncti eſſent idem numero, & ſingulariter: vniuſq; particularis hominis eſſe, cum eſſe alterius hominis eſſet idem, quod abſurdiſſimum eſt.

Euaſio. Reſpondet Achillinus in præcitato loco quod intellectus vt ſubſtantia quędam vniuerſalis debet eſſe vniuerſalis, & vnus omnibus hominibus, qui tamen recipiunt diſtinctionem numeralem ex diſtinctione cogitatiuarum, quæ iuxta pluralitatem materialium corporeum multiplicantur.

Impugnatio. Sed contra inſtatur quoniam indiuidui humani, ſicut & cuiuſque ſubſtantię ſingularitas, vel pendet a forma, vel a materia, vel ab accidentibus: ſi primum, igitur forma conſtituens vnum numero erit ſingularis: ſi a materia, vel ab accidentibus, tunc ipſa forma erit ab eis ſingularizata, ac proinde ab alia forma diſtincta; cum enim ex ſecundo Phyſicorum 26. forma & materia inuicem referantur, vt alterius formæ altera ſit materia: & ex ſecundo de Anima 24. Actus quislibet eſt in propria materia, & non in multis; & vno variato variatur & alterum, cum ſint relatiua: propterea neceſſario aut forma indiuiduat materiam, cui inhærret, aut ab ipſa indiuiduatur, adeo vt neceſſario talis forma materiam informans ſit multiplicata. Ac vltimo quoniam proprium eſt vltimæ formæ reſtringere, & determinare alias formas, quam è contra: vt propterea rationabile ſit, vt potius anima rationalis coarctet cum cæteris naturis etiam cogitatiuam, quam quod ab alio fiat talis determinatio; formæ ſiquidem vltimę magis comperit nomen actus, cuius eſt rei vnitatem, & diſtinctionem præſcribere, vt habetur in ſecundo de Anima tex. 7. ac in ſeptimo Metaphyſicorum 49. reliquæ vero formæ eiuſdem ſuppoſiti ad ipſam vltimam, tanquam materia, potentia, & natura determinabilis, referuntur.

Inſuper

Digitized by Google

Inſuper aduerſus eandem reſponſionem inſtabitur quoniam cogitatiua illa, quam inquit Achillinus afferre diſtinctionem numeralem, vel conſtituit indiuiduum humanum in ſua ſpecie, vel non: ſi non ergo eſt accidens quodam, a quo proinde indiuiduus homo non recipit aliud eſſe, ac differentiam, quam accidentalem: ſi ſic, ergo intellectus erit ſuperfluus, vel ſaltem non informabit hominem; quod enim aduenit exiſtenti in actu perfecto per formam ſpecificam eſt accidens: Vnde talis eſſet anima intellectiua, quæ adueniret homini exiſtenti in ſua ſpecie completa per cogitatiuam.

Nec dicatur hominem habentem, ex cogitatiua eſſe numeraliter diſtinctum, non habere tamen eſſe perfectum; ſed id recipere ex ſuperaduentu animæ intellectiuæ. *Euaſio.* Obijcietur enim, quod per cogitatiuam homo vel conſtituitur in eſſe hominis, vel beluæ: ſi primum ergo non eſt capax maioris perfectionis eſſentialis; quia perfectio eſſentialis ſe habet vt numerus indiuiſibilis non aptus ſuſcipere magis vel minus ex octauo Metaphyſicorum 10. quare anima rationalis ei ſuperaduenienſ, nullam perfectionem eſſentialem addet: ſi vero dicatur ſecundum: tunc illud indiuiduum ab vtraque forma, informante, ac ſpecifica recipiens eſſe, erit ſimul animal brutum, & homo. *Impugnatio.*

Cui eidem veritati atteſtari viſus eſt Ariſtoteles in ſeptimo Metaphyſicorum 15. inquiens: impoſſibile eſſe vt idem numero ſit ratio, & ſubſtantia multorum ſingularium. *Ratio 2.*

Quod inſuper ratione confirmatur quoniam ſi materia, cuius magis eſt appetere, non poteſt ſimul in aliqua ſui portione recipere diuerſas formas eiuſdem ſpeciei: longe minus eadem forma valebit ineſſe varijs materijs, ſeu corporibus eiuſdem ſpeciei, qualia ſunt humana. Cui additur quod cum materia capax ſit totius formæ; propterea dum ita informaretur ab aliqua forma, vt illa alijs etiam corporibus daret eſſe: ſequeretur talem materiam nunquam eſſe plene informatam, ſed tantum ſemiformatam, & imperfecte. *Ratio 3.*

Soluendo autem fundamenta aduerſariorum in principio capitis adducta: quoad primum prænotandum eſt quod multipliciter dicitur aliquod habere materiam: vel ſcilicet quia habeat materiam partem ſui, vt ſe habet de compoſitis elementaribus, vel quia ſit forma in materia extenſa, nec potens agere ſine organo materiali, quales ſunt omnes formæ, & animæ præter intellectiuam: vel quatenus ſit forma informans ſubiectum materiale qualis eſt intellectus; vel quatenus habeat materiam, non quidem partis hucuſque conſideratam; ſed totius, quæ ſcilicet tanquam quiditas, & ratio denominans ad ſemetipſam tanquam ad ſuam materiam, referatur: qualis materia reperitur etiam in rebus Metaphyſicis. Propterea dicendum eſt animam rationalem non habere quidem materiam primo vel ſecundo modo, ſed eam habere tertio, ac quarto modo, vt proinde multiplicari poſſit numero ſub eadem ſpecie: vnde patet quomodo intelligenda ſit aſſertio illa quinti Metaphyſ. tex. 12. quod ſcilicet vnum numero ſit, cuius materia eſt vna numero: Et pariter in contextu 9. libri duodecimi ita locutus eſt Ariſtoteles excludendo a primo motore qualencunque materiam, ſiue ſcilicet partis, ſiue totius; quia nempe in eo vt ſimpliciſſimo ente idem eſt quiditas cum habente quiditatem: habetq; vnitatem a ſeipſo abſque cuiuſuis materię (ſeu partis, ſeu totius) adminiculo. *Sol. 1. argum.*

Ad aliud (vt etiam in ſequenti capite conſiderandum erit) reſpondetur: non repugnare Ariſtoteli infinitum numerum rerum ſpiritualium, quales ſunt animæ rationales, ſed corporearum tantum; quibus ſiquidem repugnat finita moles materię, atque finitus locus, in quo recipi debent. *Solutio 2.*

Nec inſtes, quia ſequeretur, vt inquit Auerroes diſput. 1. capite 8. quod infinitum poſſet recipere argumentum: quodve totum eſſet æquale parti. *Inſtantia.* Nam conceſſa æternitate mundi, idipſum concedendum eſſet de quantitate dierum, & horarum. *Dilutio.* Nec licet effugere dicendo quod dies, & horæ præteritæ non ſunt actu, vt animæ. E contra enim ipſe numerus per ſe eſt quid actu: vnde tales proportiones

in in-

in infinitum nunquam poſſent vitari. Dicitur autem quod vnumquodque infinitum cum alio quocunque quatenus infinitum non eſt magis aut minus; nec etiam æquale cum talis comparatio non competat niſi finitis: vnde ſolutum videtur argumentum.

Solutio 3. Ad tertium reſpondetur quod quamuis ſcientia non ſit qualitas phyſica egens actione materiali, non tamen inconuenit: eam agere actione ſpirituali, dum medio vocis ex docente defertur in diſcipulum eo modo quo etiam quantitas inducit ſuam ſpeciem in oculo, ac proinde in imaginatiua, & in intellectu. Sed & talis modus argumentandi, ſuoſmet auctores vrget; nam cum Pſitacus & Pica humana voce ab homine diſcant ſequeretur ſecundum illos quod talium animalium, & hominis eadem eſſet anima cognoſcitiua.

Solutio 4. Ad alterum reſpondetur animam indiuiduari per corpus, cui a principio ingeneratur: ante quod falſum eſt quod ſubſiſtat; ſiquidem ex duodecimo Metaphyſicæ 16. impoſſibile eſt aliquam formam ſuam materiam præcedere. Et additur etiam quod indiuiduatur quiſcunque intellectus ſingularis ex vltima ſui realitate, quæ eſt illi principium indiuiduationis, vt ſe habet de rebus a materia ſeparatis.

Solutio 5. Tollitur alterum argumentum ex recta obſeruatione *illius litteræ 35.* contextus ſecundi de Anima, in qua ait tantum Philoſophus, multiplicari *indiuidua* illarum ſpecierum, quæ non ſunt in aliquo ſingulari incorruptibiles: non inde tamen excludens multiplicationem ab immortalibus.

Solutio 6. Et vt pertinet ad ſextum nil mirum eſſe debet Philoſophus dum agere debet de corporibus, ac de eis, quæ corporibus annexa ſunt, non fecit mentionem de anima a corpore ſeparata, quam ſatis eſt ei conſiderare quatenus eſt vnita corpori Phyſico, cuius eſt actus primus, & principium operationis.

Solutio 7. Ad poſtremum neganda eſt conſequentia, quæ ellicitur ex illa comparatione; quam ſatis eſt in aliquo verificari, ſcilicet vt vtriuſque illorum ſit illuſtrare: at quamuis vnus Sol, qui eſt agens vniuerſale, & ſeparatum illuſtret omnia; non inde tamen ſequitur quod intellectus, qui eſt agens proprium, & inhærrens homini, omnia intelligibilia valeat illuſtrare. Præterquam quod etiam ſol non videtur adeo aptus omnia illuſtrare quin ignis, & alia quedam ad idem officium deſiderentur in abſentia ſolis, quemadmodum, & in hominibus, vbi non eſt intellectus, exempli gratia Socratis, requiruntur alij intellectus ad illorum phantaſmata illuſtranda.

Soluuntur argumenta in primo capite adducta. Cap. VII.

Solutio 1. argumenti. SVperſunt ſoluendæ rationes quibus in primo capite mortalitas animæ rationalis ſuadebatur: quarum ad primam, quę deducebatur ex littera 83. contextus primi Phyſicorum; reſpondetur quod ibi per formas generabiles & corruptibiles, non intellexit Philoſophus formas per ſe tales; quandoquidem nulla forma per ſe generari, aut corrumpi valeat: Sed ſignificare voluit formas rerum generabilium, & corruptibilium, qualis etiam eſt anima rationalis, quæ quidem in obitu compoſiti corrumpitur ſaltem quo ad tale eſſe relatum; quatenus ſcilicet eſt informans: Et addunt alij quod quamuis anima rationalis non ſit proprie corruptibilis, eſt tamen generabilis ſecundum latam ſignificationem generabilitatis, quoniam ſcilicet à principio eſt aliqualiter producta.

Solutio 2. Ad ſubſequentem reſpondemus quod ſi anima conſideretur quatenus eſt natura, ideſt quatenus eſt aliqualiter principium motus, & humanarum actionum; ſecundum talem rationem non eſt quidem a corpore ſeparabilis: at ſi conſideretur ſecundum eius eſſe abſolutum, ſecundum quod non eſt natura iuxta prædicta ex primo capite primi de Partibus Animal. ſic nil repugnat eam a corpore ſeparari. Vel dicas Ariſtotelem in citato illo loco ſecundi Phyſicorum locutum eſſe de formis, quæ reuera ſunt naturæ, quales ſunt formæ extenſæ, & vere principia motus: intel-

lectus

Digitized by Google

lectus autem eſt aliud genus animæ, quod cum non ſit natura, non inconuenit vt a corpore ſeparetur.

Pro ſolutione autem ſequentis optime ibidem dictum fuit in ſolutione ſecundo loco adducta quod ſcilicet Philoſophus in tertio Phyſicorum eo tantum deteſtatus eſt infinitum, quia finita in vniuerſo eſt materia, ex qua res confici poſſint: quiaue finitus eſt locus omnia compræhendens, quæ quidem rationes cum non vrgeant infinitum in rebus incorporeis, & ſpiritualibus, quales ſunt animæ humanæ; ſequitur vt tale infinitum Ariſtotelicæ doctrine non repugnet. *Solutio 3.*

Ad replicatam vero inſtantiam, ſi intelligit quod in omnibus infinitis neceſſaria ſit materia actualiter coexiſtens, hoc negatur: nec ex citata illa littera affirmatur, ſi illa recte percipiatur: dicimus tamen quod ad infinitas animas, quæ, ſi mundus eſſet (vt ſtatuit Ariſtoteles) æternus, reperirentur, materia eſſet cauſa, quatenus, vt dictum eſt in capite præcedenti, ipſa eſt cauſa multitudinis ipſarum animarũ, quæ ad numerum corporum producuntur & multiplicantur: Ac propterea nequeunt infiniti primi motores reperiri; quoniam ſcilicet ipſi non habent materiam, ſeu corpus aliquod, ad cuius multitudinem poſſent plurificari, vt de anima contingit; quoniam omne infinitum, & omnis multitudo procedit ex aliqua materia, quæ (vt ſuperius dicebatur) nec Phyſica, ſcilicet materia partis, nec ſecundum illam rationem, qua dicitur materia totius, in primo motore reperitur: Infinitum vero quatenus tale augeri, aut cum alio proportionari poſſe in æqualitate, aut inæqualitate: penitus eſt negandum. *Inſtantia.* *Solutio.*

Reſpondetur ad quartum quod abſque noſtræ concluſionis obſtaculo optime verificatur illud Ariſtotelis aſſertum, quod forma non eſt locus; quoniam locus eſt ſeparabilis a re locata ipſa ſcilicet re manente in eſſe, quod non contingit de forma, quę nequet a corpore ſeparari, dum ipſum corpus in eſſe permanet, vt ſe habet etiam de anima rationali: Cuius expoſitionis rationabilitas eo patet, quoniam eadem ratiocinatio concludit etiam de materia, vt de forma, quod non ſit locus: nec tamen materia eſt inſeparabilis a corpore alio modo, quam iuxta ſenſum allatum. *Solutio 4.*

Subſequens argumentum ſi aliquam vim haberet, vrgeret eos etiam, qui ipſum intellectum putant eſſe aliquam intelligentiam ſeparatam, quæ vna omnibus applicetur; nam pariter illa cum ad aliquem hominem naſcentem informandum accederet; vel dum ex ipſo moriente diſcederet, & ad alios homines remigraret, tunc loco moueretur: nec minus inferri poſſet eum eſſe diuiſibilem. *Solutio 5.*

Sed vt attinet ad inſtitutum noſtrum conſiderandum quod Ariſtoteles in citato illo loco ſexti Phyſicorum aſſeruit; indiuiſibile non poſſe moueri: intelligendo de indiuiſibili de genere quantitatis, vt de puncto habente poſitionem in continuo; & iure quidem; quoniam non habet partes, per quas poſſit exiſtere partim in termino a quo, & partim in termino ad quem, vt ſe habet de illis quæ proprie mouentur; alioquin non verificaretur definitio motus: quod ſcilicet ſit actus exiſtentis in potentia. Et hoc quidem verificatur etiam de indiuiſib[illegible] de genere ſubſtantiæ; qualis eſt quælibet forma per ſe, quæ quatenus ſine materia, non eſt mobilis per ſe, ſed tantum per accidens ad motum corporis, cui ineſt: Intellectus vero ſeparatus, qui eſt ens Metaphyſicorum, non vtique mouetur motu Phyſico, de quo in ſexto Phyſicorum Ariſtoteles diſſerebat; ſed motu Metaphyſico, in quo cum ipſe ſit in loco, etſi non circunſcriptiue, ſaltem definitiue, ſcilicet per præſentiam in illo loco; continetur ſiquidem intra latitudinem vniuerſi, deducitur ex termino ad terminum tranſeundo per medium, modo tamen Metaphyſico, & abſtractis ſubſtantijs conuenienti: Nec refert quod Ariſtoteles Phyſicis tantum, ſcilice[illegible]poreis, & ſenſibilibus rebus intentus, non fecerit mentionem de tali motu, [illegible] rei penitus Metaphyſicę ſpectat.

Sextum argumentum non aliud concludit niſi quod anima ſe mouens per accidens ad motum corporis, eſt forma rei generabilis & corruptibilis, quale eſt omne *Solutio 6.*

id, quod

Digitized by Google

id, quod ex proprio principio informante mouetur: ex quo tamen non ſequitur animam non poſſe ab illo mortali corpore ſeparari.

Solutio 7. Alterum argumentum ſi ſecundum ſenſum aduerſariorum concluderet, deſtrueret Ariſtotelis decretum in duodecimo Metaphyſicorum contex. 16. quod ſcilicet, mens, quæ non fuit ante corpus, ſit poſt corpus æterna: Vnde vt ſaluetur dictum illud cum determinatione eiuſdem Philoſophi in primo de Cælo, pro vera illius determinationis intelligentia animaduertendum eſt (vt iam dictum fuit) quod Ariſtoteles in primo de Cælo diſputans contra Platonem, qui mundum materialem aliquando productum, & nunquam deſiturum poſuerat, inquit quod vbi eſt materia, ibi inſeparabiliter eſt potentia ad aliquam tranſmutationem: vnde ſi mundus aliquando incepiſſet, debuiſſet ante talem inceptionem illius materia per huiuſmodi potentiam redigi ad formam mundi; vt factus eſſet mundus ante inceptionem mundi: ac pariter ſi materia, in qua fuit potentia, vt aliquando factus eſſet ex ea mundus, ſupereſſet deſtructo mundo; illa per eandem potentiam rurſus nouam mundi generationem ſubiret: vnde eſſet mundus etiam poſt corruptionem mundi: Ex quibus patet loqui Philoſophum de materialibus, & quæ fiunt per motum, dum producibilitatem, & corruptibilitatem reciprocari fatetur: Intellectus vero, qui non producitur per motum, nec habet in ſe materiam, ſed deforis venit, vt habetur in ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. produciturq; per creationem, vt inferius dicetur; poteſt quidem eſſe perpetuus a parte poſt quamuis habuerit principium.

Inſtantiæ Solutio. Ad replicatam autem inſtantiam optime reſpondetur quod de mente Ariſtotelis cum ipſa anima ex ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. non ſit educta ex potentia materiæ, ſed extrinſecus accedat; nec potuerit eſſe ſemper, ſed neceſſario inceperit aliquando eſſe; cum ex duodecimo Metaphyſicorum 16. nulla forma poſſit eſſe ante ſuam materiam: ideo neceſſarium eſt vt producta ſit ex nihilo ab aliquo agente nobiliſſimo, qui non alius eſſe videtur quam Deus, de quo, vt de agente ſupernaturali non currit illa regula, quæ verificatur in cauſis naturalibus, quod ſcilicet nihil ex nihilo fiat: Tutum etiam eſt quod; vt ſuperius dicebatur, addunt alij nimirum talem rationalis animæ productionem a Deo non eſſe abſolute, & ſimpliciter ex nihilo, cum præcedat materiam, ſcilicet corpus humanum, cui infunditur.

Inſtantia Solutio. Quod cum rurſus inſtatur ob illas probationes Ariſtotelis de æternitate materiæ, mundi, ac motus. Huic dificultati, quæ ingenia multorum agitare ſolet, ſubtilem, opportunamq; ſolutionem (ne illius authori debitam laudem reticeam) audiui olim

Ioan. Theup. ab Illuſtriſſimo iuuene patritio noſtro Ioanne Theupolo (Diui forſan) Ioannis Venetiarum Patriarchæ nepote, veroq; doctrinæ, ac morum hærede: qui dum Theoremata publice tueretur; id obijcienti reſpondit: quod optime illæ probationes iuxta prædictum ſenſum concludunt; quia ſcilicet ſi ipſa de nouo edita fuiſſent, præfuiſſet aliqua materia, per quam facta eſſent: quemadmodum nunc etiam dicitur, productionem animæ rationalis præcurrere ſubiectum materiale per quod producitur, ſeu in quo infunditur ipſa anima; de quo ſufficit vt ſit principium illius ſubiectiuum, non autem intrinſecus conſtitutiuum.

Confirmationis. ſolutio. Nec mirabile eſt quod Ariſtoteles dum inſtitutum habet diſerendi de corporibus phyſicis per ſe mobilibus, & ſenſibilibus, non fecerit exactam mentionem de origine animæ rationalis per ſe, quæ vt ſpiritualis non eſt natura, nec proinde eſt phyſicę conſiderationis ex primo de Partibus Animalium cap. 1. Quamuis tamen cum dixerit Ariſtotles in locis præallegatis: mentem non præcedere ſuum corpus, ac deforis aduenire; tunc illius originem ſatis indicaſſe videtur.

Et ad alteram confirmationem reſpondetur: principio correſpondere quidem finem in rebus, quæ ab agentibus naturalibus per materiam & motum facta ſunt; quibus ſiquidem ineſt, vel neceſſarium ſubiectum eſt, materia cum potentia ad eſſe: At de his, quæ ab agente ſupernaturali ex nihilo, abſque materia, &

& con-

Digitized by Google

& contrario in eſſe conſtituta fuerunt; non eſt neceſſarium vt ad nihilum redigantur.

Ad octauum argumentum reſpondetur, vtique propriam operationem habere, *Solutio* 8. & patet ex eo quod poſtquam inquit Philoſophus in primo de Anima tex. 12. quod anima eſt ſeparabilis a corpore dummodo propriam habeat operationem, deinde ſæpe in ſecundo, ac tertio libro eiuſdem operis, & alibi inquit animam eſſe ſeparabilem: vnde neceſſarium ſequitur eam habere propriam operationem, quæ eſt intelligere, vt inquit Philoſophus in citato 12. textu primi de Anima: Et cum obijcitur dictum id Ariſtotelis, quod oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata: Reſpondetur id Ariſtotelem protuliſſe de intellectu corpori vnito; de quo ſiquidem tantum loqui in his phyſicis operibus decebat, a quorumve negotio operatio animæ ſeparatæ prorſus eſt aliena: Quod ſi nos ſuper phyſicos limites ad curioſitatem explendam exſurgamus, fatebimur, animam ſeparatam intelligere per ſpecies ipſas ellicitas ex phantaſmatibus dum corpori inhærreret: Et cum obijcitur de animabus defunctorum in ventre materno: *Inſtantia.* Non reſpondemus, vt aliqui, *Reſpõſio quędam.* ſatis eſſe vt competat animabus ſeparatis aliqua operatio, qualis eſt iſta intelligendi per ſpecies olim ellicitas ex phantaſmatibus, quamuis talis operatio aliquibus non conueniat: Cum enim ſecundum Ariſtotelem neceſſaria ſit animæ ſeparatæ actio propria, & proprium competere debeat omni, ſoli, & ſemper: ideo non eſſet dicenda propria operatio animæ ſeparatæ, quæ omnibus ſeparatis animabus non competeret. *Reprobatio.*

Sed dicamus quod quamuis cognitio animæ ſeparatæ perficiatur ex lumine iam præſtito a phantaſmatibus donec corpori erat vnita; fundatur etiam adhuc in ſpeciebus, quas poſt ſeparationem habet a ſubſtantijs abſtractis, quæ cum ſint ei ſimiles, per communicationem, & collocutionem optime ei rerum notitiam reuelant: *Quomodo anima ſeparata intelligat.* Inſuper quoniam quamuis res materiales, quæ dicuntur intelligibiles poteſtate, nequeant intelligi ſine phantaſmate; res tamen ſpirituales, quæ ſunt intelligibiles per ſe, optime valent ab intellectu ſeparato ei conſimili cognoſci; Et additur quod ſicut dicitur a Scoto de Angelis ita, & de anima ſeparata cenſere licet, quod poſſit ellicere ſpecies a rebus tum ſpiritualibus, tum etiam materialibus: Ac demum ſi anima ſeparata per reflexionem in ſe poteſt ſeipſam cognoſcere; inde ſequi videtur quod poſſit progrediendo in ſuam cauſam, & in ea, quæ ab illa dependent, ſingula cognoſcere; Quæ quidem de re a noſtris ſenſibus remota coniectari ſatis eſſe videtur.

Et ad confirmationem conſimiliter vt ſuperius dicimus; Ariſtotelem ibi loqui *Confirmationis.* de intellectione, alijſq; operationibus animæ corpori vnitæ, quas attribuit compoſito, ſicut & in proœmio Metaphyſicorum dixerat actiones eſſe ſuppoſitorum: ex *Solutio.* quibus tamen non tollitur quod anima a corpore ſeparata poſſit per ſe, & ſine corpore, quod amplius non habet coniunctum, intelligere: tunc enim ipſa ſimplex anima euadit ſuppoſitum ad talem actionem aptiſſimum.

Ad inſtantiam deſumptam ex 20. textu tertij de Anima dicimus, non negaſſe *2. Confirmationis.* illuc Ariſtotelem omnem ſeparati intellectus reminiſcentiam, ſed illam tantum, quæ vtitur inſtrumento corporeo, ſcilicet imaginatione actualiter: illam ſcilicet *Solutio.* recordationem, in qua non ex ſpeciebus antea ellicitis, & ſibi impreſſis; ſed ex ipſiſmet phantaſmatibus corporeo organo infixis actum intellectionis immediate deſumere oporteret: adhuc enim non erat determinatum ſi ſpecies impræſſæ extra phantaſmata, & diſtinctæ ab actu intellectionis, ipſi intellectui inexiſtant.

Pariter & ad nonum argumentum, omneſq; ſequentes confirmationes reſpondetur definitionem illam traditam eſſe de anima iuncta corpori; cui tantum; *Solutio* 9. quatenus ſcilicet eſt anima, & corpus actualiter informat, competunt conditiones illius definitionis: anima vero ſeparata abſque violentia, aut ſuæ potentiæ fruſtratione valet ſeorſum perpetuo manere: Et hoc euidens eſt apud Ariſtotelem, qui in

qui in eodem ſecundo de Anima contextu 11. inquit ob traditam nullam animæ definitionem nil prohibere aliquas partes animæ ſeparari, quia nullius partis corporis ſunt actu: nec de aliqua conſtare quod non ſit in corpore vt nauta in naui: Nec eſt neceeſſarium vt de ea ita ſe habente verificetur definitio illa, quæ tradita eſt de anima ſecundum illum reſpectum tantum vt corpus informat: Neceſſario enim conueniunt cuilibet definito illæ conditiones, quæ ingrediuntur definitionem rei per ſe, & abſolute, non autem illæ, quæ ingrediuntur definitionem reſpectiuam, rei ſcilicet taliter, vel taliter ſe habentis, qualis eſt illa definitio animæ per talem reſpectum vt eſt actus corporis: Vnde non ſequitur animam ſeparatam eſſe otioſam, quia non mouet corpus; ſupereſt namque ei actio intelligendi, per quam aptiſſime ab otij ſuſpicione redimitur: Dicitur autem Endelechia quatenus eſt actus corporis, in quo ſenſu eſt vtique corruptibilis: quatenus ſcilicet eſt forma rei corruptibilis, in quo quidem ſenſu & ipſa dicitur quoad rationem formalem corruptibilis. A Metaphyſico vero definienda eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe, & penitus a materia abſtracta: at forma quæ actualiter inhærret, & dat eſſe corpori, vtique phyſico negotio ſpectat: Et forma illa, quæ proprie eſt quod quid eſt rei compoſitæ eſt forma totius rationem tum formæ, tum materiæ includens, quæ quidem non poteſt ſeruari deſtructo compoſito: At forma partis, qualis eſt anima, eſt principium quiditatis, & talis quiditatis, cui non repugnat vt ſeruetur quamuis deſtructa ſit (non quidem totaliter, ſed tantum ſecundum partem) res, cuius erat quiditas.

Nec abijcienda eſt propterea communis reſponſio ad principale argumentum: quod ſcilicet forma educta de potentia materiæ, & non habens per ſe operationem, cui non conſpiret organum corporeum, qualis eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua, non poteſt exiſtere ſine ipſo corpore, quod actualiter informet: at anima extrinſecus materiæ accedens, & cum cuius actione nil communicat actio corporalis, qualis eſt anima rationalis, ex teſtimonio Ariſtotelis in ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. poteſt abſque inconuenientia a corpore ſeiungi.

***Solutio* 10.** Subſequens etiam argumentum ex prædictis tollitur, quia ſcilicet forma quatenus forma, ideſt corpus actu informans, nequet a corpore ſeparari: ex quo tamen non ſequitur quin mens ſecundum eius eſſe abſolutum, & per ſe, valeat etiam ſine corpore exiſtere.

***Solutio* 11.** Reſpondetur ad alterum quod in 60. illo contextu ſeptimi Metaphyſicorum dum inquit Philoſophus: partes, quæ manent deſtructo toto fuiſſe materiales, & elementares, tunc comparauit partes ad formam totius, ad quam quidem, tanquam materia, & elementa, ſcilicet principia ex quibus inexiſtentibus res fit, refertur nedum materia, ſed etiam eiuſdem rei forma; quæ propterea in primo Phyſicorum dicitur elementum; tales enim partes compræhenduntur ab ipſo toto tanquam a forma: Quod ſi materia & forma partis inuicem comparentur; tunc nullatenus forma poterit appellari materia: Et alij dicunt (nec irrationabiliter) quod anima, quæ deſtructo homine manet erat materialis, & elementaris, ideſt forma rei materialis, & elementaris: vnde dictum illud optime ſaluatur.

***Solutio* 12.** Facilis etiam eſt ſolutio duodecimi; quoniam Philoſophus in 39 illo contextu loquebatur de illa fælicitate, quæ competit totali compoſito humano, quod quia exiguæ durationis eſt, ideo & illius fælicitas cito deficit: non loquebatur autem de anima per ſe, & à corpore ſeparata.

***Solutio* 13.** Solonem vero ideo redarguit Philoſophus, quia ipſe vt alij quamplures ex antiquis humanam fælicitatem in diuitijs, materialibuſq; rebus conſtitutam, eamq; poſt mortem ſupereſſe putabant: quæ expreſſa vanitas apparet.

***Solutio* 14.** Ad decimunquartum reſpondetur quod homini mortuo nil videtur accidere ex eis, quæ ſpectant homini compoſito, ſcilicet de rebus naturalibus: vnde tamen non tollitur quin competant ei bona illa, quæ mentibus abſtractis conueniunt reſpectu

ſpectu

ſpectu illius partis, quæ in hominis obitu incolumis ſeruatur: Quæ expoſitio eo magis apparet ad mentem Ariſtotelis; quoniam in citata illa littera tertij Ethicorum loquebatur de fortitudine conuenienti proculdubio compoſito humano: vnde cum inquit: fortem in mortis periculo timere; quia mortuo nil boni, maliue accidere videtur: clarum eſt ipſum intelligere de operatione ſecundum fortitudinem, & alias virtutes, quæ ad compoſitum ſpectant.

Subſequens leue eſt; nam quia mos fuit Ariſtotelis de eis tantum diſerere; quorum per demonſtrationem, vel aliquo ſaltem fundamento notitiam habere poſſet; qualia ſunt corporea, & quę cum illis aliquam habent complicationem: ſtatuſq; ac operationum animæ a materia ſeparatæ nullam potuerit vnquam habere cognitionem, ſeu per intuitum, aut coniecturam; ſeu per relationem, aut reuelationem, qua ipſum omnino deſtitutum arbitrari debemus: propterea, ne abſque ſupernaturali lumine procedens ipſe etiam vnà cum Poetis, & alijs de hoc commenta, & fabulas deriſione magis, quam fide dignas effingeret; optimo concilio huiuſmodi rerum conſiderationem prætermiſit. *Solutio* 15.

Ad alterum reſpondemus, adeſſe proportionem inter animam intellectiuam, & corpus humanum quoad operationem, quia corpus eſt ita diſpoſitum, vt aptiſſime ei valeat inſeruire: vnde rationabilis eſt illorum connexio; nam ſi nectuntur immortalia cum immortalibus, & mortalia cum mortalibus; requirere videtur vniuerſi perfectio, & abſolutio vt in aliquo etiam immortale con mortali coniungatur, vt fit in homine, qui propterea dicitur paruus mundus: nec neceſſarium eſt vt quæ ſecundum ſuas ſimplices rationes differunt genere, conueniant in eodem ſubiecto, & idem numero conſtituere valeant, dummodo adſit inter illa proportio, & conſenſio. Æternus autem locus, ac æterna ſedes coaptari debet enti taliter æterno, vt nullam habeat conditionem mortalitatis, nullamq; mortalem edere valeat operationem; qualis non eſt mens humana: vt propterea non poſſit mortali corpori coniungi: Nec dependentia, quam ſecundum diſpoſitionem, & inclinationem habet anima a corpore, & illius temperamento, vt ex allegatis Phiſognomicis, alijſq; locis ſuadebatur, indicat talem connexionem, vt debeant eſſe etiam in æternitate, vel caducitate ſimilia: ſed tantum exinde colligitur illorum naturalis, eſſentialiſq;, ſed diſolubilis, colligatio. *Solutio* 16.

Subſequenti reſpondemus vtique ſecundum naturam vniri animam rationalem humano corpori; cum ex directione a natura ſuperiori orbem regente, & (vt dicunt) naturante, quæ vniuerſi abſolutionem per inexiſtentiam omnium graduum rerum intendens, ipſa compoſita humana in eſſe requirit; ipſa anima apta corpus perficere, exindæq; ſuæ conſtitutionis, indiuiduationis; ac ex parte etiam intellectionis fundamentum accipere, vnitur corpori nato ab ea perfici, quod eſt illius operationibus adequatiſſime diſpoſitum quodve vnà ſecum ad compoſitum præſtantiſſimi gradus conficiendum paratum eſt: ac ideo habetur ex Ariſtotele in Problematibus parte 30. Problemata 4. talem vnionem eſſe ſecundum naturam: Nec obſtat quamuis ſecundum Ariſtotelem in citata illa littera primi de Anima, melius ſit animæ eſſe ſine corpore; nam quemadmodum etiam elementum graue quamuis per ſe rectius ſe habere videatur dum eſt in loco deorſum, perfert tamen, ita requirente ordine, & perfectione vniuerſi, ſurſum aliquandiu manere intra mixtum animal, in eoq; alio motu quam deſcenſus, progreſſiuo ſcilicet, naturaliter moueri; ita & anima rationalis quamuis melius ex ſe maneat ſeparata; patitur tamen, & gaudet aliquo tempore vniri corpori, vt ipſum perficiendo, ſuamq; ei virtutem communicando in conſtitutione humani compoſiti, conſpiret ordini vniuerſi, cui conſentanea eſt talis rerum connexio, atque conſenſus, vt ſingula inquantum valent mutuam ſibijnuicem opem porigant: Adde quod, melius eſſe animæ manere ſine corpore; verificatur tantum poſt ſeparationem, quando ſcilicet iam adepta fuerit indiuiduationem, ſpecies phantaſmatum pro altero modo ſuæ intellectionis, ac ipſum eſſe, quod non incipit niſi cum productione corpo- *Solutio* 17.

Digitized by Google

ris: non autem dicitur ibi, quod melius ſe haberet anima ſeorſum ante corporis conſtitutionem.

Solutio 18. Pro ſolutione ſubſequentis conſiderandum, eſt quod dictum illud Ariſtotelis in ſexto Metaphyſicorum, ſicut etiam omnis regula generaliter prolata, intelligenda eſt de priori, & eminentiori illius generis, qualis in genere mentium abſtractarum ſunt intelligentiæ orbes cæleſtes mouentes, de quibus facile habetur ſcientia ſpectans ad Metaphyſicum; quoniam ipſarum eſſe innoteſcit ex motu æterno: & cum omnino ſeparatæ ſint ſecundum eſſe a rebus phyſicis, & mortalibus; ideo aliam videntur exigere tractationem præter illam, quæ de eis habetur in operibus Phyſicis, ſcilicet in octauo Phyſicorum: animæ vero ſeparatæ cum non aliam habeant operationem (vt creditur) quam intelligere, magis nobis latentes, ac per ſuos effectus imperceptibiles ſunt; vt propterea illarum tantum occaſione fortaſſe non erat inſtituenda ſcientia: Vel dicas quod de genere ſubſtantiarum abſtractarum ſunt etiam humanæ animæ a corpore ſolutæ, quæ niſi eſſent intelligentiæ motrices Cælorum, ex quarum tractatione ipſarum etiam ratio illis valde conſimilis innoteſceret, vtique inſtituenda eſſet ſcientia Metaphyſica ad explicandam conditionem talium animarum; quæ & ipſæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ.

Solutio 19. Ad alterum reſpondetur quod *effectus aliquis infinitus a ſua cauſa diſtinctus*, & externus, qualis eſt æternus motus, denotat quidem *ipſius cauſæ virtutem infinitam*: at eſſe, quod eſt conditio neceſſario conſequens formam, quamuis *ſit infinitum*; non arguit infinitam virtutem ipſius rei; ſed ſatis eſt animam humanam immunem eſſe a contrario, nec dependere in eſſe a corpore habente contrarium ad hoc vt ſit immortalis; vnde non neceſſaria eſt ei virtus infinita.

Replica Solutio. Nec etiam abijcienda eſt reſponſio ſuperius vnà cum ipſo argumento relata: Ad cuius impugnationem reſpondetur quod eſſe per ſe incorruptibile ſtat dupliciter: vel ſcilicet per ſe, primo, & abſolute, & tanquam ex princicio efficiente: vel per ſe tanquam ex principio formali, aut materiali; & non per accidens, quamuis extrinſecus habeat ſuæ conſeruationis principium: tunc dicendo quod quamuis aliquod non ſit per ſe incorruptibile primo modo; non tamen ſequitur id eſſe per ſe corruptibile; quoniam poteſt eſſe incorruptibile per ſe ſecundo modo: & ita res ſe habet de anima rationali; ac de omnibus incorruptibilibus præter Deum, quæ quamuis talia ſint per ſe, illorum tamen conſeruatio vnà cum illorum eſſe, ex prima cauſa dependet.

Solutio 20. Reſpondetur ad vigeſimum argumentum quod ens æternum, materiale, & non aptum produci aliter quam per motum, haberet vtique potentiam ad ſemper exiſtendum, adeo ſcilicet, vt nedum a parte poſt, ſed etiam a parte ante, deberet eſſe æternum; quæ enim conſtarent ex ſubiecto in potentia ad eſſe, quæ potentia infinito tempore præcedenti extitiſſent, non potuiſſet per reductionem illius potentiæ ad actum, præcedenti tempore non fieri; cum nulla potentia poſſit perpetuo manere fruſtrata: At anima rationalis, quæ non incepit eſſe per motum, ad hoc vt æterna ſit a parte poſt, ſatis eſt vt pro illo tempore in quo exiſtere debet, habeat vim exiſtendi; nec eſt neceſſarium vt eandem virtutem habeat etiam pro tempore præexiſtenti, in quo nondum in eſſe conſtituta fuerit.

Solutio 21. Subſequenti reſpondemus quod quamuis ob defectum materialium inſtrumentorum, ſcilicet phantaſmatum, operatio animæ intellectiuæ retardetur; falſum tamen eſt, quod ipſius animæ ſubſtantia defatigari valeat: quemadmodum nec anima ſenſitiua quamuis extenſa ſit, educta ex potentia materiæ, & mortalis, eſt apta per ſe fatigari, aut hebetari; adeo vt dixerit Philoſophus in primo de Anima contextu 65. quod ſi ſenex acciperet oculum iuuenis æque videret vt iuuenis; quoniam omnis defectus ſenſationis conſiſtit in deprauatione organi: quare ſi non eſt per ſe defatigabilis anima videns, longe minus id eſt poſſibile de intellectu.

Solutio 22. Dicimus ad alterum quod maneret quidem neceſſario effectus compoſiti humani manentibus omnibus illius cauſis; ex quibus eſt nedum anima, ſed etiam diſpoſitio

Digitized by Google

ſpoſitio corporis ad ipſius animæ receptionem, quæ quidem diſpoſitio, quia mutabilis eſt iuxta conditionem corporis contrarietatibus obnoxij, & tranſmutationibus addicti, propterea (quamuis anima ſit æterna) ipſius compoſiti deſtructionem machinatur.

Ad poſtremum dicimus animam ſeparatam eſſe vtique, hoc aliquid, ac indi- *Solutio 23.*
uiduum ſpeciei animarum humanarum: habereq; ſingularitatem a cæteris eiuſdem ſpeciei diſtinctam, tum ratione ſui eſſe, ſeu materię totius, per quam rationem ſingula entia etiamſi a materia ſeparata, inuicem diſtinguuntur, tum etiam ratione materiæ corporis, cui primo infuſa eſt dum illius occaſione fuit producta.

DE SPECIEBVS.
SENSIBILIBVS.
ET INTELLIGIBILIBVS.

Opinio, ac fundamenta ſpecierum Senſibilium ante actum ſenſationis. Caput I.

COgnoſcitiua facultas quod de ſuo obiecto cito appræhendit, & ægre decernit accurata inueſtigatione explorare tenetur: iuncta ſne habeat ſpecies antecedentes, conſequenteſue, actum cognitionis, tam in ſentiendo, quam in intelligendo; quocirca duplicis quæſiti occaſione bipartito negotio procedendo, quærendum eſt hoc prius de ſpeciebus ſenſibilibus, mox de intelligibilibus: Ex quibus quoad primum genus vniuerſa ferè philoſophantium Schola putauit quod actum quencunque ſentiendi (etiam ſcilicet externum) præcedat præter obiectum, ipſius obiecti ſpecies, veluti illius ſimulacrum, & repræſentatiuum quodam, cuius ſit ſenſum externum mouere, & ſenſationem proxime cauſare. *Plato.* Hoc enim præterquam quod Plato indicauit in Timęo, amplexati ſunt & *Auerroes.* Peripatetici, pręſertim Auerroes in ſecundo de Anima, Diuus Thomas prima par- *D. Thomas.* te Summæ quæſt. 55. Scotus in ſecundo Sententiarum, ac in eodem D. Bonauentu- *Scotus.* ra, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, Capreolus, Argentinas, Ægidius, Mar- *& alij.* ſilius, & Heruęus, vt innumeres prætereantur: Ex quorum fundamentis primum *Argumētū. 1* innititur textibus Ariſtotelis 37. ac 38. libri tertij de Anima, vbi habetur, animam eſſe quodammodo omnia entia quatenus illa recipit, & illa fit, non quidem materialiter, ſed formaliter; Vnde colligunt quod cum anima fiat res ſenſibiles tantum per formam, ſcilicet ſpiritualiter, & per ſimilitudinem, neceſſariæ ſint illarum rerum ſpecies, per quarum receptionem, res ſenſibilis fiat.

Confirmatio. Quod eo confirmatur quia ex ſecundo tex. tertij de Anima, tam ſenſitiua, quam intellectiua facultas eſt paſſiua: quare ſenſus ad edendam ſenſationem debet ab aliquo pati, & proxime moueri: id autem non videtur eſſe ipſum obiectum, quod ſiquidem ſæpe diſtat a facultate cognoſcente: quinnimo ſupra ſenſum poſitum tolleret ſenſationem: Eſt igitur ſpiritualis ſpecies rei ſenſibilis, quæ ſenſum attingens conficit ſenſationem. Quod ſi dicatur ſenſum moueri ab ipſomet obiecto quamuis non attingente ſenſum: Obijciunt axioma philoſophicum allatum ab Ariſtotele in primo de Generatione 43. ac ſeptimo Phyſicorum 13. quod omne agens agit per contactum.

Confirmatio. Quod iidem aliqui confirmant dicentes quod ſi ipſummet obiectum ſenſibile formaliter, & proxime actum ſenſationis terminaret; ſequeretur rei viſionem non impediri ex interpoſitione alterius corporis, tenebrarum, vel ex magna diſtantia ſpatij.

Argumen. 2. Et roborari videtur ex 121. textu ſecundi de Anima, vbi habetur, ſenſum eſſe rece-

receptiuum ſpecierum ſine materia ad inſtar cæræ, quæ ſine ferro, aut auro accipit ſignum annuli: quam ſpeciem rei ſenſibilis ſine materia, interpretantur eſſe realiter exiſtentem ſpeciem ab obiecto diſtinctam, quę vt illius ſpiritualis imago, valeat ſenſum mouere.

Et præuidentes reſponſionem, quod talis ſpecies, de qua Philoſophus loquitur eſt ipſemet actus ſentiendi, cuius effectus, terminus, & ratio eſt ſpecies illa, quæ remanet in ſenſu, ac per cuius appræhenſionem anima dicitur fieri obiectum. Id impugnant primo quia in littera inquit Ariſtoteles: ſenſum ab eo ſenſibili, quod recipit, ſcilicet a ſpecie, pati, & moueri: Actus vero ſentiendi non mouet ſenſum; ſed eſt effectus ipſius motionis ſenſationem ſubſequens: Secundo quia dicit Ariſtoteles hanc in ſenſu recipi vt ſignum annuli in cæra: addit ſubtilis vir quod, ſicut ſignum annuli non eſt actus impreſſionis factæ in cæra, ſed pura imago annuli ipſum repræſentans, ſic & ſpecies ſenſibilis debet eſſe aliud, quam actus ſenſationis. Tertio quia forma hec ſenſibilis ſine materia, quæ ſenſui imprimitur veluti ſignum annuli cæræ impręſſum eſt permanens: & actus ſenſationis eſt tranſiens: quare non ſunt idem. Adhuc obijcitur textus 134. ſecundi de Anima, in quo Philoſophus repetens, & ſtatuens ſenſum eſſe receptiuum ſenſibilis ſine materia; id eo probat quia abeuntibus ſenſibilibus adhuc eſt ſenſatio; quia ſcilicet ſuperſunt in Phantaſia ſpirituales imagines rerum ſenſibilium: & inde arguitur quoniam talia, quæ remanent abeuntibus ſenſibilibus non poſſunt eſſe actus ſentiendi, qui ſiquidem eſſe nequent ſine obiecto, ſcilicet ipſa re ſenſibili. *Reſponſio.* *Replica 1.* 2. 3. 4.

Et quia reſponderi poteſt quod etſi primæuus actus ſenſationis, qui ſcilicet fit in ſenſibus externis, exigit vtique præſentiam obiecti principalis: at in ſubſequentibus actibus ſentiendi, qui fiunt in ſenſibus internis etiam remotis ſenſibilibus, vt dum res iam viſa adhuc clauſis oculis ſentitur, non eſt neceſſaria præſentia obiecti principalis; tunc enim ipſe actus ſentiendi præcedens, ſcilicet ſpecies illa, quæ tanquam effectus ſenſationis in Phantaſia remanet, fungitur munere obiecti. Vrgent è contra aſſerentes quod actus ſentiendi vt non poteſt eſſe ſine præſentia obiecti, ita nec poteſt inſeruire pro obiecto: id eo probantes quoniam ipſe actus ſentiendi vt ſit: eget obiecto: Ac inſuper quia tunc actus eſſet obiectum actus, quod inconueniens reputant. *Reſponſio.* *Replica.*

Sumunt etiam fundamentum ex ſpeculo, in quo producitur imago rei: ac potiſſimum quia oculus ſeipſum videre non valens ex ſpecie in oculo efformata mouetur, & ad ſuijpſius viſionem inducitur. *Argumen. 3.*

Suadentur inſuper ex inſpicillo concauo, quod roborare videtur facultatem viſiuam, id eo prouenire putantes, quia ſpecies in illa concauitate (veluti radij ſolares in vitreo concauo coaceruati) validiores euadunt ad repræſentandum. *Argumen. 4.*

Et demum eſt littera primi cap. libri de Memoria, & Reminiſc. vbi cauſam aſſignans Philoſophus cur rerum abſentium recordemur: inquit id prouenire ex rerum imaginibus interno ſenſu contentis. *Argumen. 5.*

Prædictæ ſententiæ confutatio, ac Quæſtionis explicatio. Cap. II.

NOs autem in re propoſita maluimus communiori iudicio, nec leuibus quidem ipſius fundamentis aduerſari, quam axiomati Ariſtotelis in primo Phyſicorum ſuperfluam multiplicationem entium deteſtanti; cum enim pro efficienda ſenſatione, viſionis ſpecialiter (in qua magis dificultas conſiſtit) ſufficiat præſentia obiecti, id ipſo ſenſu ex experientia decernente, qui nullam ſpeciem, vel aliud præter ipſum obiectum ſenſibile ſe intueri cognoſcit: tales propterea ſpecies ſenſationem antecedentes haud excogitandas arbitramur. Quod valide confirmatur diſcurrendo per cæteros quatuor ſenſus alios a viſu, a quibus huiuſmodi ſpecies non requiruntur; tactus etęnim im- *Ratio 1.*

Digitized by Google

mediate qualitates obiecto inexiſtentes attingit; pariter & guſtus ipſoſmet ſapores guſtabili obiecto concretos appræhendit: ſic & Auditus, ac olfactus, quorum hic materiatam euaporationem fumalem rei odorabilis, ac ille partes intermedij aeris realiter motas percipit: vnde eſt quod flante ab illis ad nos vento, facile ſentiuntur, qui ſi ex oppoſito ſpiret, illa nobis auffert, & impedit ſenſationem, quod in viſione non accidit. Quare nec conſimiliter in viſione videntur hæ ſpecies requiri.

Euaſio. Occurunt aduerſarij negantes ſuperfluitatem harum ſpecierum, & ſufficientiam præſentiæ obiecti ſenſibilis, pareınq; conditionem quatuor aliorum ſenſuum, ac viſus, in quo cum non aliud intermedium appareat, a quo poſſit materiliter attingi; nec id habere valeat obiectum viſibile; cum nequeat oculum tangere: inde dependere inquiunt talium ſpecierum neceſſitatem. *Impugnatio.* Tenuis defenſio, cuius fundamentum quanti ſit roboris patebit in ſolutione primi argumenti. Superfluitatem vero ſpecierum ipſe ſenſus explorat, qui cum in auditu, & olfactu liquido cernat ſe non ex principali, ſeu originali obiecto, ſed illis intermedijs moueri; in viſione comperit ſe abſque ſpecierum intermedio idemmet viſibile obiectum intueri.

Euaſio. Nec valet reſponſio dicentium quod facultas cognoſcitiua cognoſcere vtique debet id, quod cognoſcitur principaliter, ſeu id, quod pro cognitione alicuius rei eſt ſignum inſtrumentale, vt picta imago Socratis ipſius Socratis cognitionem inducens: at non eſſe neceſſarium vt per ſe cognoſcatur id quod rem notificat tanquam ſignum formale, quod facit ſpecies viſibilis: ſiue dicendo, vt Capreolus in ſecundo Sent. diſt. 3. quæſt. 2. artic. 3. non eſſe neceſſarium cognoſcere id Quo, *Impugnatio.* ſed ſolum id, in quo, aliquid cognoſcimus. Contra enim ſiue res ſit principale obiectum cognitionis, ſiue medium inſtrumentale, aut formale, omnimode apprehendi debet a cognoſcitiua facultate: ergo & cognoſci. Inſuper ens abſolute ſumptum eſt obiectum commune intellectus, ergo tales ſpecies (ſi eſſent entia) eſſent etiam ſaltem cognoſcibiles ab intellectu, qui tamen de illis nullam habet notitiam præter illam coniecturam aduerſariorum. Adde quod cum tales ſpecies eſſent ens aliquod abſolutum, & per ſe exiſtens (haberent enim eſſe ſeparatum, & diſtans a ſuis obiectis ſenſibilibus, eſſentq; materiales, quatenus materialia viſibilia repræſentarent) neceſſarium eſſet, vt etiam a ſenſibus cognoſcerentur.

Ratio 2. Præterea talium ſpecierum ſuperfluitas ſuadetur ex neceſſitate præſentiæ obiecti; quando namque ex his ſpeciebus facultas viſiua duceretur ad ſenſationem, tunc obiectio ante oculos ipſius rei viſibilis non eſſet neceſſaria: vnde vel præſentia ipſius obiecti viſibilis, vel huiuſmodi ſpecies eſt ſuperflua: Nec ſpernenda videtur argumentatio dicentium quod, admiſſa tali ſpecie ſequeretur poſſe ſenſum per ipſam materialiter repræſentatiuam ſui ſenſibilis, abſque ipſius rei ſenſibilis intuitu eam rem cognoſcere; ac ſeruare in memoria viſibilia, quæ nunquam præſentia inſpexiſſet.

Ratio 3. Inſuper talis ſpecies repræſentatiua ſui obiecti materialiter ſuperpoſita alteri ſpeciei illam tangeret, & impediret ne ſuum obiectum oculo repræſentaret, quemadmodum vnus odor alium odorem, vnuſve ſonus alium ſonum turbat, & opprimit; id tamen non euenit; nam in ſemicirculo mundi quamuis vbique quæuis ſtella videatur; non exinde tollitur cuiuslibet alteritus apparitio: vt credibile fiat; res non per ſpecies, ſed per ipſarummet entitatem ſenſibus innoteſcere.

Ratio 4. Arguere valemus adhuc quia tales ſpecies, ſi darentur, eſſent diuiſibiles non tantum, vt concendunt aduerſarij in repræſentando; ſed etiam in eſſendo; cum enim Luna exempli gratia, in toto hemiſphærio appareat, propterea deberet illius ſpecies in toto illo ſpatio difundi, ac ideo eſſent in intermedio corpore extenſæ, ac proinde educerentur ex potentia materiæ, vt eſt de omnibus, quæ ex materia extenduntur. At quæ educuntur ex potentia materiæ requirunt præuiam alterationem, ac ſucceſſiua tranſmutatione producuntur, quod non contingeret de huiuſmodi ſpeciebus; in inſtanti enim tranſire deberent ad ſenſum, qui ſtatim obiectum, quamuis diſtanter ei appoſitum intuetur.

Nec

Digitized by Google

Nec tute negant neceſſarium concurſſum præuię diſpoſitionis, ac ſucceſſiuæ productionis; id enim euidens eſt in productione accidentium alterius generis; ſi enim aqua, aerue calefiat, coloretur, odore, aut motu afficiatur; non niſi ſucceſſiua productione ille actus inducitur in ſubiecto: vt non aliter de ſpecie viſibili ſit exiſtimandum.

Comprobatur idipſum experientia facilioris viſionis obiecti diſtantis quando intermedium corpus eſt rarius; quod non contingere videretur ſi viſio fieret per illas ſpecies; quoniam ipſæ dum haberent ſufficientem quandam medij tenuitatem, per quam poſſent ſe ad ſenſum deferre, non amplius ex maiori raritate roborarentur: ſed ſignum inde habetur quod abſque media ſpecie ipſummet obiectum per ſuam præſentiam innoteſcat: vnde eſt, quod in maiori perſpicuitate medij magis enniteat. Quod pariter confirmat experientia illorum, qui in profundo & obſcuro puteo exiſtentes, & per longum perſpicillum concauum, ſeu per arundinem vident ſtellas, aliave obiecta diſtantia, quæ ſint in luce poſita; validius enim inſpiciunt: quod non eueniret ſi viſio fieret per illas ſpecies, nam illæ in obſcuritate medij langueſcerent; ac tunc remiſſæ in medio, ad extremum nimis imbecilles peruenirent. Adde quod ex maiori illuminatione obiecti viſibilis magis quam ex maiori illuminatione medij, redditur ipſum obiectum oculis magis conſpicuum: quod eo videtur contingere, quia ſuijpſius præſentia, non autem per ſpecies per medium perductas ſe ſenſui demonſtrat. *Ratio 5.*

Ad exactam autem veritatis explanationem, & facilem argumentorum ſolutionem adnotandum eſt quod quærendo de ſpeciebus ſenſibilibus, vel intelligitur de ijs, quę ſunt idem cum actibus ſentiendi, eodemq; tempore fiunt, ac poſt ipſos actus in internis ſenſibus ſeruantur, vt ipſis ſenſibus, ac intellectui imaginem rerum ſenſibilium repræſentent; & tales quidem ſpecies ſunt neceſſario concedendæ; nam præterquam quod ſenſus ipſe eas poſſidere experitur dum ceſſante ſenſatione, & clauſis oculis adhuc imagine obiecti ſenſibilis fruitur: Certa adhuc eſt doctrina Ariſtotelis, & ordo naturę quod ſcilicet, cum per excitationem ex actione ſenſibilis in ſenſu aliquo externo facta fuerit ſenſatio, ſiue iudicium ipſius rei ſenſibilis, concurrente virtute perficiente interni ſenſus communis: tunc tale iudicium, ſeu obiectum ſenſibile in eſſe cognito, quod proprie eſt ipſa ſpecies ſenſibilis, offertur Phantaſiæ, cæteriſq; internis ſenſibus, a quibus ellaboratur, conficiturq; ſuper ipſum imaginatio; quæ ideo in Secundo de Anima 161. definitur per; Motum a ſenſu (ſcilicet communi) ſecundum actum factum: tandem in memoria impreſſum euadit obiectum intellectus; nam & ipſe ex eo ſuos conceptus, & ſpecies intelligibiles ellicit: Et iſtę ſunt illæ ſpecies de quibus intendit Philoſophus in ſecundo de Anima textibus 121. ac 124. cum inquit; Senſum eſſe receptiuum ſpecierum ſine materia. Vel ſecundo intelligitur de ſpeciebus, quæ præcedant actum ſenſationis, de quibus adhuc dictum eſt; quaſue præhabitæ rationes oppugnant. Vel tertio intelligitur de aliqua actione obiecti ſenſibilis in ſenſu, quæ quidem quamuis diſtincta ab actu ſenſationis, & quamuis lato, & minus proprio modo, ſpecies, non poteſt negari; res enim ſenſibiles agunt in aerem, aliudve corpus inter illas, & nos poſitum, quod non eſt ſentiens: iuxta quod inquit Philoſophus in ſecundo de Anima 127. quod patitur aer a ſenſibilibus; nec propterea ſentit, ſed fit ſenſibilis. Ac inſuper liquet illius actio in ipſum ſenſum, cuius organum lædit excellens ſenſibile; nec tamen inde tollitur iudicium. *Reſolutio Quæſtionis.*

Argu-

Argumenta 1. Capitis ſoluuntur. Cap. III.

Sol. 1. argum. EX prædictis habetur facilis ſolutio argumentorum: quorum ad primum reſponſio debet eſſe, quod ſpecies illæ per quas anima noſtra fit omnia entia formaliter, ſunt modo a nobis conceſſæ, ſpecies ſcilicet primæ ſignificationis, quæ internis ſenſibus inexiſtentes euadunt obiectum etiam mentis, cui ſpirituales rerum imagines ſubminiſtrant.

Confirmationis. Solutio. Confirmationi reſpondetur, id quod agit in ſenſu eſſe præſentiam ipſius obiecti, quod etiamſi diſtans, niſi craſſitudo intermedij corporis obſtet, valet ex ſe actionem edere, quæ ſenſum moueat. Ad aſſertionem vero Ariſtotelis quod omne agens agat per contactum: dicimus quod prolata eſt præſertim de actionibus Phyſicis, quæ fiunt per motum inter corpora nata ſe tangere; ad quod non valerent ſpecies ab aduerſarijs allatæ; ſe enim tangunt illa, quorum extrema ſunt ſimul: & tales ſpecies non haberent diſtinctionem partium extremarum à non extremis: vnde cum ſenſatio viſionis non ſit proprie phyſica; *fit enim ſine motu, & in inſtanti;* ideo abſque aliquo reali contactu ſufficit aſpectus obiecti non impeditus per illam eius actionem ſuperius conceſſam (qui lato modo ſpecies dici poteſt) ad ipſam cauſandam.

Alterius confirmationis ſolutio. Alteri confirmationi dicimus quod interpoſitio alterius corporis neceſſario impedit ſenſationem, quæ fit ex præſentia obiecti viſibilis non impediti; tunc enim tantum cum abeſt impedimentum, valet ad terminandum proxime, & formaliter actum ſenſationis. Quod autem obſtet magna diſtantia: videtur exinde potius euenire, quia impediat nimis remoti corporis apparitionem; quam quia tollat ſpeciei ab obiecto ſeparatæ perductionem ad ſenſum. Obſcuritas vero, quę ſi eſſet omnimoda, tolleret quidem viſionem: (at omnimoda eſſe non poteſt dum ſit viſio; obiecti ſiquidem viſibilitas aliquod lumen ſupponit): ea inquam nobis oppoſitum ſuadere videtur; cum enim experientia conſtet, eam in intermedio ſpatio effuſam non obſtare, quinnimo conferre ſenſationi; vnde (vt nuper memorabatur) qui intra obſcuritatem profundi putei, vel per concauum perſpicillum rem aliquam in lucido poſitam inſpicit, is efficaciorem edit ſenſationem: ſignum inde habemus quod non per ſpecies, quæ ſecundum earum auctores ex obſcuritate ſpatij opprimerentur; ſed ex ipſius obiecti præſentia, ab intermedia obſcuritate impaſſibili, fiat viſio.

Solutio 2. Ad ſecundum argumentum principale recta ſuperius eſt tacta reſponſio: ad cu-

Inſtantia 1. ius primam inuaſionem reſpondemus quod ſenſus ſucceſſiue duplici ſenſibili ſubijcitur; prius ſcilicet reali obiecto veluti odori, ſonitui, calido, dulci, vel albo, quod illum per ſuam eſſentiam excitat ad viſionem: deinde vero ſubijcitur ſpeciei, quæ ex ſenſatione per illam motionem facta reſultat, & in Phantaſia ſeruatur: Primum ſenſibile agit in ſenſibus exterioribus, ac in ſenſu communi, ipſumq; mouet (eo tamen modo, quo ſenſus mouere natus eſt): poſterius vero mouet reliquos ſenſus internos, ac intellectum: Vnde quoniam hec duo obiecta proxima ſenſus non ſunt idem; & ab aduerſarijs vt idem confuſe accipiuntur: inde naſcitur error.

2. Quoad ſecundam inuaſionem exemplum annuli adæquatiſſime noſtræ huic poſitioni aptari videtur; quemadmodum enim impreſſio ipſius non ſolum relinquit in cæra ſignum habitæ impræſſionis, ſed & imaginem ipſum annulum repræſentantem; conſimiliter & ſpecies ſenſibus impreſſa non ſolum ſeruat veſtigium habitæ ſenſationis; ſed etiam ipſius ſenſibilis imaginem prefert; quod nos non negamus.

3. Ad ſubſequentem dicimus quod actus ſenſationis, & ſpecies inde reſſultans ſunt idem ſubiectiue, & realiter, non autem ratione, & formaliter; nam quemadmodum in impreſſione annuli in cæra, aliud eſt ipſe actus impreſſionis, ſcilicet ipſa impreſſio,

impræſſio, quæ eſt actio, & actio tranſiens, aliudve eſt effectus talis impreſſionis, ſcilicet ipſa figura, quæ eſt permanens: ſicut etiam aliud eſt hominis generatio, & aliud ipſe homo genitus: pariter & actus ſentiendi, qui eſt actio tranſiens, eſt aliud quam ſpecies orta ex ſenſatione, & poſt ipſam permanens formaliter tamen, & ratione; non autem ſubiectiue, ſeu ſuppoſitiue, eo modo, quo identificari, dictum eſt.

Ad quartum, quæ fulcitur in textu illo 138. reſpondemus quod abeuntibus ſenſibilibus non poteſt quidem fieri actus nouæ, ſcilicet primariæ ſenſationis, quæ ſcilicet ex ipſomet obiecto ſenſibili immediate deſumitur; poteſt tamen ab internis ſenſibus fieri adhuc ſenſatio eiuſdem obiecti ſenſibilis abſentis per illius ſpeciem impreſſam ex eius ſenſatione, quæ quidem ſpecies (vt tunc recte dictum eſt) fungitur munere obiecti. 4.

Et cum vlterius inſtatur quod quia actus ſentiendi eget obiecto, non videtur poſſe inſeruire pro obiecto. Reſponſio ſit quod vtique actus ſentiendi, ſumendo ipſum vt idem, ſcilicet ſuppoſitiue cum ſpecie, quando eget obiecto, nempè dum primo formatur, non poteſt eſſe obiectum: at cum deinde per ſpeciem poſt ſenſationem remanentem mouet ſenſus internos, ac mentem: tunc non amplius eget obiecto: quare tunc non inconuenit quod ſit obiectum; vt non repugnauit Ariſtotelem reſpectu Platonis fuiſſe diſcipulum, ac reſpectu Theopraſti fuiſſe præceptorem: dedeceret enim actum eſſe obiectum ſuijpſius, at abſque aliquo inconuenienti vnus actus eſt obiectum alterius actus. 5.

Pro ſolutione tertij principalis non admittimus ſpeculationem dicentium quod omnia ſunt in omnibus; ac ideo ſeinuicem per mutuam approximationem excitare valeant eo modo, quo ignis ex ei iuxta poſito ligno facile ignem educit; idipſumq; vt de eductione ſimilis ſecundum eſſentiam, vbi eſt congrua diſpoſitio qualitatum alterantium, euenire, & de eductione ſimilis ſecundum imaginem, & figuram, vbi non obeſt craſſitudo, ac opacitas ſuperficiei; ac inde fieri vt in ſpeculo congruæ ſuperficiei facile rei appoſitæ effigies imprimatur: Sed dicimus nos, quod illæ non ſunt ſpecies viſibiles realiter extra obiectum exiſtentes, quæ magis coaceruentur, ac intendantur in ſpeculo; ſed ſunt mera actio præſentiæ rei viſibilis nata ſpeculum attingere, ſuamq; in eo figuram effingere: quod ſi illa eſſet realis ſpecies ex tali obiecto profluens: fieret vt ipſa ſpeculum attingens obiecti imaginem præſeferret, & nobis poſteriorem illius obiecti ſuperficiem oſtenderet. Nec dicat aliquis quod dum confitemur actionem obiecti in ſpeculo, concedere etiam teneamur effectum aliquem realem, qui ſequi ſolet actionem: Non inquam; quia non dicimus illam eſſe factionem, ſed actionem, quam realis effectus non neceſſario conſequitur. *Solutio* 3.

Inſpicilia vero conferrunt viſioni quatenus chryſtallina eorum perſpicuitate refocilant fouentque organum viſus; tum etiam quia per latam illorum ſuperficiem amplius extendentes actionem viſiuæ facultatis cauſant vt ab ea imago rei viſibilis in maiori mole appræhendatur: tum etiam quando applicantur arundini, quia ſcilicet ex anguſta illius concauitate prohibentur ſpiritus viſiuæ virtutis ne diffundantur in ſpatio intermedio, ſed vniti magis in ipſa viſione vigeant. *Solutio* 4.

Authoritas Ariſtotelis in libro de Memoria, & Reminiſc. comprobat aſſertionem noſtram in calce capitis præcedentis de ſpeciebus remanentibus in internis ſenſibus poſt actus ſenſationis. *Solutio* 5.

Expen-

Digitized by Google

Expenditur opinio illorum, qui poſuerunt ſpecies intelligibiles intellectui connaturales. Cap. IV.

ABſoluta iam quæſtione de ſpeciebus quoad ſenſibiles, acrior ſupereſt altercatio de intelligibilibus; circa quas cum varia fuerint iudicia; antiquus, & prius a nobis examinandum eſt Platonis, qui in Phędone &, alibi ſe exprimens, cum eum ordinem ponat in rebus, vt ſcilicet ſupręmus ſit Deus, proxima ſit mens, mox anima, inferior ſit natura, ac infima materia; menti attribuit Ideas; animę rationali connaturales, & innatas rationes: naturæ ſemina: ac materiæ vmbras Idearũ: ipſas animæ attinentes rationes cenſuit eſſe quædam veluti ſimulacra Idearum, quæ per naturam ipſi animæ inſerta, rerumq; imagines præſeferrentia, abſque ope extrinſeci obiecti, vel eius phantaſmatis eam in rerum intellectionem inducant: Quam quidem ſententiam ſecuti ſunt Proclus in primũ Euclidis, Theophraſtus, Priſcianus, Lydus, Porphirius, Ammonius, Plotinus, Iamblicus, Simplicius, Themiſtius in ſua digreſſione ſuper tertium de Anima, ac Ioannes Grammaticus in eodem opere comment. 14. his ſuffulti rationibus: Primo ex prædicta (quam ponunt) connexione Idearum, rationum, ac ſeminum, quæ per ſuam ſeriem, veluti catenam quandam fluant ex ſupręmo, ac rurſus in ſuum principium redeant.

Argument. 1

Confirmant idipſum ex abſoluta vniuerſi perfectione, cui conferrat hec inexiſtentia rerum omnium in omnibus, vt ſcilicet omnia contineat mens per Ideas, anima per rationes, natura per ſemina, ac materia per vmbras.

Argumen. 2.

Inſuper quoniam agens quodlibet vt recta ratione non temere agat, non aliter quam artifex reſpectu ſuorum artefactorum, debet internam habere rationem rerum agendarum: & tales videntur hę ſpecies pro actione intellectionis.

Argumen. 3.

Suadentur etiam ex innato deſiderio noſtro cognitionis, ac diſpoſitione ad veritatem, quæ internum aliquod tanquam ſemen, ac excitamentum præſupponere videntur.

Argumen. 4.

Adhuc ex cognitione rationum ſubſtantialium, quæ nequent per phantaſmata reuelari a ſenſu, qui accidentia tantum percipere, eaq; menti obijcere natus eſt.

Argumen. 5.

Animæ etiam immortalitas, ac proinde inalterabilitas requirere videntur, vt nil nouum, ac mutabile ſubeat, ſed coæuis, ac coæternis ſpeciebus ſubijciatur.

Argumen. 6.

Talem vero poſitionem ratio validior oppugnat; ex ea namque fieret reperiri vniuerſale, a ſuis ſingularibus diſtinctum, quales eſſent illæ rationes ad inſtar Idearum, contra quas toties probatum fuit ab Ariſtotele, vniuerſalia non eſſe niſi in ſuis ſingularibus: Et ſuadet idipſum naturæ inſtitutum, quæ nil redundans in rebus admitit: vnde cum omnia, quæ ad intellectionem, ad ſcientiam, ac quæcunque Mentis noſtræ officium ſpectant abſque huiuſmodi ſpecierum auxilio aptiſſime abſoluantur: inanis videtur ipſarum inſtitutio. Præterquam quod ſi anima tales ſpecies, ſufficiens intellectionis inſtrumentum; quinnimo nobilioris, eminentioriſq; contemplationis medium, includeret; vt quid ſemper pro intellectione conficienda confugeret ad phantaſmata, a quibus inane ſuffragium; vilioremq; intellectionis modum acciperet? Euerteretur quinetiam ratio intellectus in potentia, qui ſe habere debet vt tabula raſa denudata a ſuo receptibili: eſſetq; ſimul in actu, & in potentia, ſciens, & addiſcens; reuocareturq, obſoleta illa ſententia, quod noſtrum ſcire ſit reminiſci, in quam valide inuectus eſt Ariſtoteles.

Confutatio.

Nec fundamenta huius opinionis dificili negotio euertuntur: quorum ad primum reſpondetur requiri vtique pro perfectione vniuerſi nexum, atque colligationem entium, adeovt reliqua omnia tanquam perfectibilia, & effectus pendeant ex primo, vt a perficiente, quod ſingulis entitatem, ac perfectionem ſecundum illorum rationem impertiuit, vt docetur ab Ariſtotele in primo de Cælo 100. Non eſſe autem neceſſarium vt ſuperiora tanquam cauſæ agant in inferiora, & hec ab illis

Solutio 1. Argumenti.

recipiant

recipiant effectum actionis, ac virtutem per medium Idearum, ſeu rationum, quæ ſuperfluę, ac inanitates reputantur: vnde ſolutum reſtat ſecundum.

Tertio reſpondetur quod agens artificiale includit quidem rationem rerum agendarum, ſcilicet habitum artis, quæ eſt recta ratio rerum efficiendarum; agens vero naturale, quod per innatam ſui facultatem operatur, non opus habet his rationibus; ſed naturali ſua virtute appoſitum obiectum facile iudicat. *Solutio 2.* *Solutio 3.*

Ad quartum dicimus quod cum ex directione, ac imitatione ſuarum cauſarum res omnes expetant bonum, ac verum; intellectus noſter, qui ex primo ente maxime bono, ac vero proximius dependet, reditumq; in ſuum principium affectat, optime valet ſua ſponte, ac ſine alterius excitamento oblatum verum cognoſcere, ac iudicare. *Solutio 4.*

Ad quintum reſpondemus quod pro formandis ratiocinationibus, quibus per effectus ad notitiam cauſarum, per corporea ad ſpiritualia, ac per accidentalia in cognitione formarum, & inſenſibilium eſſentiarum elleuemur, egere quidem intellectum noſtrum innata quadam virtute naturali, ex qua pro ipſa actione diſcurſſus roboretur; inſitis autem rationibus nequaquam egere. *Solutio 5.*

Poſtremum iure negabat in anima receptionem, quæ fiat cum alteratione diſponente ad interitum, qualis eſſet paſſio realis ex materialibus; cuius quidem humana mens non eſt capax; cum ſit ex ſe penitus immaterialis; receptio vero ſpecierum intelligibilium, & iudicium obiectorum ſenſibilium, quæ ei ex phantaſmatibus repræſentantur, cum abſque alteratione deſtructiua, & paſſio mere perfectiua ſit; propterea aptiſſime competit animæ immortali. *Solutio 6.*

Adducuntur opinio, ac fundamenta negantium omnem ſpeciem intelligibilem in intellectu. Cap. V.

ALiud genus ſpecierum intelligibilium affertur ab his, qui proprius Ariſtotelica dogmata philoſophantur; quæ non ſint animæ congenitæ, atque rationes Ideales, ſed ex ei extrinſeco ſenſibilium phantaſmate, ac opere intellectus agentis producantur, ac imprimantur in ipſum intellectum poſſibilem, qui per eas dicitur fieri obiecta ab illis repræſentata, quæ cum non ſint obiectum intellectus principale, ac per ſe intelligibiles (vt quod) ſed tantum (vt quo) quatenus ſcilicet ſunt rationes intelligendi; ideo per ſe ab intellectu cognoſcantur tantum per actum reflexum, poſtquam ex eis obiecta intelligibilia cognouerit.

Alij autem negant quamcunque ſpeciem impreſſam in intellectu ab actu intellectionis diſtinctam, ſpecies dumtaxat expreſſas, ſcilicet ipſa phantaſmata illuſtrata concedentes: ex quorum præcipuis ſunt in tertio de Anima Themiſtius, Theophraſtus, Henricus, Gandaueſ. Quodlibeto 4. quæſt. 7. 8. & 21. & Quodlib. 5. quæſt. 14. Ioannes Bacchonus 2. Sententiarum diſt. 6. quæſt. 1. artic. 3. Durandus ibidem diſt. 3. quæſt. 6. Gotfredus Quodlib. 9. quæſt. 19. ac Quodlib. 13. quæſt. 3. Buccaferreus tertio de Anima Lectione 22. Mercenarius in Dilucidationibus pagina 450. Franciſcus Piccolomineus in tertio lib. de Humana Mente cap. 7. & Zabarella in libro de ſpeciebus intelligibilibus cap. 5. quorum rationes eæ ſunt. Primo nulla forma non dependens ex materia ſe ſubijcere valet alteri formæ; non enim valet pati, ac recipere quod caret materia ex primo de Generatione, & corrup. 55. vbi etiam habetur quod, ſi reperiretur forma ſine materia, ea nil pateretur: Intellectus autem eſt forma non pendens a materia. *Qui intelligibiles ſpecies negarunt.* *Argumẽt. 1.*

Deinde quia forma non eſt idoneum ſubiectum receptiuum accidentium: vnde cum intellectus ſit forma non videtur poſſe recipere illas ſpecies accidentales. *Argumẽt. 2.*

Conſimiliter ſubſtantia immortalis non debet recipere accidentia variabilia, *Argumẽt. 3.*

quemad-

quemadmodum nec æternum corpus cęleſte accidens aliquod a mortalibus recipit: immortalis autem eſt intellectus, & ſpecies ſunt variabiles.

Argumēt. 4. Conſimiliter in præcitato loco ſic arguit Piccolomineus: Superius non perficitur ab inferiori vt a propria forma: Mens eſt perfectior quiditate materiata: Quare nequet ab illa, vt a forma perfici, ſed tantum eam valet iudicare; & hoc ſeruando leges tertij de Anima tex. 4. quod ſcilicet intellectus, vt dominetur, hoc eſt (vt intelligat) debet eſſe immixtus.

Argumēt. 5. Præterea nulla forma agit in ſua materia, quemadmodum forma ignis in ligno producta nequet agere in materiam eiuſdem ligni; ſed tantum ſe habet vt effectus: Quare, & talis ſpecies, quæ veluti forma producta eſſet in intellectu, non poſſet in illo agere intellectionem inducendo.

Argumen. 6. Adhuc ſi ſpecies imprimeretur, ſeruareturq; in intellectu; tunc non eſſet neceſſarium intellectui vt pro intellectione phantaſmatibus vteretur: cuius oppoſitum determinauit Philoſophus in tertio de Anima tex. 30. inquiens nunquam animam intelligere ſine phantaſmatibus; ac etiam in tex. trigeſimonono, vbi ait, oportere intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Argumen. 7. Quinetiam deſumunt fundamentum ex approbatiſſimo illo Ariſtotelis axiomate primi Phyſicorum, quod ſcilicet nil fiat per plura, quod poſſit fieri per pauciora: nunquamve natura in ſuperuacaneis redundet: tunc aſſerentes ad intellectionem ſufficere ſpeciem expreſſam, ideſt phantaſma illuſtratum, nec opus eſſe *huiuſmodi* ſpecierum, quæ ſi requirerentur, vel id eſſet pro repræſentando obiecto; ſed ad hoc ſufficere phantaſma illuſtratum; vel vt *mens* per ipſam intelligat; ſed hoc mentem non habere ab alio; cum ipſa ſit ex ſe principium intelligendi: vel vt ipſe intellectus determinetur magis ad vnum, quam ad aliud intelligibile; ſed ad hoc cauſandum phantaſma ſufficere: vnde inferunt tales ſpecies vt ſuperuacaneas abnegandas eſſe.

Argumētū. 8 Præterea poſitis his ſpeciebus, eas mens inceſſanter contemplaretur; ſpecies enim imprimi nequent in mente aliter quam a materia, & a materialibus conditionibus denudatæ: ex tertio autem de Anima 15. ac 16. contextibus omne ſeparatum a materia eſt intelligibile actu, quinnimo eſt idem cum ipſa intellectione, ac cum intellectu: vnde talis ſpecies ſemper actu intelligibilis impreſſa intellectui eſſet ab eo ſemper intellecta: Hoc eſt contra experientiam. Quare &c.

Argumēt. 9. Conſimiliter arguitur quoniam intellectus, cum ſit potentia naturalis, aptus ſemper eſt ad intelligendum dummodo præſens habeat obiectum: ſed poſitis his ſpeciebua impreſſis fieret vt ſemper præſens haberet ſuum obiectum actiuum; ac proinde quod ipſe ſemper intelligeret.

Argumē. 10. Inſuper vel tales ſpecies repræſentarent ſuum obiectum alio modo ab eo, quo eſt, vel eo, quo eſt: non primum quoniam eſſet deceptio: non ſecundum quia tunc pro repræſentatione rei materialis, & quantę deberet eſſe eiuſdem rationis, ac conſequenter non poſſet recipi in intellectu, qui eſt immaterialis, & indiuiſibilis.

Argumē. 11. Quia etiam intellectus habet notitiam multorum, quorum nullam poteſt habere ſpeciem; etenim Dei, Intelligentiæ, ac quarumcunque aliarum immaterialium rerum nullum habet phantaſma, ex quo talem ſpeciem ellicere valeat: inde ſpecies illę non neceſſariæ videntur.

Argumē. 12. Arguitur etiam quoniam vt ſe habet bonum ad voluntatem, ita ſe habere debet verum ad intellectum: ſed bonum non eſt in voluntate per medium ſpeciei: quare nec verum eſt per ſpeciem in intellectu.

Argumē. 13. Inſuper dum intellectus aliquid inſpicit, quod formaliter, & ſubiectiue ſit in eo, tunc edit actum reflexū: ſed tales ſpecies ſic exiſterent in intellectu: quare illius actus intellectionis ſemper eſſent reflexi: quod non contingeret ponendo ſpecies expreſſas, ſcilicet phantaſmata illuminata; ea ſiquidem extra ſe poſita inſpiciendo edere valet actus intelligendi rectos.

Argumēt. 14. Arguitur adhuc quoniam aut intellectio eſt paſſio mentis; & ſic ipſa cum ſit potentia

Digitized by Google

tentia actiua apta ex ſeipſa proprium actum edere præſente obiecto, dummodo habeat phantaſma valet ad intelligendum: aut eſt paſſio perueniens ex obiecto; & ſic quia primum quod cauſatur ab obiecto eſt paſſio illata in patiente, quæ non eſt ſpecies; igitur ſpecies non videtur neceſſaria.

Addunt quod ad vnionem cognoſcentis & cogniti requiritur tantum vt cognoſcenti præſens ſit cognoſcibile in eſſe obiectiuo expreſſo; ac ideo ſpecies impreſſas non requiri. *Argumẽ.* 15.

Nituntur vlterius in verbis Ariſtotelis tertio de Anima, vbi in tex. 14. inquit intellectum noſtrum antequam intelligat ſe habere veluti tabulam raſam, in qua nil depictum eſt: quibus excludere videtur ab intellectu quamcunque ſpeciem, & actum præcedentem intellectionem: Ac prius in textu 5. dixerat, intellectum nil eſſe actu eorum, quæ ſunt antequam intelligat; cuius oppoſitum ſequi videretur ex poſitione harum ſpecierum; ex quibus ſiquidem aliquid actu fieret ante intellectionem. *Argumẽ.* 16.

Addunt quod inde ſequeretur tria ineſſe menti intelligenti; nempè ipſam mentem, actum intelligendi, ac ſpeciem, quod alienum videtur ab Ariſtotele, qui tantum mentem, & intelligibile ſe cognoſcere indicauit. *Argumẽ.* 17.

Sequeretur etiam non fieri maxime vnum ex mente & intelligibile; quando ſcilicet vnirentur per medium ſpeciei: Sed hoc maxime vnum eſſet: Mens ſpecie formata. *Argumẽ.* 18.

Adducunt etiam litteram 20. contextus ſeptimi Phyſicorum, vbi ea verba leguntur; *Vt igitur neque cum dormiens excitatur, aut ebrius eſſe deſinit, aut ægrotans conualeſcit, fit ſciens, quamuis prius non valuerit vti, & agere ſecundum ſcientiam; ſed abeunte perturbatione, & ad tranquilitatem redacta mente, ineſt potentia ad ſcientiæ vſum; ita huiuſmodi aliquid fit in prima ſcientiæ adeptione; perturbationis enim quies quædam fit, & tranquilitas* &c. deinde colligens ait *Patet itaque quod alteratio in ſenſibilibus eſt, & in ſentiente animæ parte, in alia autem nulla niſi ex accidenti.* Ex quibus elliciunt mentem Ariſtotelis eſſe nil recipi in mente, ſed ab eo tantummodo prodire iudicium: quod ibidem, & ab Auerroe affirmatur. *Argumẽ.* 19.

Demum obijciunt quod ex his ſpeciebus impreſſis, ac ſeruatis in intellectu ſequeretur dari memoriam intellectiuam contra doctrinam Ariſtotelis in libro de Memoria, & Reminiſc. determinantis non dari memoriam ſenſitiuam ex conſeruatione phantaſmatum: Quare intelligibiles ſpecies hac, & prædictis obiectionibus vrgentur. *Argumẽ.* 20.

Oppoſita ſententia ſuſtinens ſpecies intelligibiles impreſſas in intellectu. *Cap.* *VI*

Quæ vero ſpecies intelligibiles menti impræſſæ præhabitis inuaſionibus oppugnantur, validioribus rationibus fulciuntur; adeovt concenſſum apud pleroſque philoſophantes adinuenerint; eas enim admiſit Auerroes in ſecundo de Anima comment. 149. ac tertio de Anima commentarijs 3. & 5. Diuus Thomas in prima parte ſuæ Summæ quæſt. 55. artic. 5. Albertus Magnus in Secundo Sent. diſt. 3. artic. 15. Alexander Alenſis 2. parte quæſt. 24. Scotus in primo Sentent. diſt. 3. quæſt. 6. Diuus Bonauentura in ſecundo Sent. diſt. 3. artic. 2. ibidemq; Richardus artic. 5. quæſt. 2. Gregorius Ariminenſis eodem Secundo diſt. 7. quæſt. 3. artic. 1. & Zimara Theoremate 82. quamuis aliqualiter inter ſe diſcrepent, cenſente D. Thoma quod ſpecies ſit forma intellectus, qui ea mediante intelligat. Scoto vero exiſtimante eam gerere tantum munus obiecti, quod cum nequeat eſſe præſens intellectui, a ſpecie illi repræſentetur: ſatis eſt tamen pro præſenti, quod in ſpeciebus concedendis conueniant: Cuius rei veritatem maxime ſuadere videtur opus quod habet intellectus alicuius inſtrumenti, quo poſt ſuam ſeparationem a corpore intelligere valeat; in de- *Ratio*

Digitized by Google

cimotertio namque textu primi de Anima habetur quod vt anima ſit ſeparabilis a corpore, habere debet operationem propriam: hoc eſt intelligere, quod ſine ſpeciebus impreſſis nullatenus habere poſſet anima a corpore ſeparata; cui ſiquidem præſentia phantaſmatum abeſt: Vnde cum ſeparabilitas animæ a corpore ex tot rationibus a nobis in propria de hac re quæſtione adductis certa ſit: colligitur inde talium ſpecierum neceſſitas.

Ratio 2. Subeſt vlterius rationabilitas quædam; cum enim ſenſus ignobilior facultas, cogniti obiecti imaginem recipiat, ac conſeruet; vt quid intellectus tam longe nobilior, cogniti a ſe obiecti ſpeciem non retinebit? adeo vt ſaluetur, iuxta contextum 3. lib. 3. de Anima, ita ſe habere intellectum ad intelligibile vt ſenſus ad ſenſibile, quatenus ſcilicet vt ſenſibile poſt ſenſationem ſui idolum in ſenſu relinquit, ita & in intellectu ſpecies intelligibilis poſt intellectionem maneat.

Ratio 3. Hoc propterea cognoſcere oſtendit Philoſophus in tertio de Anima contex. 6. vocans intellectum locum ſpecierum: quę verba quomodo verificari poſſint abſque *Euaſio.* tali ſpecierum inexiſtentia non apparet. Nec tute ſe defendit Piccolomineus in 3. libro de Humana Mente cap. 8. inquiens: Ariſtotelem ibi de ſpeciebus approbare *Impugnatio.* veterum ſententiam, non modum; Quocunque enim modo intellectus ponatur locus ſpecierum, neceſſarium videtur, vt ipſas tanquam *locatum in loco* recipiat. Quod confirmatum habetur ab eodem Ariſtotele in textu 8. eiuſdem *tertij de Anima* aſſerente, intellectum fieri omnia: qui deinde in textu 37. colligendo, ac exponendo prædicta ait (Animam eſſe omnia) ſic intelligendum eſſe, vt ſit omnia ſen-*Euaſio.* ſibilia per ſenſum; omniaq; intelligibilia per intellectum: Dicunt aduerſarij intelligendum exhinc eſſe quod anima fiat omnia, non per ſpecies, ſed per ipſammet ſen-*Impugnatio.* ſationem vel intellectionem. Sed huiuſmodi expoſitionem littera illa non perfert; in qua quidem, vt conſtat in tex. 2. 6. & 8. exprimitur, Mentem ita fieri omnia per intellectionem vt patiatur, ſitq; in potentia, & recipiat: at ſimplex intellectio, quæ fit per iudicium rei intelligibilis, non eſt paſſio, ſed actio ex potentia agendi *proueniens*: quare ad ſaluandam intentionem Ariſtotelis oportet vt in talem intellectionem, per quam intellectus fit omnia, ipſe præter officium actiuum iudicandi obiectum: recipiendo etiam intra ſe ſpeciem (eam ſaltem quæ conſequitur, & eſt veſtigium intellectionis) paſſiuam, ac potentialem facultatem exerceat. Conſimilem impugnationem ellicere vales a Scoto in præcitato loco, quia ſcilicet intentio Ariſtotelis in hac littera eſt quod anima fiat omnia per ſimilitudinem: at pura ſcientia abſque impreſſione ſpeciei intelligibilis non eſt ſimilitudo rei intelligibilis; actus namque contemplationis eſt ipſum iudicare; quod mens facit de ſuo obiecto: & iudicare non eſt ſimilitudo rei iudicatæ; extra enim formalitatem iudicandi adeſt ipſa res iudicata: Quare niſi ſimul cum actu intellectionis imprimatur ſpecies in intellectu, non licebit de intellectu dicere quod per talem intellectionem res intelligibilis fiat. Validiſſime inſuper improbat eam interpretationem, & principalem intentionen corroborat textus 8. eiuſdem libri, vbi habetur quod intellectus cum fuerit ſingula factus: nimirum dum omnia intellexerit, tunc valet ſeipſo operari, & ſeipſo intelligere; Si autem non haberet proprias ſpecies in ſeipſo contentas, ſed pro intelligendo mutari deberet auxilium à ſenſu in quo phantaſmata continentur; quomodo dici poſſet cum a ſeipſo operari: quomodoue poſſet ſeipſum intelligere niſi in ſe haberet illas ſpecies, per quas actu reflexo in ſeipſum cõuertitur, quæ enim ſunt ei extrinſeca, vt ſunt phantaſmata, non valet inſpicere aliter quam recto intuitu, per quem ſeipſum intelligere non poteſt. Inquit etiam ibidem quod intellectus poſtquam didiſcerit non eſt in potentia, vt erat antea, quod non verificaretur non conceſſa acquiſitione ſpecierum per intellectionem, tunc enim doctus ab indocto, & contemplans ab homine rudi nil diſtinguerentur; cum pariter in vtroque nulla interna ſcientia fuiſſet acquiſita.

Ratio 4. Potiſſima adhuc ratio deſumitur ex immediata intellectione quam facit perſæpe intellectus de vniuerſalibus; quod aliter contingere non videtur, niſi quatenus intellectus

Digitized by Google

tellectus inſpicit ſpeciem illam ſibi internam, quam ex comparatione multorum ſingularium a phantaſmatibus repræſentatorum olim conſtruxit, & in ſeipſo conſeruat. Reſpondent qui ſecus opinantur rationem, ſeu conceptum illum vniuerſalem recipere tunc intellectum ex phantaſmate: Haud probabiliter tamen; non enim eadem ſpecies repræſentare valet obiectum contrarijs rationibus: Sed contrariæ ſunt rationes vniuerſalis, ac indiuidui, phantaſmaq; repræſentat obiectum ſub ratione indiuiduali: quare id non poteſt facere per rationem vniuerſalem. Reſpondent idem phantaſma per lumen phantaſiæ repræſentare indiuiduum: at per lumen intellectus agentis repræſentare vniuerſale: quod dicunt ij, qui putant non intelligere formaliter niſi intellectum poſſibilem, & intellectum agentem illuminare tantum. Alij enim concedentes ipſum intellectum agentem proprie, & formaliter intelligere, dicunt quod ratio vniuerſalis, quæ intra phantaſmata manet inuoluta conditionibus materialibus, inſpicitur ab intellectu præſcindente ab ipſis conditionibus materialibus: At contra lumen non immutat, vel diſponit conditionem obiecti, ſed ipſum eo modo, quo eſt reddit conſpicuum: quare diuerſitas luminum non valet idem obiectum ad contrarias rationes vniuerſalitatis, & ſingularitatis deducere. Item quod ſecundum totam ſuam virtutem repręſentat obiectum in vna ratione non poteſt illud ſimul repræſentare in alia ratione: Phantaſma vero eodem tempore, quo vniuerſale innoteſcit repræſentat ſuum obiectum in ratione ſingulari: & hoc totali ſua poteſtate; alioquin imperfectior actus elliceretur ex phantaſmate quam is, quem ipſe præbere natus eſt: quare non videtur quod valeat idem repræſentare ſecundum rationem vniuerſalem. Inſuper quia phantaſma eſt repræſentatiuum naturale, ideo non aliter quam modo ſibi proprio, & quo obiectum continet ipſum repræſentare valet; nempe ſingulariter: Quod magis ſic argumentando probatur: Phantaſma eſt ſimulacrum repræſentatiuum indiuidui eo modo, quo eſt: Sed quicquid per phantaſma repræſentatur eſt ſingulare; nec vllo modo continet in ſe rationem, ſeu quiditatem vniuerſalem, quiditas enim vniuerſalis eſt in pluribus, ac de pluribus prædicatur; quiditas indiuidui competit vni tantum indiuiduo, non pluribus: quare non eſt vniuerſalis: Pariter quia indiuiduum continet in ſe naturam, non abſolutam, & communem, adeovt in vno indiuiduo ſit tota ſpecies, vel genus; natura enim vniuerſalis non niſi per ſui diuiſionem indiuiduis communicatur; ſed continet tantum naturam contractam, quæ eſt veluti portio quædam ipſius vniuerſalis: Vt ideo phantaſma repręſentans indiuiduum eo modo, quo eſt, nequeat repræſentare quiditatem vniuerſalem. Quinetiam quia ratio vniuerſalis ex natura rei nō eſt in indiuiduo; ſed formatur tātum ab intellectu dum cognitis ſingularibus, quæ ei phantaſmata reuelarint, per illorum comparationem format conceptum talis rationis, in qua conueniunt, qui proprie eſt ratio vniuerſalis, quæ nihil eſt in re ante operationem intellectus; adeovt in 8. contextus primi de Anima dixerit Ariſtoteles quod, animal vniuerſale aut nihil eſt, aut eſt poſterius ſingularibus: non ergo videtur quod poſſit ex phantaſmate repræſentari. Et adhuc quia agens naturale non impeditum ſtatim edit operationem perfectiorem, & faciliorem: vnde cum phantaſmati naturaliter agenti perfectior opus ſit repræſentare ſingulare; quia ſic repræſentat obiectum eo modo, quo eſt in re: idipſumq; ſit facilius; ſit enim ſine abſtractione, ſine comparatione, ac multiplicatione; proinde rationabile ſit vt ſingulare, non vniuerſale, repræſentet. Confirmatur hoc idem quoniam intellectus habens habitum ſcientiæ vniuerſalioris, & ſcientiæ minus vniuerſalis, vt Metaphyſicæ, & Naturalis, qui ſemper ſunt habitus diuerſi, exercere valet habitum vniuerſaliorem, ſcilicet vniuerſalius obiectum meditari non exercendo habitum ſcientiæ minus vniuerſalis, ſcilicet non ſpeculando obiectum illius ſcientiæ, quod eſt minus vniuerſale: Sed non poteſt intellectus exercere habitum ſcientiæ vniuerſalis niſi præſens habeat ipſius obiectum vniuerſalius in ratione talis vniuerſalitatis: Quare poteſt ei præſens eſſe vniuerſalius abſque minus vniuerſale: quod impoſſibile eſſet ſi quamcunque rationem vniuerſalem ipſummet phantaſma repræſentaret: quare

Euaſio. *Impugnatio.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

Digitized by Google

rationes vniuerſales ex ſpeciebus impreſſis, non ex phantaſmatibus repræſentantur.

Ratio 5. Præterea valet mens noſtra meditari rationem vniuerſalem per illius indifferentiam ad inferiora: Sed in vno indiuiduo non eſt ratio vniuerſalis ſecundum indifferentiam ad ſua inferiora: quare neceſſaria in mente eſt ſpecies, ex qua ratio vniuerſalis vt indifferens ad ſua inferiora repræſentari poſſit.

Notandum. Et adnotandum quod non loquimur de originaria, ſeu primæua cognitione, quam habet intellectus de vniuerſali; tunc enim (vt in ſequenti capite dicetur) concedimus quod abſque alia ſpecie intermedia intellectus noſter ex ſeminario phantaſmatis per ſuam actionem conſtruat rationem vniuerſalem; cuius ſemel cognitæ ſeruatur inde ſpecies intelligibilis in eo: ſed loquimur de alijs intellectionibus, quas deinceps circa eandem rationem vniuerſalem habet intellectus noſter (in habitu nempe exiſtens) quando ſcilicet ipſam immediate, & abſque alia præcedente actione ſpeculatur; tunc enim non amplius ex phantaſmatibus, ſed ex intelligibili ſibi proximiori, ac ipſi vniuerſali rationi adæquatiori, quam phantaſma, ſcilicet ex impreſſa ſpecie, debet ipſam rationem vniuerſalem accipere; tunc enim intellectus exercet actum ſecundum (qui ex actu primo, nimirum ex impreſſis ſpeciebus ad illam cognitionem attinentibus, in ipſoq; ſeruatis) dependet.

Ratio 6. Roborat etiam hanc ſpecierum poſitionem obſeruatio, quod meditatur perſæpe intellectus ſuimet actionem præteritam, inquantum præteritam, conſiderando ſcilicet

Euaſio. licet fluxum, ac diuturnitatem temporis, cuius non eſt phantaſma: Nec dici poteſt quod talis cõtemplatio innitatur ſaltem remote phantaſmati, quia ſcilicet repræſen-

Impugnatio. tat motum menſuratum ab illo tempore: Non inquam, nam quamuis phantaſma includat motum, tempus tamen, quod eſt excogitatum a ſolo intellectu, & remotum a ſenſibus non poteſt ex phantaſmate repræſentari: Inſuper quoniam tempus, & motus non ſunt eſſentialiter ſubordinata, vt ratio vniuerſalis, & ſingularis, ſed ſunt entia realiter diſtincta: Tertio quia quamuis in illis cogitationibus, quę fiunt curſu temporis, & intercedentibus alijs operationibus intellectus liceat intellectui ex phantaſmate deſumere remotam repræſentationem rei inſenſibilis, quæ cum ſenſibilibus habeat connexionem; dum tamen aliquod inſenſibile, vt tempus, animam, aut ſubſtantiam ſeparatam immediate concipit, dumve in conceptum, ſeu propoſitionem vniuerſalem repente incidit abſque aliqua præcedenti conſideratione; tunc nequet ab alio, quam ex proxima aliqua ſpecie tale obiectum per ſe repræſentante illum actum intellectionis educere.

Conſimiliter meditatur intellectus ſuam præteritam ſpeculationem, & actum aliquem voluntatis, quorum phantaſma habere non poteſt. Quod enim ſpeculando conceperit, atque crediderit, in ſubſtantijs a materia ſeparatis, ſpecies eſſe indiuiduo multiplicabiles, vel non; vel quod definitio tradenda ſit per genus & differentiam; ſeu de alijs huiuſmodi: non poteſt habere phantaſma.

Non dari aliam ſpeciem in intellectu præter illam, quæ ſequitur actum intellectionis. *Cap. VII.*

HVnctis adhuc viribus cum aſſertoribus ſpecierum intelligibilium pugnauimus tuendo illorum ſententiam quatenus illam in ea parte probamus quod, poſtquam intellectus phantaſmate excitatus aliquid cognouerit, ex illoq; intellectionis actu ſpecies quædam idola rei intelligibilis, ſeu ipſius obiecti quocunque modo intellecti reſſultauerit; ſpecies illa impreſſa in intellectu ſeruetur; vt cum deinde obiectum illud ſeu ſecundum rationem ſingularem, ſeu ſecundum vniuerſalem (ſecundum quam tamen ipſum ſemel apręhenderit) denuo velit intellectus contẽplari; tunc abſque ope phantaſmatũ; ſed per proprias ſpecies ex actibus intellectus acquiſitas hoc facere valeat: Modo vero aduerſus eoſdem eſt nobis ineunda contentio ad reprobandas ſpecies illas intelligibiles, quas ponunt pręcędentes actum intellectus, quem quidem ſeu po-

Digitized by Google

ſentia, ſeu in habitu exiſtentem nunquam intelligere poſſe cenſent ſine auxilio ſpecierum ei ante actum intellectionis impræſſarum: De quo ſenſum noſtrum afferentes fatemur quod cum duplex humanæ menti contingat intellectio; altera nempe Habitualis, quando ſcilicet rem aliàs inſpectam intelligit: alia autem Originalis, nimirum dum obiectum nondum a ſe cognitum appræhendit: Intellectio Habitualis habet ſpeciem intelligibilem menti impræſſam; nam cum a principio intellexerim (exempli gratia) Socratem; tunc ſpecies Socratis tanquam veſtigium talis intellectionis in meo intellectu remanſit: ac pariter cum deinde per comparationem illius cum alia ſpecie indiuiduali formauerim conceptum ſpecificum hominis: ſimulacrum humanæ ſpeciei, vt veſtigium illius intellectionis in mea mente eſt ſeruatum; (non enim quod iteratæ eiuſdem obiecti intellectioni prodeſſe poteſt, aboleri, natura permiſiſſet) adeovt cum deinceps idem Socrates, aut eadem ratio humanæ naturæ concipienda occurat, tunc non amplius ſit neceſſarium intellectionem ex phantaſmatibus quærere; aptius ſiquidem, ac ſufficiens ſuffragium ex ſpecie illa iam impreſſa præbetur. Intellectio vero Originalis non inuenit in intellectu præcedentem aliquam ſpeciem impreſſam; ſed ſolum poſt confectum actum intellectionis, quem intellectus ex ſpecie tantum expreſſa, ſcilicet ex ipſo phantaſmate ellicuit, ſeruatur in eodem intellectu ſpecies ſubſequentibus intellectionibus inſeruiens. *Duplex Intellectio.*

Per quam quidem duplicem aſſertionem optime adæquari videmur verbis, ac intentioni Ariſtotelis: per hoc enim quod poſt intellectionem quamlibet conſeruetur ſpecies impreſſa in intellectu, ſaluatur id, quod traditum eſt in tertio libro de Anima tex. 2. quod ſcilicet, intellectus patitur ab intelligibili! quæ quidem paſſio connotare videtur receptionem: Ac quod habetur ibidem in textu 3. videlicet intellectum eſſe ſuſceptiuum ſpeciei; quæ quidem ſuſceptio præſupponere videtur ipſarum ſpecierum impreſſionem. Adhuc quod habetur in textu 6. ſcilicet intellectum eſſe locum ſpecierum: quod exponens Auerroes dicebat differe mentem a loco proprie dicto quatenus locus recipiendo locatum non fit illud: Mens vero fit illud quod recipit. Pariter & quod legitur in textu 8. ſcilicet, intellectum ſingula fieri, quod repetitum eſt in decimooctauo: Pro cuius declaratione deinde in contextibus 37. & 38. additum eſt, animam ita fieri omnia, vt per ſenſum fiat omnia ſenſibilia, ac per intellectum fiat omnia intelligibilia: Vnde & Auerroes in 5. commentario eiuſdem tertij libri dicebat conceptus intellectus duo habere ſubiecta; alterum per quod ſunt entia, & alterum per quod ſunt veri: ſignificans pro ſubiecto quo ſunt veri ipſum obiectum externum, per cuius adæquationem ad intellectum oritur veritas ipſius conceptus: per ſubiectum autem quo ſunt entia, ipſam mentem, cui inhærrent. Saluatur adhuc æternitas animæ rationalis, de qua dictum eſt in 13. textu primi de Anima: non eſſe reputandam a corpore ſeparabilem, niſi ex ſe, ac ſine corpore valeat ad aliquam propriam operationem, quæ aliud non eſt, quam ipſum intelligere. Quod itidem conſentaneum eſt contextui 16. noni Metaphyſicorum ſtatuenti ipſum intelligere eſſe operationem immanentem: Quinetiam ſaluatur quod intellectus habeat habitus, ſcilicet Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ, & Artis, vt habetur in primo, & ſexto Nicomachiorum; quia ſcilicet præcognitorum obiectorum ſpecies impreſſæ, quæ ellaboratiores, ac inde magis intellectui congruæ, ſunt, atque conformes, faciliorem reddunt nouam illorum intellectionem, quam fuerit illa primaria, quæ neceſſe habuit intellectus ſibi ex ſenſibilibus phantaſmatibus excerpere. Hic autem habitus ſcientiæ eſt idem cum illo, de quo docet Philoſophus in ſecundo de Anima contex. 2. ac 5. eſſe actum primum, contemplationemq; eſſe actum ſecundum procedentem ex primo: qui propterea debet eſſe inexiſtens, ac impreſſus, adeovt conueniant ei conditiones habitus, de quo in libro Categoriarum in Prædicamento Qualitatis docet Philoſophus quod ſit qualitas primæ ſpeciei animæ inhærrens, diu manens, ac de dificili ſeparabilis ab ea. Ac demum optime ſaluari videntur in intellectu differentiæ agentis, & poſſibilis; quia *2. Aſſertio. Comprobatio prima.*

 ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet per facultatem poſſibilem nedum percipiat obiectum, ſed & recipiat, eiq; inhærrenti ſe ſubijciat, ſecus ac facultas agens, cuius eſt abſque alicuius medij interuentu, obiectum, ſeu in phantaſmate, cum originaliter; ſeu in ſpecie impræſſa, cum habitualiter, intelligit, iudicare.

2. Aſſertionis Comprobatio. Per alteram autem aſſertionem (ſcilicet quod originalem intellectionem elliciat ſibi intellectus immediate ex phantaſmate; nec aliqua ſpecies intelligibilis impreſſa præcedat talem actum intellectionis) ſaluatur id, quod docet quintus tex. tertij lib. de Anima, nimirum intellectum nihil eſſe actu eorum quæ ſunt antequam intelligat: cui correſpondet aſſertio decimiquarti tex. intellectum nempe ante intellectionem ſe habere ab inſtar tabulæ, in qua nil ſit deſcriptum: Nec minus quam Ariſtotelicæ menti, rationi ipſi id conſentaneum apparet; qua enim ratione alienum ſuadetur ab intentione inſtitutoq; naturæ quod, ſpecies ex actibus intellectionis extructæ, quæ ipſi intellectui pro noua intellectione vtili vſui eſſe poſſunt, deleantur, & pereant; conſimili iudicio, cum intellectus primarium eius intellectionis actum ſatis per ſe valeat ellicere a phantaſmatibus ex ſe natis mouere intellectum per rationem obiecti, quæ quantum requiritur, in ipſis ennitet; non eſt putandum ſuperfluum harum ſpecierum intermedium inſtituiſſe naturam; cuius eſt nec in neceſſarijs deficere, ea ſcilicet deſtruendo, quæ proſunt; neque in ſuperfluis redundare. Et valide id comprobatur ex conditione ſubordinatarum facultatum, in quibus ſemper obiectum innoteſcit ſuperiori per actum inferioris ei proxime, vt ſenſui interno per actum ſenſus externi; appetitiuę potentiæ per actum phantaſiæ, ac voluntati per actum intellectus: vnde cum phantaſia ſit facultas proxime ſubordinata intellectui, rationabile eſt vt eodem ordine ſeruato, actum ipſius phantaſiæ ſtatim, ac ſine neceeſſitate intermediæ ſpeciei appræhendat.

Obiectio. Sed vrgent hanc noſtram ſententiam non leues obiectiones: & primo ſic argui ſolet: Intellectio eſt vnio intellectus cum intelligibili; quia niſi intelligibile præſens ſit intellectui, & ipſe intellectus vniatur obiecto, non ſequitur actio: oportet igitur intelligibile in intellectu ſpiritualiter imprimi; non enim erit vnio ſi intelligibile extra intellectum exiſtat.

Solutio. Recte ante nos reſponſum inuenimus, exinde concludi tantum neceeſſitatem illius ſpeciei impreſſæ, quæ eſt idem cum actu intellectionis; in qua ſiquidem ſpiritualis imago obiecti, intellecti exinde reſultans, vnitur intellectui.

Replica duplex. Sed non acquieſcentes aduerſarij oppugnant reſponſionem ita arguentes: Ipſa intellectio non eſt obiectum, ſed præſupponit ipſum obiectum intellectioni ſpiritualiter præſens: ſed illud, per quod obiectum eſt ſpiritualiter præſens non eſt aliud quam ſpecies intelligibilis imprę́ſſa: probatur quoniam omnis vnio præſupponit extrema in eſſe; ſed intellectio eſt vnio intellectus cum obiecto intelligibili; ergo intellectio actualis pręſupponit obiectum in eſſe potentiali ad actualem vnionem in intellectu: quod non videtur eſſe aliud quam ſpecies.

Addunt quod actualis intellectio vel eſt iudicium, vel receptio iudicij; neutrum autem eſt rei ſimilitudo; ſed præſupponit ſimilitudinem eius, de quo ſit iudicium.

Solutio prima. Quas inſtantias ſoluentes reſpondemus ad primam quod triplex eſt intellectionis obiectum: aliud materiale, & remotum, quod eſt ipſa principalis, & realis res, quæ intelligitur: aliud minus remotum, minuſve materiale, ſed intentionale, quod eſt phantaſma: tertium vero eſt proximum, & formale, ſcilicet ipſa ſpecies intelligibilis, quæ conficitur per actum intellectionis, & poſt ipſum ſeruatur: ita que cum dicitur intellectionem præſupponere obiectum præſens: ſi intelligatur de obiecto ſecundi generis concedimus: ſi de tertio genere negamus: Ad probationem quia vnio præſupponit extrema in eſſe: ſi intelligatur quod extrema præexiſtant vnioni ſaltem in potentia concedimus: ſi quod præexiſtant etiam actu negamus; etenim quemadmodum materiæ ligni vnitur eſſentialiter forma ligni, quæ non præexiſtebat ante vnionem, ſed in eodem inſtanti, quo in materia producitur cum eadem materia vnitur; ſic & ſpecies intelligibilis, ex qua, ac ex intellectu non minus quam ex

forma

Digitized by Google

forma ignis, & materia ſit vnum, cum ſit qualitas quædam ſeipſa conſiſtere nequens dum primo ex occurſu intellectus cum phantaſmate, tanquam eorum proles in lucem editur; eodem temporis momento ipſi intellectui adhærret, ac imprimitur. Propterea ad alteram inſtantiam reſpondemus quod intellectio eſt ſimul iudicium, ac receptio iudicij, quæ quamuis ſecundum præciſos quoſdam conceptus, ſeu rationes formales diſtinguantur: ſecundum tamen eorum realitatem ſunt idem inter ſe, ac cum intellectu; indiſtincte enim ſe habent ſpecies actualiter intelligibilis, iudicium de ipſa, & receptio ipſius iudicij in intellectu.

Sed inſtabitur adhuc quoniam non poſſunt eſſe idem quæ a diſtinctis cauſis producuntur: ſpecies intelligibilis producitur ex phantaſmate illuſtrato, & actus intellectionis ex intellectu, quæ ſunt cauſæ diſtinctæ: ergo ſpecies intelligibilis non eſt idem cum actu intelligendi. *Replica.*

Negamus talem diſtributionem cauſalitatis; tam enim intellectus, quam phantaſma, ſunt cauſæ actus intellectionis, ac etiam ſpeciei: phantaſma quidem obiectiue; at intellectus efficienter; quatenus iudicando phantaſma conficit ſpeciem intelligibilem, quæ non eſt aliud, quam actus intellectionis. *Solutio.*

Obſtat & argumentum, quod colligitur & Scoto in 2. Sent. diſt. 3. quæſt. 6. eo pacto: Intellectus agens eſt potentia actiua vera, & realis; ac ideo debet habere vnum terminum ſuæ actionis realem, ſaltem ex realitate, ſecundum quam etiam ſcientiæ, ac intentiones animæ vocantur entia realia: Sed talis terminus non eſt in phantaſmate; quia quod recipitur in phantaſma eſt extenſum; cum & ipſum phantaſma ſit extenſum, & quantum: & intellectus, qui eſt omnino immaterialis, nequet producere effectum extenſum, & materiatum: Quare debet eſſe ſpecies intelligibilis impræſſa ante actum intellectionis. *Obiectio.*

Cui reſpondemus: pro hoc termino intellectus agentis, duo intelligi poſſe: ſcilicet obiectum, quod ab eo iudicatur: ac terminum, ſeu finem eius actionis; ex quibus, obiectum eſt phantaſma, quod intellectus primo reſpicit, quodve iudicando format actum intellectionis, ſpeciemq; intelligibilem exinde conſurgentem: Nec obſtat quod phantaſma habeat extenſionem; habet namque extenſionem quoad rem repræſentatam, ideſt intentionaliter; non quoad repræſentatiuum, ſcilicet quoad ipſummet phantaſma. Inſuper quoniam etiamſi in ſeipſo quantum, & extenſum eſſet, non inconueniret, quia vnumquodque recipitur per modum recipientis, quod quemadmodum ſenſus materialis recipit ſpeciem obiecti ſine materia; pariter & intellectus exercendo facultatem eius immateriali naturæ ſpectantem, ex obiecto quantumuis materiali immaterialem conceptum educeret. Terminus autem eſt ipſa ſpecies intelligibilis conſiſtens in actu intellectionis; qui quidem actum illum non præcedit. Et quia inſtatur quod obiectum debet præcedere actum potentiæ, cuius eſt obiectum: Repetendum pro ſolutione id, quod nuper dictum fuit: quod ſcilicet præcedere vtique debet actum potentiæ intellectiuæ obiectum principale, ac phantaſma: obiectum vero proximum, & formale, ſcilicet terminus intellectionis, qualis eſt ſpecies intelligibilis, præcedere non debet. *Solutio.* *Inſtantia.* *Solutio.*

Obijci adhuc poteſt quia ex 2. tex. tertij de Anima ita ſe habet intellectus ad intelligibile vt ſenſus ad ſenſibile: ſed ſenſus a ſenſibili recipit ſpeciem diſtinctam ab actu ſentiendi: Quare & intellectus recipere debet ſpeciem diſtinctam ab actu intelligendi. *Obiectio.*

Cui reſpondebitur ſimilitudinem ibi aſſignatam non eſſe omnimodam: adeovt dicat identitatem; ſed in eo ſufficienter verificari quod vtraque ex illis potentijs in reſpectu ſui obiecti eſt paſſiua: vtraque eſt apta ſuſcipere rerum imagines, ac vtraque reſpectu ſui obiecti eſt in potentia, & non actu. At nec etiam reſpectu ſpecierum deeſt illarum ſimilitudo; nam vt nunc fatemur de ſpeciebus intelligibilibus, ita in ſecundo capite præſentis tractationis probauimus: non eſſe neceſſarias ſpecies ſenſibiles præcedentes actum ſenſationis; *Solutio.*

Nec efficax eſſet pro confirmatione ratio Scoti in præcitato loco, quod ſcilicet *Obiectio.*

magna

Digitized by Google

magna eſſet imperfectio intellectus ſi nobiliſſimæ eius operationis principium non in eo, ſed in corpore, ſcilicet in potentia ſenſitiua corpori infixa, inexiſteret. Quamuis enim in præcedenti capite exageratum a nobis ſit, conferre ad decus, ac perfectionem intellectus conſeruationem ſpecierum intellectarum: loquendo tamen de ſpeciebus antecedentibus tanquam neceſſarium ſubſidium intellectionis: dicimus ex oppoſitio quod illarum poſitio argueret quinnimo dedecus, & imperfectionem naturæ intellectualis; cui vt conuenit habere intra ſe principium intellectionis efficiens, ſcilicet vim per quam ad iudicandum obiectum, & ad illius intelligibilem imaginem ſubeundam roboratur; nobilius eſt tamen quod paucioribus egeat inſtrumentis ad intelligendum; naturalium enim potentiarum ea eſt pręſtantia, vt vel ex ſe ſufficiat, vel non multorum auxilium pro ſua obeunda munera expoſcat, vt ex primo de Cælo 100. colligi poteſt.

Solutio.

Quinetiam arguitur quoniam omnis paſſiua potentia prius formam recipit, ac deinde per illam agit: ſed intelligere ex 2. textu tertij de Anima eſt quodam pati, ſe habetq; intellectus poteſtate velut materia prima, vt ex ſequenti contextu colligitur: debet ergo ſpeciem recipere antequam actio ex illo procedat. Reſpondemus paſſionem intellectus conſiſtere in receptione ſpeciei intelligibilis conſurgentis ex actu intellectionis, ſcilicet ex iudicio quod fit ab intellectu de re intelligibili, per quod ipſe intellectus dicitur perfici, actuari, ac idem fieri ab intelligibili: eius autem ſimilitudo cum materia eſt quidem in parte, non autem abſolute, adeovt debeat prius quam intelligat recipere nouam formam.

Obiectio. *Solutio.*

Prætereunda autem eſt ratio dicentium: requiri illas ſpecies, quibus intellectus percipit obiecta communia, quæ ei phantaſmata repræſentare non valent. Conſtat enim ex dictis in capite præcedenti: intellectum nunquam accipere conceptum vniuerſalem immediate, ſed poſtquam ipſum ſibi effinxerit per comparationem ſingularium iam cognitorum, quorum ſpecies in ſe poſt illorum intellectiones retineat.

Oſtenditur imprimi in intellectu ſpecies intelligibiles præter vniuerſales, etiam ſingulares. Cap. VIII.

EXigit pręſentis tractationis perfectio determinationẽ de ſpeciebus intelligibilibus ſi præter communes, etiam ſingulares intellectui imprimantur; de quo partem negatiuam amplexi Diuus Thomas in prima parte ſuæ Summæ quæſt. 86. artic. 1. & ſecundo contra Gentes cap. 65. ac in tertio de Anima quæſt. 13. Capreolus in primo Sentent. diſt. 35. quæſt. 2. ijs nituntur rationibus. Euitat natura pluribus facere, quod paucioribus edere valet: ſpecies rationum vniuerſalium a phantaſmatibus adiutæ ſufficiunt ad cauſandam intellectionem ſingularium; nam vt phantaſma ſimul cum intellectu agente producit ſpecies intelligibiles, ita cum intellectu poſſibili iam ſpecie vniuerſali prædito poterit producere conceptum rei ſingularis, cuius eſt phantaſma: Vnde a natura aliena videtur inſtitutio ſpecierum ſingularium.

Negantes ſpecies ſingulares intellectui. *Argumẽt. 1.*

Secundo recipitur quodcunque ſecundum conditionem recipientis: Humana mens eſt immaterialis: quare ſpecies in ea receptæ debent eſſe immateriales, ac ideo non valentes repręſentare ſingularia, quibus inſunt conditiones materiales, ſed tantum vniuerſalia ab huiuſmodi conditionibus ſoluta: Et ad reſponſionem quod immaterialitas mentis expetit ſpecierum immaterialitatem in eſſendo, non in repræſentando. Inſtatur quoniam in 16. textu tertij de Anima inquit Philoſophus res materiales, quæ tantum potentia ſunt intelligibilia, fieri intelligibilia actu per abſtractionem a materia: At per talem abſtractionem non videtur ſignificare realem ſeparationem rerum a materia, qua conſtant: nec ſeparationem ſpecierum a materia in communi, quæ vniuerſalibus competit: ſed eius abſtractionem a materia indiuiduali, quæ eſt craſſior, ac mentis immaterialitati alienior.

Argumẽt. 2. *Reſponſio.* *Replica.*

Præte-

Digitized by Google

Præterea in decimo textu eiuſdem 3. de Anima habet Philoſophus quod anima noſtra ſenſitiuo cognoſcit calidum, frigidum, & ipſam carnem; qualia ſunt indiuidua materialia: *eſſe carnis* autem per aliam facultatem, aut ſeparabilem, ſcilicet diuerſam ab ea, qua cognoſcit carnem, aut ſe habens ad ſeipſam veluti linea circumflexa cum extenſa fuerit: ſignificans tunc Ariſtoteles, iuxta quamplurium expoſitorum interpretationem indiuidua ab intellectu, non directa, ſed reflexa tantum intellectione percipi: Quoniam vero ſpecies intelligibiles ſingularium, ſi in nobis eſſent, deberent directe cognoſci; concluditur inde quod non adſint. *Argumēt. 3.*

Inſuper diſtinctarum potentiarum diſtincta ſunt obiecta: ſed ſpecies ſunt obiecta cognoſcibilia potentiæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ: ergo vel ſpecies ſingulares propriæ ſenſus non competunt intellectui, vel ſenſus & intellectus ſunt eadem potentia. *Argumēt. 4.*

Concurrunt ad eandem probationem omnia argumenta oppugnantia cognitionem intellectus de indiuiduis, quæ a nobis commemorata in propria quæſtione, quam de Intelligibilitate ſingularis inter Phyſicas diſputationes ſcripſimus: hic iure prætermittimus.

Pariter etſi valde ſuffragantes oppoſitę ſententiæ, quam cum Scoto, & alijs tuemur, vt ibidem adductas, non repetimus rationes probantes ſingularia ab intellectu cognoſci: qua quidem veritate conſtituta, & ſuppoſita, ſequitur exinde iuxta prædicta a nobis in capite 6. neceſſitas ſpecierum ſingularium, quæ poſt ipſorum ſingularium intellectionem menti impræſſæ remaneant. *Euerſio.* *Ratio 1.*

Et talis poſitio conformis eſt Ariſtotelicæ doctrinæ a nobis ennucleatæ in propria quæſtione de Separabilitate animæ rationalis a corpore, ac proinde de eius in illo ſtatu intellectione, quæ cum eſſe debeat etiam de ſingularibus, requirit ideo ſpecies ſingulares intellectui impreſſas. *Ratio 2.*

Vigetq; eiuſdem poſitionis rationabilitas eo magis quod, nihil his ſpeciebus repugnat: Nec tute dicunt quidam conſiſtere repugnantiam tum in ratione ipſarum ſpecierum, quibus dedecet talis coarctatio, vt vna earum ad vnici tantum indiuidui repræſentationem valeat: tum etiam in ratione intellectus, cuius amplitudinem tam limitatæ ſpecies non decent: E contra enim nobilitati intellectus magis conuenire videntur ſpecies ſingularium, cum ipſæ præſtent communibus, tum ob adęquationem repræſentationem; repræſentant enim res abſolute eo modo, quo ſunt: tum etiam ob excellentiam rei repræſentatæ; natura enim indiuidualis præterquam quod eſt exiſtens, & maxime realis, plures etiam rationes, ſeu gradus eſſentiales continet quam vniuerſales. *Ratio 3.*

Exinde conſimilis ratio formatur; quod ſcilicet: naturales cauſæ non impeditæ perfectius quod valeant opus efficiunt: intellectus vero, atque phantaſmatis, quæ ſunt cauſæ naturales, perfectius opus eſt ſpecies ſingularis, & nullum illius productioni apparet obſtaculum: Quare &c. *Ratio 4.*

Accedit experientiæ lumen, quo conſtat intellectum particularia cognoſcere: Hoc autem habere nequet aliter, quam per ſpecies particulares; per ſpecies enim vniuerſales, quæ confuſe tantum, ac indiſtincte reprę ſentant particularia, nunquam poterit intellectus perfectam illorum notitiam habere. Euadere nituntur dicentes quod quamuis illa ſpecies rationem tantum præſeferrat vniuerſalem, ob eius tamen affinitatem cum phantaſmate rei ſingularis, ex quo fuit educta, valet ad determinandam in intellectu cognitionem ipſius rei ſingularis: At ex aduerſo quęritur an per talem affinitatem cum phantaſmate ſpecies communis ipſum particulare appoſite repræſentent, vel non: ſi non; tunc nullo modo ad ipſius cognitionem deducet: ſi ſic, adeo vt menti noſtræ inſint ſpecies, quæ æque vniuerſales, ac ſingulares naturas præferrant, quas ſeparatis tantum ſubſtantijs Theologi attribuerunt: tunc non valebit intellectus illud ſingulare meditari, niſi dum præſens habeat phantaſma: quod falſum eſſe perſæpe comperimus, dum rei alicuius imaginem obliti: vnde illius phantaſma iam a nobis euanuiſſe ſuademur, formamus conceptum de *Ratio 5.* *Euaſio.* *Impugnatio.*

ipſa: vt

Digitized by Google

ipſa: vt ideo credere teneamur, ſpeciem intelligibilem non per phantaſma; ſed per ſuijpſius rationem (quia ſcilicet ſit ſingularis) rem ſingularem intellectui repræſentare: *Praeoccupatio* Quod ſi dicatur intellectum nunquam concipere ſingulare, niſi præſens ſit illius phantaſma: Præterquam quod id falſum experientia ſuadetur. Accedit quod cum phantaſma ex ſe ſolo (vt in præcedenti capite oſtendere niſi ſumus) valeat ad ſuum obiectum repræſentandum, ideo eo præſente ſuperfluum eſt ſpeciei vniuerſalis auxilium: Adde, & quidem fortius, quod intellectus per ſpecies nedum intelligit ſingulare, ſed noſcit ipſum per differentiam ab vniuerſali: quod quidem cauſare non poteſt eadem ſpecies per ſolum auxilium phantaſmatis; ex quo poſſet quidem fulciri adeo, vt oſtenderet res diuerſas; non autem taliter vt etiam quatenus a ſeinuicem differentes repræſentaret: vnde rationabile ſit quod ratio particularis, non per ſpeciem vniuerſalem phantaſmatis ſubſidio munitam, ſed per ipſammet ſpeciem ſingularem ab intellectu cognoſcatur?

Ratio 6. Corroboratur maxime hec veritas exinde quod intellectus percipit rem ſingularem penitus a materia abiunctam vt ſupræmi Motoris fælicitatem, diaboli malitiam; meditaturq; præteritum a ſe actum huius, alteriuſve intellectionis, quæ nequent ei ex phantaſmatibus repræſentari: Nec dici poteſt id non procedere ex memoria intellectus, ſed ex ſenſitiua: Non enim valet facultas organica recipere obiecta penitus immaterialia: Nec valet ſenſus recolere ſingularem aliquam intellectionem factam de vniuerſali, puta quod omnis lapis ſit grauis, cum ei non datum ſit attingere vniuerſalia.

Ratio 7. Vlterius, cum intellectus cognoſcat ſingularia: quinnimo non niſi poſt illorum notitiam valeat per inductionem parare ſibi cognitionem vniuerſalis: cumq; ex illa cognitione ſingularis conſurgat ſpecies, quæ imprimi poteſt in mente, vt iteratæ eiuſdem ſingularis intellectioni inſeruiat, vt quid putandum eſt eam deleri, vt deinde intellectus pro ipſius ſingularis intellectione improprium auxilium à ſpecie vniuerſali; deteriuſq; ex ipſo phantaſmate mutuetur?

Ratio 8. Ac demum quoniam eo minus videtur innoteſcere poſſe ſingulare ex ſpecie communi, quo ſpecies ipſa communis educitur ex ſpecie ſingulari tanquam ex ſeminario vberiori, ac latiori: Vt ideo ineſſe debeant intellectui ſpecies particulares pro intellectione particularium.

Solutio 1. argumenti. Supereſt ſolutio argumentorum; quorum primum procedit ex falſa ſuppoſitione quod prius in intellectu producatur ſpecies, ac cognitio vniuerſalis, quam ſingularis, dum ex oppoſito intellectus in cognoſcendo æmulus naturæ in producendo, quæ orditur a ſingulari, prius ipſum ſingulare cognoſcit: nec aliunde quam ex iam intellecto ſingulari comparat ſibi notitiam vniuerſalis: Quamuis autem intellectui pro intellectione ſingularis originaria, quæ rudis, & craſſior eſt, ſufficiens quodam lumen phantaſma ſuppeditet: poſtquam tamen ſemel habuit ſingularis intellectionem; vnde mens potuit illius ſpeciem nobiliorem, & aptiorem ſibi retinere, dedeceret vt dum iterum rem ipſam contemplaturus vti poteſt medio ſibi intrinſeco, atque perfectiori, adhuc externum lumen inquirens, ſeipſum ad ſenſum, & phantaſmata inflecteret.

Solutio 2. Subſequenti optime iam reſponſum fuit: ſatis adæquari conditioni intellectus ſpecierum immaterialitatem quoad eſſe; nec requiri quoad repræſentandum: Et intentio Ariſtotelis in illo textu 16. eſt aſſignare diſcrimen inter obiecta proxime mouentia facultatem ſenſitiuam, & intellectiuam, quia ſcilicet ipſemet res materiales attingere valent ſenſum, ipſumq; proxime mouendo excitant ſenſationem: intellectum vero nullatenus res materiatæ, ſed tantum ſpecies illæ ſine materia, quas ſenſus per ſuos actus ſenſationis concipit attingere valent: quæ quidem ſpecies repræſentatione materiæ nihil officiunt, quinnimo congruunt perfecto officio intellectus.

Solutio 3. Quod ſpecat ad tertium argumentum, ac decimum illum contextum: quamuis Latinorum quamplures, præcipue Diuus Thomas in Quæſtionibus Diſputatis de

Veritate

Digitized by Google

Veritate quæſt. 2. artic. 10 ac Scotus in tertio libro de Anima quæſt. 22 (cum aliqua tamen differentia inter ſe) ſingulare a noſtro intellectu haud directa, ſed tantum reflexa cognitione percipi pronunciauerint: nos tamen vnà cum Alexandro, Simplicio, Themiſtio, alijſq; Græcis oppoſitum ex ea littera colligimus; cum enim a principio ex phantaſmate obijciatur intellectui res ſingularis, tunc facile, & directe percipitur ab intellectu, cuius ſiquidem operatio directe ad ipſum terminatur: dum vero intellectus ex illa iam ſibi impræſſa ſpecie ſingulari effingere velit conceptum vniuerſalem, vel illius obiecti ſingularis quiditatem abſtractam; tunc opus eſt vt in ſeipſum, ſcilicet in ſpeciem iam ſibi internam per quandam reflexionem conuertatur.

Poſtremum apte ſoluitur dicendo diſtinctionem obiectiuam ſenſus, & intellectus non requirere incommunicabilitatem obiecti quoad rationem ſingularem: ſed ſatis ſaluari in inæqualitate facultatis receptiuæ ipſius obiecti: quia ſcilicet cum ſenſitiua poteſtas ſingulare tantum attingat, intellectus acies pręter ſingularia, vniuerſalia etiam appræhendit. *Solutio 4.*

Argumenta V. capitis diluuntur. *Cap. IX.*

SOluenda ſunt argumenta improbantia ſpecierum impreſſionem in tertio capite adducta quorum primum euertit diſtinctio formarum in reales: quales neutiquam alia forma ſubiret; ac intentionales, cuiuſmodi ſunt ſpecies intelligibiles, quibus abſque inconuenientia ſimplex forma intellectiua ſubijcitur: ac exinde patitur paſſione intentionali, quæ ex ſui immaterialitate expers eſt a paſſione reali. *Sol. 1. argum.*

Tollit etiam ſecundum diſtinctio quod alia eſt forma, ſeu eſſentia a materia penitus abiuncta, cuius eſt accidentium quorumlibet receptionem abnuere: vnde ſeparatæ intelligentiæ, vt angeli, non intelligunt niſi per eſſentiales ſpecies eis inſitas, ſeu per intuitum eſſentiæ diuinæ, in qua tanquam in cauſa, & Archetypo cognitione (vt aiunt Theologi) Matutina, eſſentias rerum inſpiciunt: Alia vero eſt forma non ſoluta a materia, quæ adhuc duplex eſt; nam vel eſt in ipſa materia extenſa, ac materiali organo infixa, & hęc vnà cum materia quodcunque genus accidentium, etiam ſcilicet alterantium, recipere nata eſt: vel quamuis inhærens corpori, non tamen extenſa, & ipſius organo addicta, qualis eſt anima rationalis: & hęc non recipit accidentia materialia, & alterantia: Spiritualia vero, ac intentionalia, quales ſunt ſpecies intelligibiles, ſeu ipſæ intellectiones, aptiſſime recipit. *Solutio 2.*

Tertium argumentum, quod ſi efficax eſſet, tolleret abſolute intellectionem, quæ eſt accidens variabile natum adeſſe, & abeſſe, ſoluitur per diſtinctionem ſubſtantiarum immortalium, quarum alia eſt penitus a materia, & a mortalibus aliena, qualis eſt prima cauſa, ac intelligentiæ, quæ nullum in ſe variabile accidens admittit: alia vero eſt ſubſtantia per ſe quidem immortalis; at mortalibus adnexa, vt eſt intellectus donec humano corpori hæret; cui non inconuenit tum ex ratione partis mortalis, cui nectitur, tum ob conditionem ſuijpſius eſſentiæ ab illo ſtatu variabilis, & ſeparabilis, vt accidentia variabilia ex phantaſmatibus accipiat. Adde quod falſum eſt exemplum in argumento allatum de Cælo; ipſius etenim partes, etiamſi immortales, variabilibus tamen accidentibus luminis, vmbrę, ac variatæ ſituationis, quamuis regulariter, & ſtatutis temporibus, ſubijciuntur: Vt recte ſolui poſſit argumentum concedendo ſubſtantijs immortalibus immunitatem ab accidentibus alterantibus, & deſtructiuis: non autem a ſpiritualibus, & perfectiuis, quales ſunt ſpecies intellectionis. *Solutio 3.*

Nec decet vt aliquid perficiatur ab inferiori tanquam ab actu formali dante eſſe eſſentialiter; ſed non inconuenit quod actuetur accidentaliter, vt fit a ſpecie intelligibili de intellectu; cui pro intellectione, iuxta litteram quarti illius contextus requiritur quidem immixtio a ratione ſui intelligibilis, reali; quinetiam ab intentionali, *Solutio 4.*

nali,

Digitized by Google

nali, quæ ſit ei connaturalis, & inſita, quales eſſent illæ ſpecies, quas aliqui excogitarunt; non autem immixtio a ſpeciebus intelligibilibus per intellectionem acquiſitis.

Solutio 5. Non etiam agit in ſuo ſubiecto receptiuo forma (loquendo de eſſentiali, quę dat ei eſſe, & actum primum) ſed alia eſt ratio illius actus, qui recipitur vt obiectum a potentia eo modo, quo ſpecies recipitur in intellectu: De qua tamen ſpecie eſt animaduertendum quod non aliam actionem habet in intellectu, niſi excitandi ipſum ad intellectionem: vt ex oppoſito intellectus intantum dicitur pati a ſpecie, inquantum illam recipit; pro efficienda enim intellectione non proprie agit in intellectu ſpecies, cum quinnimo ab ipſo patiatur, cum iudicetur: ſed vnà cum eo concurrit ad formandam intellectionem, quæ proprie eſt effectus vtriuſque, quæve abſque hoc quod agat in intellectu, cum ſit actio immanens, impręſſa ſeruatur in eo.

Solutio 6. ſecundū Scotum. Pro ſexto non ſequimur ſolutionem Scoti in primo Sentent. diſt. 3. quæſt. 6. aſſerentis phantaſmata eſſe neceſſaria intellectui, tum antequam habeat habitum; quia tunc ex ipſis omnem ſuam cognitionem haurit; tunc poſt acquiſitionem habitus, quia tunc neceſſe eſt dum intellectus intelligit vniuerſale, quod etiam phantaſia imaginetur illius ſingulare: idq; euenire ob coniunctionem harum facultatum, quod vna operante, alia neceſſario operetur; etſi non ſemper inſeruiendo, ſaltem

Reprobatio. inſequendo. Tali enim aſſertioni rationabiliter obijci ſolet, quod Ariſtoteles tum in illo 30. textu, tum in 39. & alibi docet quod ſpeculari phantaſmata ſit officium

Euaſio. intelligentis, ſcilicet intellectiuæ facultatis, non autem phantaſiæ. Reſpondent Scotiſtæ intellectum non ſpeculari phantaſmata immediate, ſed mediantibus ſpeciebus, in quibus relucent; ac ideo intellectu contemplante ſpecies, phantaſiam

Impugnatio. phantaſiari ſupra ſingulare in phantaſmate. Sed contra eſt quod ſi ſpecies intelligibilis inexiſtens menti repræſentat rationem obiecti principalis, cuius ſeruat imaginē, vt omnes concedunt, ideo non amplius oportet vt meditetur phantaſmata nec mediate, nec immediate; ſed ei ſolas ſpecies tunc ſatis eſt intueri: Inſuper quoniam actio vna, & ſimplex, qualis eſt intellectio, non videtur plus quā vni potentię cognoſcitiuæ attribuenda: Nec efficax videtur ratio aſſignata a Scoto, ſcilicet connexio illarum facultatum, quæmadmodum neque connexio ſenſuum fert vt phantaſia imaginante colore, aut odore, id viſus, vel olfactus actualiter percipiat: Sed duorum ita ſe habentium vt nullum eorum ſit cauſa alterius non eſt neceſſaria coniunctio: vnde cum intellectu iam in habitu exiſtente imaginatio non ſit cauſa intellectionis, nec è contra; non ideo videtur neceſſarius harum potentiarum concurſſus in intelligendo: Vt tutius reſpondendum ſit argumento: phantaſmata eſſe neceſſaria intellectui pro alicuius obiecti intellectione primaria, & originali; pro qua quidem omne ei lumen phantaſma ſuggerit: At poſtquam ſemel obiectum illud perſpexerit, non amplius cogitur ſpeculari phantaſmata; niſi dicatur id fieri quatenus ratio phantaſmatum tanquam in ſpeculo micat in ſpeciebus intelligibilibus: quod tamen eſſet improprie dictum; nam quod principaliter repræſentatur a ſpecie non eſt phantaſma: ſed ipſum obiectum reale, quod ab ipſo etiam phantaſmate præfertur.

Solutio 7. Pro alterius ſolutione iam ex prædictis conſtat expetibiles eſſe has ſpecies ab intellectu ob modum intellectionis nobiliorem, qui talis producitur ex ſpecie intellectus puriori, ac ellaboratiori, quam ſpecies ſenſibiles: adhuc & faciliorem, cum inexiſtentes intellectui ſeruent eum ab occaſione inquirendi obiectum intra phantaſmata; maximeq; ei proſunt pro contemplatione vniuerſalis, cuius non admiſſa ſpecie impręſſa, cogeretur intellectus quacunque vice ſibi conceptum communem de nouo formare, ipſumq; ſemper ex phantaſmatibus laborioſius excerpere.

Solutio 8. Ad octauum neganda eſt conſequentia; non enim pro efficienda intellectione ſufficit præſentia ſpeciei in intellectu; ſed vlterius requiritur intentio, & applicatio ipſius intellectus per facultatem agentem ad iudicandum obiectum ex illa ſpecie repræſen-

Digitized by Google

præſentatum: quatenus enim ſpecies eſt ſine materia; eatenus eſt vtique actu intelligibilis, quia ſcilicet iam auulſa à materia congrua ſit intellectui, adeo vt ſit in potentia proxima ad intellectionem: & ideo dicitur actu intelligibilis, non autem actu intellecta: Et cum in textu illo decimoquinto ait Philoſophus, in his, quæ ſunt ſine materia idem eſſe, quod intelligitur, & quod intelligit, non intellexit de omni ſeparato à materia, etiam ſcilicet per abſtractionem, vt ſe habet de ſpeciebus, ſed de immaterialibus per realem eſſentiam, quales ſunt intelligentiæ, quibus ſimilis eſt intellectus humanus ſeipſum intelligens, quod ſcilicet idem ſit intellectum, & intellectus.

Subſequenti reſpondetur, quod etſi intellectus ſit facultas naturalis, præditus eſt tamen voluntate, per quam libere ſe applicat huic, vel alio intelligibili. Præterquam quod mens vnum frequentius quam alia ſpeculatur ob facilitatem, quia ſcilicet id ſit magis cognoſcibile; vel ob familiaritatem, vnde ſit magis illius contemplationi aſſuetus, vel ob maiorem delectationem in eo, cuius ſpecies propterea validius impreſſæ, eum fortius excitent. *Solutio 9.*

Repræſentant verò obiectum huiuſmodi ſpecies proculdubio eo modo quo eſt: nec eſt neceſſarium, qnod includant materiam per eſſentiam, quam ſufficit, vt contineant per repræſentationem; ita enim conditione eminentiori, ac magis intellectui conformes aptiſſime inſeruiunt intellectioni. *Solutio 10.*

Quod ſequitur confirmat potius, quam euertat ſententiam noſtram; quia enim contemplatur mens noſtra entia prorſus ſpiritualia, quorum non eſt phantaſma, idcirco neceſſariæ ſunt ſpecies intelligibiles ipſi menti repræſentantes: quæ quidem in intellectione habituali ſunt actus eiuſdem anteactæ intellectionis, qua ſcilicet prius conceperimus intelligentiam, dæmonem, rationemuè generis, ſillogiſmi, aut alterius termini rationalis immaterialis: In intellectione verò originali ſunt ſpecies rerum ſenſibilium, ex quarum aliqua conſimilitudine, vel correſpondentia elliciuntur ſpecies immaterialium: & ſic nos viſibilia ad inuiſibilia, & accidentia ad quod quid eſt cognoſcendum frequenter deducunt. *Solutio 11.*

Bonum autem eſt vtique in voluntate per ſpeciem, eam ſcilicet, quæ eſt in intellectu; qui cum ſit potentia eiuſdem eſſentiæ cum potentia voluntatis, ideoq; magis propinqua, quam phantaſia intellectui: propterea aptiſſimè ei tanquam promptuarium inſeruit, ſuiſq; iiſdem ſpeciebus pro elliciendis actibus volitionis, famulatur. *Solutio 12.*

Pro ſubſequenti dicimus, quod actus intellectus reflexi multiplices ſunt; ac differentes ſecundum magis, & minus; maxime enim reflexus eſt actus ille, quo intellectus ſuæmet actionis ductu in ſeipſum conuertitur, & ſe intelligit: minus reflexus eſt actus, quo rationem vniuerſalem, ſeu conceptum abſtractum adhuc cognitum denuo in ſpecie ſibi exinde ſeruata intuetur: & adhuc minus reflexus eſt ille, per quem ex ſibi impreſſa ſpecie ſingulari ellicit conceptum, ac ſpeciem vniuerſalem: prorſus autem directa intellectio eſt primaria alicuius rei cognitio, in qua intellectus immediate ex phantaſmate extrinſecus exiſtente ſpeciem intelligibilem, ſcilicet actum intellectionis extrahit: Quamuis autem in actu intellectionis aliqua intercadat reflexio; id tamen melius eſt ei, quam ſi extrinſecus ex ſenſibus auxilium pro intellectione mutuetur: Quinnimo reflexio intellectus arguit operationis prçſtantiam: vnde eſt quod nobiliſſima illius actio reputatur, ſui ipſius intellectio. *Solutio 13.*

Altera torquet eos, qui in primaria intellectus cognitione neceſſitatem ſpecierum ingerunt, quæ exinde tanquam ſuperuacaneæ reijciuntur: Nos autem dicimus, quod ſunt vtique pro originali intellectione ſuperfluæ: at poſtquam per actus intellectionis iam ſint productæ, non pereunt, ſed impreſſæ ſeruantur in intellectu, conferentes ei pro faciliori, atque eminentiori intellectionis modo: vt in ſolutione 7. dicebamus. *Solutio 14.*

Quoad decimumquintum verum quidem eſt, eſſe neceſſarium quod cognoſcibile in ſuo eſſe obiectiuo præexiſtat facultati cognoſcitiuæ, à qua quidem non cognoſceretur realiter, niſi præexiſteret: non inde tamen tollitur, quod ſemel ab intel- *Solutio 15.*

Digitized by Google

lectu perceptum non poſſit eſſe ei præſens etiam in eſſe impreſſo. Dicunt etiam nonnulli, quod obiectum quamuis per ſuam ſpeciem ſit impreſſum in intellectu poſſibilis remanet tamen in eſſe expreſſo reſpectu intellectus agentis: quæ tamen aſſertio dubia redditur ob indiſtinctam realitatem differentiæ intellectus agentis, & poſſibilis.

Solutio 16. In textibus ſubſequenter allegatis intelligebat Philoſophus de intellectu rudi, qui nondum aliquid cognouerit cum inquit eſſe veluti tabulam raſam: ac de intellectu in potentia reſpectu illorum, quæ nondum percepit, reſpectu quorum dicitur nil eſſe actu antequam ea intelligat: Quæ autem eſt vis in illis verbis, vrget ſpecies, quas multi ponunt præcedentes actum intellectionis etiam originalis, vt in 7. capite conſiderauimus; non autem ſpecies, quæ à nobis conceduntur actum intellectionis ſubſequentes.

Solutio 17. In mente intelligente ſunt vtique tria formaliter, ſcilicet mens, actus intellectionis, & ſpecies, quæ tamen ſunt vnum ſubiectiuæ; realiter verò ſunt duo, nimirum mens, & actus intellectionis, qui ſecundum rem eſt idem cum ſpecie intelligibili.

Solutio 18. Mens optime dicitur fieri vnum cum intelligibili, quando fiat vnum cum ſpecie illius rationem, ac idolum præferrente; ſpecies enim tantummodo apta eſt vniri cum intellectu, qui dicitur fieri intelligibilia, non quidem realiter, ſed tantum intentionaliter, nimirum per ſpecies.

Solutio 19. In illa littera 20. textus ſeptimi Phyſicorum habetur tantummodo, quod perturbationes, & alterationes ſpectant ad animam ſenſitiuam; alteratio enim procedit ex qualitatibus paſſibilibus, quarum eſt afficere ſenſum: ad aliam verò partem animæ non ſpectant, niſi per accidens: intelligere autem, ac ſpecies intellectiuas ſubire, non eſt alteratio, vel perturbatio propriè; ſed tantum per accidens, vt exinde colligitur.

Pro ſolutione poſtrimi argumenti diſcutitur: Quæſtio de memoria intellectiua. Cap. X.

Negatiua partis.

Argument. 1 Vigeſimum, vltimumq; argumentum quinti capitis ſupereſt, quod quoniam in eo conſiſtit an competat intellectui memoria, vel non; euocat pro ſui ſolutione digreſſionem de ipſa memoria intellectiua, quæ oppugnari ſolet his medijs: Si ipſam reperiri credidiſſet, aliquam de ea mentionem feciſſet Ariſtoteles in opere de memoria, & reminiſci, vbi nullatenus de ipſa ſignum dedit: Quinnimo negauit ibi memoriam intellectiuam concedens tantummodo ſenſitiuam, quæ inſeruiat primo imaginati-

Argumen. 2. uæ; ſecundario verò, & per accidens intellectui. Item memoria intellectiua, aut eſt eiuſdem rationis, aut diuerſæ cum ſenſitiua: ſi primum altera ipſarum eſt redundans; ſi ſecundum, non idem exibet opus, & tantum æquiuoce eſt appellanda memoria.

Argumen. 3. Mox quia intellectus eſt ſubſtantia immortalis, inuariabilis, & inalterabilis: non eſt aptus ſuſcipere accidentia noua, & variabilia, & quæcunque inſunt illi, videntur eſſe

Argumen. 4. ipſiuſmet eſſentiæ, vt de reliquis à materia ſeparatis contingit. Subinde quia ſubijcere ſe nouis formis, illaſq; tanquam ſubiectum retinere non videtur poſſibile, niſi

Argumen. 5. per inſtrumentum corporeum, quo caret intellectus. Inſuper memoria conſiſtit in ſpeciebus ſenſibilibus, quæ ſunt fluxui temporis annexæ, ac magnitudini; ideoq; di-

Argumen. 6. uiſibiles, quales ſunt ſpecies ſingulares; intellectus autem eſt vniuerſalium. Adhuc quia conceſſa memoria in intellectu, in eodem eſt pariter concedenda inexiſtentia plurium ſpecierum in eodem tempore: hoc eſt inconueniens; ſpecies enim eſt configuratio quædam obiecti intelligibilis in intellectu: vnde quemadmodum inconueniret idem corpus affici ſecundum varias figuras; conſimiliter nec intellectus po-

Argumen. 7. teſt ſimul ex ſpeciebus diuerſorum obiectorum configurari. Ruſus omnis qualitas, quæ manet in intellectu, & ipſum ad operationem diſponit eſt habitus ipſius intellectus: quare ſpecies, quæ eſt qualitas diſponens intellectum ad operationem, ſi etiam

Digitized by Google

etiam in ipſo maneat, ſequetur vt ſit illius habitus, quod eſſe non poteſt; nam habitus ſequitur actum: quinimmo ex ipſis actibus producitur; & ſpecies intelligibilis præcedit actum. Præterea quicunque nititur aliquid memorari, illius imaginem, ſeu effigiem concipit, quæ cum ſit quanta, ac extenſſa, potentiæ organicæ inexiſtere debet, qualis eſt ſenſus; qui propterea (non intellectus) memorari videtur. Demum quia poſita memoria in intellectu, adeout ſpecies rerum ſingulares, & vniuerſales in ipſo conſeruarentur, ſequeretur eum poſſe intelligere ſine phantaſia, cuius oppoſitum Ariſtoteles ennunciauit. *Argumētū.* 8 *Argumēt.* 9.

Ex oppoſito autem memoriam intellectui concedere efficaciori ratione ſudemur; Præter enim, quod ipſa experientia docemur, idipſum & ratio confirmat; quod intellectus cognoſcit, poteſtq; memoria recolere quæcunque cognoſcuntur, quorumue memorari poteſt ſenſus; facultas enim ſuperior cognoſcit, (& eminentiori quidem modo) omnia, quæ innoteſcunt inferiori: Quare non minus quam ſenſus poteſt illorum commemorari. Item poteſt mens noſtra recogitare olim à ſe habitam intellectionem ſingularem: meditariq; ſimul conſumationem temporis, diſtantiamq; inter illam, & præſentem intellectionem, per quam illam concipit; cuius quidem intellectionis cum nequeat eſſe phantaſma; ſed tantum ſpecies in intellectu; ſequitur vt intellectus habeat proprias ſpecies, & facultatem ſuper illas memorandi: Nec valet ſi dicatur iſtam, quæ videtur intellectus, eſſe memoriam ſenſus, cui inexiſtunt phantaſmata. Præter enim prædicta, quorum non eſt phantaſma, intellectus recordatur etiam multorum vniuerſalium, puta rationis hominis, animalis, entis; quorum non tunc ſibi format conceptum per comparationem plurium ſingularium, ſed ea ex abruto cogitat. Pariter memoratur propoſitionum vniuerſalium, quæ in tali conditione, ſcilicet vt vniuerſales, non attinguntur à ſenſu; qui poteſt quidem cognoſcere, quod hoc, vel illud accidens ſit in ſubiecto: quod verò neceſſario, aut contingenter omne accidens alteri inhærreat, cognoſcit ſolus intellectus; qui cum ſæpe abſque præcedente ſui operatione rationem vniuerſalem tunc conſtituente, huiuſmodi propoſitiones concipiat; experitur exinde ſe illarum ſpecies à phantaſmatibus diuerſas includere, per quas memoriam exercet. Et hoc innuit Philoſophus inquiens in libro de Memoria, & Reminiſcentia quod, recordamur aliquorum intelligibilium, vt quod triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis. Amplius qui habent habitum alicuius ſcientiæ memorantur quam plurium dogmatum, atque concluſionum, in quibus totalitàs illius ſcientiæ conſiſtit, ad quas ſolus peruenit intellectus: Nec reputanda videtur euaſio dicentium, quod mens recordatur intelligibilium per accidens. Facultas enim, quæ ſola poteſt in aliquod obiectum, debet id propriè, & per ſe cognoſcere; dumue ipſius, vel habitæ ſuper illum intellectionis memoratur: per ſe, & propriè debet illius memorari: vnde cum ad prædicta valeat tantum intellectus; ſequitur vt propriè, & per ſe de illis memoretur intellectus: vel quod nullius ſit memoria per ſe. Conſimiliter, vt omnium actuum intellectionis, ita etiam memoratur ſuorum actuum volitionis, quibus ſcilicet id olim probauerit, vel reprobauerit. Annuere etiam huic veritati viſus eſt Ariſtoteles dum in ſermone de ipſo intellectu, nimirum in tertio de Anima textu 22. loquitur de memoria, vt Roccus vir doctiſſimus in ſua de hoc Quæſtione obſeruauit. *Dari Memoriam intellectiuam.* *Ratio* 1. 2. *Praeoccupatio* 3. 4. 5. 6. *Praeoccupatio* 7. 8 *Roccus.*

Nec argumenta contraria valdè officiunt: quorum ad primum reſpondetur non eſſe neganda omnia illa, de quibus Ariſtoteles exactam non habet commemorationem; Inſuper quoniam etſi de memoria intellectiua non ſit locutus in libro de Memoria, & reminiſcentia; ſufficit quod id tetigerit in tertio libro de Anima in textu citato, qui eſt proprius locus ſingulorum ad mentem attinentium: Quod verò in libro de Memoria, & reminiſc. id neget, non eſt concedendum: non enim eſt ibi excluſa memoria ab intellectu quamuis dictum ſit eam eſſe in ſenſu: in quo quidem maxime, ac propriiſſimè, at intellectui etiam (quamuis non principaliter) memoria inexiſtit. Adhuc quia in ſenſu adeſt memoria originaliter; ex qua ſcilicet depen- *Solutio 1. argumenti.*

Digitized by Google

det memoria intellectus; qui non memoraretur niſi eſſet ſenſus, dum e contra memoratur ſenſus abſque intellectu, quod fit in brutis. Inſuper recta etiam eſt conſideratio, quod loquendo de memoria, ipſa poteſt duplici modo deſumi; primo ſcilicet, & quidem maxime propriè, vt conſeruatiua, & recordatiua præteritorum: ſecundo vt ſimpliciter conſeruatiua ſpecierum obiecta intelligibilia in ſe repræſentantium: primo modo, de quo in citato libello intellexit Philoſophus, propriè competit ſenſui; cum enim actus memorandi duplex habeat obiectum: vnum remotum, nimirum res olim cognita; alterum proximum, ſcilicet actus, quo rem illam olim cognouit, vtrumque ex his obiectis in ſenſu eſt præteritum; tum enim illæ actus cognitionis eſt talis; tum etiam res cognita; illa etenim non recipitur in ſenſu, niſi ſecundum aliquam eius diſpoſitionem, quæ poſt illius rei receptionem ſtatim recedit ab ea: vnde ipſa res in ſenſu recepta variatur ab illa diſpoſitione, in qua erat dum reciperetur, adeo vt ibi repræſentet rem præteritam: In intellectu verò quamuis obiectum proximum, ſcilicet actus intellectionis ſit præteritum, non ita ſe habet de re intellecta; illa enim poteſt eſſe ens neceſſarium, & conceptus rei ſecundum illam rationem, in qua ſemper eodem modo ſe habet (ad quam concipiendam peculiaris acies intellectus valet) ac idcirco non præterita: Vt ideo ſecundum primam acceptionem memoriæ illa magis competat ſenſui; quandoquidem vtrumque obiectum ſit ei neceſſario præteritum; dum intellectui obiectum tantum proximum eſt præteritum; ſed remotum contingit eſſe ei præſens: Iuxta verò ſecundam acceptionem memoriæ, ea indifferenter conuenit etiam intellectui.

Solutio 2. Subſequenti reſpondemus intellectiuam, ac ſenſitiuam memoriam ſe habere adinuicem eo modo, quo ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles, quæ conueniunt in genere vniuoco, ſed differunt per quandam analogiam, quatenus ellaboratiores, eminentioriſq; conditionis ſunt ſpecies intelligibiles, nec aliqua ex duabus eſt redundans; ſenſitiua enim memoria inſeruit intellectiuæ, quæ actionem ſenſitiuæ prouehit, ac perficit.

Solutio 3. Subſtantia immortalis, quæ penitus ſit à materia, & à mortali natura ſeiuncta, quales ſunt cæleſtes intelligentiæ, eſt quidem expers à quocunque genere accidentium, nec aliquid à propria eſſentia diſtinctum includit: at ſubſtantia ex ſe immortalis, ſed materiali, mortaliq; ſubſtantiæ alligata, qualis eſt intellectus, non eſt inconueniens ſi in conditione conſortis naturæ, ſubijciendo ſe nouis, & variabilibus accidentibus, communicet.

Solutio 4. Aſſumptum quarti argumenti falſum videtur; intellectus etenim quamuis nullo corporeo organo proxime vtens, recipit nouas formas, ſeu ſpecies de nouo formatas, vt experientia docet; Sed verum eſt tamen, quod exigit corporea inſtrumenta id, quod recipit formam aliquam eſſentialem, & realem; non autem id, quod recipit ſpecies intelligibiles, quæ ſunt formæ intentionales: Et adhuc verum eſt, quod recipiens naturaliter nouas formas (etiam intentionales,) id facit per aliquod inſtrumentum corporeum, etſi non proximum, ſaltem remotum, vt competit intellectui, in quem ſpecies intelligibiles ſe per corporeos ſenſus inſinuant.

Solutio 5. In ſpeciebus ſenſibilibus tempori, ac magnitudini complicatis conſiſtit quidem memoria ſenſitiua: intellectus autem ſe elleuat etiam ad cognitionem abſtractorum à materia, & vniuerſalium; de quibus aliam format ſibi memoriam eminentiorem: Et adhuc præter vniuerſalia, & abſtracta, intelligit etiam ſenſibilia, & ſingularia, vt ſuperius oſtenſum eſt, præſertim ex ea ratione quod: quicquid cognoſcit facultas inferior, idem percipit, & ſuperior.

Solutio 6. Nec poſſunt diuerſæ rationes, ſeu configurationes ineſſe eidem ſecundum eſſe reale; at non inconuenit, vt eidem inſint varia, quinetiam, & contraria, in eſſe cognito; quæ enim realiter contrariantur non contrariantur in facultate cognoſcente;

apud

Digitized by Google

apud quàm quinnimo ſeinuicem adiuuant, iuxta id Ariſtotelis, quod oppoſita iuxta poſita, ac proinde ſimul à cognoſcitiua potentia ſuſcepta magis innoteſcunt: ac illud primi de Anima in tex.85. quod recto, cognoſcimus ipſummet, & obliquum.

Species autem intelligibiles poſſunt vtique vocari(imò reuera ſunt)habitus quidam intellectus: at non ille, qui propriè dicitur habitus intellectus: cui quidem hi habitus, ſcilicet hæ ſpecies inſeruiunt tanquam inſtrumenta, differuntq; ab eo, quatenus ei præferrunt imagines obiectorum: ille verò habitus non id præſtat, niſi quatenus connotat inexiſtentiam talium habituum, ſcilicet ſpecierum, quas quia valet intellectioni, & rememorationi adhibere, dicitur, habitus. *Solutio 7.*

Pro ſexto concedendum eſt, quod mens perſæpe ex miniſterio ſenſus, vt à prima origine ſuæ intellectionis opem ſibi pro recordatione quærat: negandum eſt tamen, quod faciat id ſemper; nec valeat ſeorſum abſque phantaſia memorari; quod experientia nos docet, dum repente, ac nulla actione præcedente memorando concipit vniuerſale. *Solutio 8.*

Authoritas Ariſtotelis in poſtremo argumento allata, ſatis ſaluatur per vſum phantaſiæ, ac ſenſibilium ſpecierum in origine intellectionis, & in inchoatione humanæ cognitionis. *Solutio 9.*

DE PRINCIPIO MOTVS. ANIMALIVM.

Prænotanda quædam huius tractationis afferuntur. *Caput I.*

Quærenda proponuntur.

NON aliter quam phyſica *vis in agendo repatiens* humanus animus dum corpus defert, reciproce ad talis motionis cauſam *inueſtigandam* excitatur, cui quidem actui, quamuis paſſiue, non ſine decore obſequendo, vtiliter quærit quidnam, quotuplexve, ac quibus præditum circunſtantijs ſit principium, quo non ipſe tantum, ſed & cætera animalia mouentur: & hoc non quidem in quocunque motu; quia ad rem non facit alius motus præter localem: nec latio illa quam habet animal per formam mere naturalem: dum ſcilicet ex ductu naturæ elementaris, quam ſequitur grauitas, deorſum vergit: nec motus illæ localis, qui ſequitur animam vegetalem abſque aliqua cognitione, ſed mero inſtinctu naturali operantem, qualis eſt motus nutrimenti, dum ad alenda membra pergit: pariter, & agitatio cordis, arteriarum, ac pulſus, qui ex ſpirituum æſtu procedit; vt & quicunque motus, qui ſine aliquali voluntate ellectione, ac cognitione fiat ab animali, vt tremor febricitantium, ac inſpiratio, qui etiam dormientibus contingunt: De illo enim motu tantummodo quæritur, qui per cognitionem, ac per aliqualem (lato ſcilicet modo ſumptam) voluntatem animalis procedit; vt dum ipſum animal ſponte, ac per ellectionem ſeipſum, vel partem ſui, de loco ad locum defert. Cui quidem rei poſtremum locum inter Phyſicas tractationes reliquimus æmulantes in ordine Ariſtotelem, qui in 7. tantum capite tertij de Anima de hoc agere incepit: & iure quidem; prius enim quam de motu animalium agendum erat de eius principijs, ex quibus alterum (vt proxime apparebit) es intellectus; vt propterea poſt illius explicationem agere debuerit de hoc motu. Inſuper quoniam proximum talis motus principium eſt appetitus, qui cognitionem ſequitur; vt ideo non niſi cognitis facultatibus cognoſcentibus de motiua appetitum inſequente tractandum fuerit: Quoniamue cum virtus ſenſitiua, ac intellectiua ſint partes animæ inuicem diſtinctæ, & virtus motiua procedat ex appetitiua, quæ eſt tantum facultas virtutum cognoſcentium; propterea prius de illis, quam de hoc principio motus, erat agendum.

De quo motu agatur.

Cur non antea egerit Ariſtot. de motu animalium.

Obiectio 1. Nec refert ſi obijciatur: agendum prius eſſe de communioribus, qualis eſt motiua facultas reſpectu intellectus, cum illa nedum hominibus intellectu præditis; ſed
2. etiam belluis competat. Vel ſi dicatur in ſcientijs auſpicandum eſſe à prioribus; motricemq; facultatem origine, ac conſequenter natura priorem eſſe intellectu; quo-
3. niam proxime ſequitur ſenſum; ineſtq; hominibus ante vſum rationis: Seu dicatur agendum prius fuiſſe in libris Phyſicorum de ijs, quæ abſolute ſunt phyſicæ conſiderationis, qualis eſt facultas animalium motiua, quam de his, quæ non ſunt phyſicæ conſiderationis, vt de intellectu determinatum eſt in primo de Partibus Animal.
4. cap. 1. Aut denique ſi inſtetur: exordium in ſcientijs ſumendum eſſe à facilioribus,

qualis

Digitized by Google

qualis magis eſt virtus mouens, quam intellectus, qui inter omnia ad animalia attinentia nos magis latet.

Pro facili enim ſolutione reſpondebitur quod, ſi motiua facultas conſideretur ſecundum aliquam ſui partem, ſeu ſpeciem tantum, vt ſi ſumatur illud tantum principium motus, quod procedit ex ſenſu, ſic vtique non erit communior intellectu: at ſi conſideretur eo modo, quo conſiderari debent facultates, nimirum vniuerſaliter; provt ſcilicet ſub ſe continet cuncta huiuſmodi principia motus, nedum a ſenſu, ſed etiam ab intellectu procedentia; ſic quamuis non minus commune, non tamen communior erit; ſed adæquabitur in latitudine cum aggregato ex ambobus illis eius principijs. Pariter, prout ſpectat ad ſubſequens in illa ſecunda conſideratione principium motus eſt etiam poſterius origine ſuis cauſis, ſcilicet, ſenſui, ac intellectui; ac proinde poſt illorum notitiam tantum poterat declarari. Quoad tertium dicimus prioritatem, ſeu ordinem tractationis rerum in ſcientia non attendi penes maiorem attinentiam ipſarum rerum ad illam ſcientiam; nam ſecus quinnimo principia ſubiecti, vt materia, & forma in Phyſica quamuis ratione ſui ad talem ſcientiam non ſpectantia, primo tamen loco conſiderantur: ſed deſumitur talis ſeries ex ordine cognitionis, ſecundum quam cauſa præcedere debet eius effectum: Præterquam quod anima rationalis quamuis ſecundum illius eſſentiam a materia non pendentem ſit Metaphyſicæ conſiderationis, ſpectat tamen ad Phyſicum per illam rationem, ſecundum quam ab ipſo conſideratur, nimirum vt eſt actus corporis phyſici, vt cauſa humanarum operationum, ac vt pars animæ. Facilitas autem frequenter dirigit ordinem ſcientiæ in cognitione confuſa, at in cognitione diſtincta a priori procedendo ſit progreſſus a principijs ad principiata: Vt ideo rationabiliter diſtulerit Philoſophus hanc tractationem ad calcem ferè phyſicæ ſcientiæ, vbi tantum abunde hoc præſtat; Nam ſecundum triplicem reſpectum in triplici loco de Motu Animaliũ diſſerit; quatenus enim eſt effectus potentiarum animæ, de illo agit in præcitato tertio de Anima: vt eſt actio quædam totius corporis animati, cum conſiderat in libro de Motu Animalium; vbi modum, quo ſit, ac quæ pro illo requiruntur edocet: per illius autem reſpectum ad membra animalis, in libro de Partibus motui animalium inſeruientibus explicatur.

Solutio 1. / 2. / 3. / 4.

Quænam ſint principia motus Animalium. *Cap. II.*

QVærentibus itaque propoſitę motionis principia occurit obſeruatio illa Ariſtotelis in octauo Phyſicorum, ac in Secundo de Cælo, & Mundo aſſerentis: proprium eſſe animalium ſe mouere: æmulando in hoc Platonem, qui vnà cum Zenocrate Pythagoram inſequentes definiuerant animam per numerum ſe mouentem: vnde eſt quod cuilibet gradui animæ proprius motus competit, & iuxta conditionem facultatis animalium ad magis vel minus elleuatam rationem motus eminentior, vel ignobilior ipſorum animalium conditio reputari ſolet: ex quo ſuademur principium motus animalis eſſe quid animali proprium, ſeu ad animam pertinens, aut ex ipſa dependens: Animam vero, non quidem Vegetalem; cum illa careat cognitione; ac notitia obiecti ad talem motum requiſita: Quiave conſtat plantas, quibus optime hec anima competit, non ita moueri: Nec gradum, ſeu facultatem quamlibet ſenſitiuę; ſenſus enim externi, ac ſenſus communis quamuis quibuſdam vt ſtirpanimalibus inſint; non tamen valent in eis ad talem motum cauſandum; perfectus enim motus animalis ducit etiam ad abſentia, a quorum notitia abeſt facultas ſenſuum externorum, ac communis, qui tantum in præſens obiectum valent: Quare requiritur ad hoc facultas aliqua nata circa abſentia etiam obiecta verſari; quales præſertim eſſe videntur Phantaſia in brutis, ac in homine vnà cum ipſa phantaſia anima rationalis aptiſſima ad pręſentia, atque abſentia cognoſcenda, ac inde ad motum animalem cauſandum.

Principiũ motus animalis eſſe quid animæ.

Quod

Quod confirmatum habetur ex teſtimonio Ariſtotelis in tertio de Anima contex. 48. dicentis: Videntur autem duo hec mouentia aut appetitus, aut intellectus ſi quis imaginationem ponat vt intellectionem quandam: ſubdens, animalia quędam (nempe rationalia) ſequi ſcientiam, ſcilicet rationem, & Phantaſiam: alia vero, ſcilicet irrationalia, non intellectionem, ſed phantaſiam. At quoniam ſequentes communem ferè expoſitorum ſententiam admittere debemus duplex genus hoc motu mouentium, alterum ſcilicet mouentium vt cauſa dirigens, ſeu dominans: & alterum illorum quæ ipſius dirigentis præſcripta in tali motu exequuntur: dicendum nobis eſt quod, quæ primum genus mouentium conſtituunt ſunt iam ennaratæ vires, phantaſia ſcilicet, & intellectus, quibus illa accedunt adminicula, quæ in ſequentibus explicabuntur: ſecundi vero generis eſt mouens illud, quod in proprio capite, ſexto ſcilicet, determinabitur.

Duplex genus mouētiū.

De Principio Motum Animalium dirigente diſſeritur. Cap. III.

Comprobatio veritatis.

PRincipia igitur motum animalem dirigentia iam recte dictum videtur eſſe Phantaſiam, ac Mentem humanam, ex quibus de Phantaſia id habetur ex Ariſtotele tum in libro de Motu Animalium, tum in ſecundo de Anima contextibus 160. ac 161. vbi ipſam imaginationem, ſcilicet phantaſiam inquit eſſe motum: Adhuc, & clarius in prenarrato tertio de Anima 48. vbi expreſſe hoc ait de phantaſia, & de Intellectu. Nec ſubſiſtere poteſt aduerſa expoſitio dicentium Ariſtotelem illuc ſub nomine intellectus ſignificare ipſam imaginationem, perpendentes illa verba textus 48. nimirum: Videntur autem duo hec mouentia aut appetitus, aut intellectus ſi quis imaginationem ponat vt intellectionem quandam. Quod enim è contra de ipſomet intellectu a phantaſia diſtincto ibi Philoſophus intellexerit ſubſequens textus comprobat, in quo expreſſum habetur: Intellectum actiuum eſſe principium motus. Inſuper & ſequens contextus 50. in quo Philoſophus denotando diſtinctionem inter intellectum & phantaſiam quatenus illorum ſimilitudinem aſſignat (diſtincti ſiquidem eſſe debent termini aſſimilationis, & comparationis) inquit quod quemadmodum nō mouet imaginatio ſine appetitu, ita nec mouet intellectus ſine appetitu, qui appetitus mentis eſt voluntas: ſubdens cum autem ſecundum rationem mouetur, mouetur ſecundum voluntatem. Et adhuc textus 58. qui docet intellectum mouere per propoſitionem vniuerſalem, inquiens, quoniam autem exiſtimatio, & ratio, hec quidem ipſius vniuerſalis eſt, illa vero ipſius ſingularis, illa enim dicit quod oportet talem tale agere, hec autem quod hoc tale; & ego quidem talis: Vt dubium non ſit, illuc, & alibi ſæpe ſtatuiſſe Philoſophum quod, intellectus, pariter vt imaginatio, ſit directiuum principium motus animalis.

Euaſio.

Impugnatio.

Obiectio.

Sed hec determinatio aliquibus vrgetur obiectionibus: quarum primam excitat textus 154. Secundi de Anima, in quo Philoſophus aduerſus Platonem inquit: nos imaginatione dificilis, aut terribilis alicuius non aliter diſponi: vnde inferendum videatur nos ex imaginatione, ſeu phantaſia non moueri. Cui reſpondetur quod ex duplici imaginatione alia eſt vana, & imperfecta, quæve ſecum non habet aſſenſſum: & talis non eſt apta ad mouendum: alia vero perfectior cognoſcens obiectum, formanſq; ſuper ipſum ſubnotiones, & aſſenſſum, quæ quidem aptiſſima eſt ad cauſandum motum, variaſq; operationes animales, vt conſideratur in extremis verbis ſecundi de Anima.

Solutio.

Inſtantia.

Sed inſtatur è contra quoniam multa reperiuntur animalia imperfecta, quæ quamuis moueantur, non tamen prædita ſunt imaginatione, vt de Ape, formica, & vermibus profert Philoſophus in ſecundo de Anima tex. 156. vnde imaginatio non videtur neceſſarium motus principium. Cui reſponſionem formauit Ariſtoteles in tertio de Anima contex. 56. inquiens quod eo modo animalia ſunt motiua

Solutio.

ſuiipſo-

Digitized by Google

ſuiipſorum, vt habent appetitiuam, quæ non eſt ſine imaginatione: vnde ellicitur
quod quemadmodum in perfectis animalibus, quibus perfecta, & diſtincta eſt imaginatio, pariter & motus exinde eſt eis perfectus, & abſolutus; ita in his, quibus imperfecta, ſeu inchoacta tantum eſt imaginatio, imperfectus etiam, atque confuſus motus exinde competit.

Sed dices nonne Apes, formicæ, & huiuſmodi animalia perfecto, & diſtincto *Inſtantia.*
motu do loco ad locum feruntur: quinnimo admirabili ſigno prudentiæ ſuas inde *Solutio.*
operationes abſoluere videntur? Reſpondebitur quod in his animalibus, quibus imbecillis eſt phantaſia, pariter & effectus (ſeu motus, ſeu operationis ex illo procedentis, quatenus inquam exinde procedunt) non niſi imperfecti, ac diminuti ſunt: quæ vero perfectio, & admirabilitas in illorum actionibus extat, ea procedit ex inſtinctu naturæ talia animalia ad motum, & operationem dirigente, vt docet Ariſtotelis in 80. textu ſecundi Phyſicorum.

Deinde obijcitur ratione intellectus, qui non videtur huic muneri natum ex pri- *Obiectio.*
mo de Partibus Animal. capite 1. vbi ſtatuit Philoſophus: intellectum non eſſe naturalis conſiderationis, ex eo id deducens, quia non eſt natura, cum non ſit principium motus; de quo rationem aſſignans ait, irrationabilibus etiam animalibus competere motum delationis, quibus intellectus non ineſt: vnde videtur Ariſtoteles nedum hoc aſſerere, ac comprobare; ſed etiam iacere pro fundamento ſuæ concluſionis, quæ ad talis fundamenti falſitatem rueret. Reſpondent nonnuli, loqui *Reſponſio aliquorum.*
ibi Philoſophum de intellectu ſpeculatiuo ad differentiam practici, de quo intendit
in tertio de Anima cum de ipſo ex profeſſo pertractat: quod confirmatum putant ex eo quod ibi in tex. 58. habetur quod: intellectus ſcientificus (ſcilicet contemplatiuus) non mouet, ſed manet. At è contra eſt quod in citato loco de Partibus Ani- *Reprobatio.*
malium de quocunque intellectu, tam ſcilicet practico, quam ſpeculatiuo, negat quod ſit principium motus, cuius ſignum eſt, quod vtitur ratione, quæ in vtroque locum habet; ait etenim inde apparere intellectum non eſſe principium motus, quia competit motus animalibus etiam alijs ab homine, qui intellectum non habent, illa enim animalia tam practica, quam theorica ratione carent. Ideo tutius dicen- *Solutio.*
dum videtur quod, quia Ariſtoteles in libris de Partibus Animal. agebat de principio motus, quod eſt natura, quale quidem eſt principium proximum: ideo inquit intellectum non eſſe principium motus, quoniam eſt tantum principium remotum; mouet enim per intermediam imaginationem.

Nec inſtes quoniam ſi intellectus non eſt tale principium motus, quod eſt natu- *Inſtantia.*
ra, non ideo cadere debet ſub conſideratione phyſica, ad quam ea tantum pertinent
principia motus, quæ ſunt naturæ. Reſpondebitur enim quod intellectus non eſt *Solutio.*
phyſicæ conſiderationis ſecundum illius eſſe abſolutum, quod ſupra naturam eſt eleuatum; nec illius motus quatenus ex eo pendet, ac proinde eminentior eſt quam motus naturalis, ad phyſicum pertinet; motus enim vt ex illo procedit eſt potius artificialis quam naturalis: at idem motus quatenus non procedit ex mente quin etiam pendeat ex phantaſia neceſſaria cooperatrice mentis in mouendo, per talem rationem vtique phyſicæ contemplationi adaptatur.

Vnde recte etiam ad principale argumentum reſpondetur ab Ariſtotele in citato loco negari quod intellectus ſit principium motus adæquatum: non autem quod talis ſit abſolute.

Sed rurſus inſtabitur quoniam improbe videtur inferri intellectum nõ eſſe prin- *Inſtantia.*
cipium motus ex eo quod eſt principium remotum; cum quinnimo ex oppoſito doceat Philoſophus in octauo Phyſicorum contex. 33. quod primus motor magis
quam cæteri moueant. Cui reſponſio eſſe debet quod motus ſecundum illius con- *Solutio.*
ſiderationem abſolutam vtique magis procedit a primo mouente quantumvis remoto: at ſecundum rationem phyſicam proprie procedit ex mouente proximo, quale quidem eſt id quod ſumitur in definitione naturæ: Nec eſt par ratio de illo motore remoto conſiderato in octauo Phyſicorum, ac de intellectu mouente; nam ſine

Digitized by Google

illo mouente motus non contingeret; cum etiam ſine actione intellectus animal per phantaſiam moueri valeat.

Obiectio. Oppugnari adhuc ſolet principalis concluſio eo quod facultas motum dirigens debet habere notitiam de ſingularibus, in quibus motus verſatur: & intellectus eſt facultas vniuerſalium, vt habetur in primo Poſteriorum 134. in ſecundo eiuſdem operis cap. vltimo: in primo Phyſicorum 49. ac in ſecundo de Anima 60. Quare non aptus videtur intellectus ad Motum Animalium cauſandum. *Reſponſio aliquorum.* Pro ſolutione non aſſentimur aſſertioni aliquorum, quod intellectus cognoſcat ſingularia ſub ratione vniuerſalium: *Reprobatio.* Ex oppoſito namque cum debeat facultas ſuperior cognoſcere quicquid percipit inferior ei proxima, qualis eſt intellectui phantaſia iudicans ſingularia: propterea debet intellectus eadem ſingularia cognoſcere. *Euaſio.* Nec tutum habent effugium dicentes: ſufficere quod ea cognoſcat modo eminentiori, nempe vniuerſaliter. *Impugnatio.* Obſtat namque quod nil valet cognoſci in alio, in quo ſecundum ſe totum non inſit: & ratio rei ſingularis non totaliter ineſt in vniuerſali, a quo abſunt differentiæ indiuiduales, quæ ſunt rationes poſitiuæ, & reales: vnde eſt quod ratio ſingularis, & vniuerſalis quatenus tales opponuntur, incompoſſibileſq; ſunt, adeo vt non valeat vnum in alio totaliter contineri, ac per ipſum cognoſci: *Intellectus optime cognoſcit ſingularia.* Quod eo magis apparet quia nil recte cognoſci valet, cuius modus eſſendi non appareat; vnumquodque enim ita ſe habet ad cognoſci, vt ad eſſe; vnde cum eſſe ſingularis aliquid ſuperaddat vniuerſali, quod propterea ex ratione vniuerſalis non innoteſcit; ideo non valet ſingulare per rationem vniuerſalem cognoſci. Adhuc quoniam Reminiſcentia competit hominibus per memoriam & Intellectum, vt habetur in libro de Memoria, & Reminiſc. verſeturq; reminiſcentia in ſingularibus; debet ideo intellectus cognoſcere ſingularia. Quiave cum intellectus inſtruat imaginationem notitiæ particularium incumbentem; proinde debet eadem particularia percipere. Ac denique cum valeat intellectus formare comparationem vniuerſalis cum ſingulari, ac ex vtroque conflatam demonſtrationem perficere; debet idcirco vtramque rationem exploratam habere. *Solutio.* Quapropter tutius ad argumentum reſpondendum putamus abſolute negando quod intellectus, non perfecte cognoſcat ſingularia dicendo ad allatas illas auctoritates quod, dum fateretur ibi Philoſophus intellectum cognoſcere vniuerſalia, non fuit illius intentio præſcribendi obiectum adæquatum ipſius intellectus, adeovt intra vniuerſalia tantum illius cognoſcentem facultatem coerceret; voluit enim ſolummodo aſſignare obiectum eius principale, & nobilius, ſeu præſtantiorem operationem, per quam vires aliarum facultatum excedit; ſeruando in hoc Ariſtoteles regulam a ſemetipſo prolatam in primo de Cælo contex. 116. quod ſcilicet ratio potentiarum agentium deſumenda ſit ab excellenti effectu ad quem valeant.

Quomodo Appetitiua facultas in motu Animalium cauſando concurrat. Cap. IV.

POtiſſimum medium, ac veluti incitamentum, & calcar, per quod prædictæ vires motum animalium dirigentes, id habeant officium, eſt appetitus, ſiue proprie ſumptus, qui ſequitur phantaſiam, ſiue illi conſimilis, qualis eſt voluntas, quæ ſequitur intellectum, & ab Ariſtotele in tertio de Anima 50. dicitur illius appetitus: *Appetitus nõ eſt principiũ motus diſtinctum a phantaſia, & intellectu.* quem non cenſemus cum aliquibus eſſe aliud principium a phantaſia, ſeu ab intellectu diſtinctum; ſed tantum putamus eſſe rationem agendi, ac vehiculum, quo aptiſſime intentio illarum facultatum ad executionem progreſſiui motus redigitur: vt ab eis diſtinguatur quidem ratione; minime autem re, & facultate: in quo eſt nobis pro vexillo auctoritas Ariſtotelis, qui in tertio de Anima contex. 29. expreſſe hanc identitatem aſſignat inquiens: *Rationes ex auctoritatẽ.* Et non aliud eſt appetitiuum, & fugitiuum neque ab inuicem, neque a ſenſitiuo.

Ac ideo

Digitized by Google

Ac ideo antea in ſecundo libro de Anima 24. formans ſecundam definitionem animæ recenſet omnes ipſius animæ facultates cum inquit quod: Anima eſt id quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primo: nec ipſum appetitum (quippe vt facultatem à prædictis indiſtinctam) vllo modo commemorat. Et in tertio eiuſdem operis 42. redarguit Platonem diſtincto loco reponentem vim appetitiuam à cognoſcente, vt appetitiua eſſet in corde, & iecore, ac cognoſcens in cerebro: ſed eis omnibus indiſtinctum eſſe locum determinat. Quam veritatem aliqualiter ſecognoſcere indicauit ipſemet Plato cum diceret, quamplures rerum imagines ad iecus deduci, ab illoq; percipi: in quo etiam deceptus fuit; cum (vt exactè iam in proprio ſermone oſtendimus) nullam ſedem habeat anima cognoſcens in hepate; ſed præcipuam in corde, ac inſtrumentariam in cerebro. Tuto itaque id conſiſtit, & nullo modo diſtinctæ videntur huiuſmodi facultates; quibus indiſtinctus eſt locus; & adhuc idem obiectum, nedum materialiter, ſed etiam formaliter, ac per eundem gradum abſtractionis; quinetiam indiſtincta inſtrumenta; in quibus, quod aliqualiter communicent, ſuademur ex eo quod, ex commotionibus appetitus turbari ſolet iudicium: quamuis aliqua etiam requiratur diſtinctio; eget namque appetitus vberiore, feruentioriq; copia ſpirituum: cognitio verò organum aliquod firmius, & ſolidius exigat, ſecus ac appetitus, cui arteriæ faciles motui, aptiſſime inſeruiunt. Confirmaturq; idipſum ex eo quod ſi appetitus eſſet actus diſtinctus à cognitione, ſequeretur ipſam appetitionem eſſe ſeparabilem à cognitione: vnde poſſet animarius appetitus id proſequi, quod non cognoſceret, quod inconueniens apparet: Vnde vrgere videtur neceſſitas cognitionis requiſitæ ab eo, quod progreſſiuum motum animalis dirigit; quæ quidem cognitio appetitui per ſe ſumpto non videtur ineſſe.

Platonis aliqualis aſſenſus.

Ratio alia.

Ratio alia.

Negant hoc aliqui ſuſtinentes appetitum per ſe, & præciſim ab alijs facultatibus cognoſcere, id eo tuentes quia, niſi appetitus per ſe eſſet cognitionis compos, numquam poſſet ſuo fine potiri, quoniam gaudium rei notitiam præſupponit. Quiaue in calce primi Moral. Nicomachiorum, & alibi docet Philoſophus, appetitum modificari, ac inſtrui ratione, eſſeq; rationalem per participationem: quod verificari non poſſet ſi cognitione careret. Ac quia voluntas non videretur libera, & apta imperare intellectui, ipſumq; ſuo libitu ad contemplationes impellere, aliaſue facultates regere, niſi ex ſeipſa, & diſtinctim ab intellectu cognoſceret.

Euaſio.

Quod appetitus per ſe cognoſcat.

Fundamentū triplex.

Obſtat autem, quod eorum, quæ ſunt ratione diſtincta, quod continetur in vno, vt contradiſtincto ab alio, non poteſt in alio contineri: & cognitio continetur in facultate iudicante: vnde ſi illa eſt diſtincta ab appetente, non poteſt cognitio ipſi appetenti competere. Eoq; magis, quod non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; vt ſequi videretur ſi darentur duæ cognitiones eiuſdem facultatis ſolam diſtinctionem rationalem includentis, & circa idem obiectum formaliter etiam ſumptum verſantis. Et adhuc, quia cum nil ſequatur ſeipſum; propterea nil continet id, quod ſequitur: vnde cum appetitus ſequatur cognitionem, non ideo in ſe cognitionem includit. Inſuper quoniam ex tertio de Anima contex. 54. appetitio eſt actus, qui eſt quidam motus; qualis quidem actus non videtur eſſe cognitio.

Impugnatio.

Nec cogere videntur oppoſitæ rationes; quarum prima non aliud concludit niſi appetitum eſſe iunctum cognoſcenti facultati, cuius ope de adepto fine habet notitiam, & gaudium. Subſequenti reſpondetur, quod quemadmodum dimicans, etſi non videat manibus, tamen non dicitur cæcus; quoniam ſatis eſt, vt oculis ei coniunctis videat: ita appetitus quamuis non per ſe, ratione tamen cognoſcentis facultatis quam ſequitur, & à qua non niſi ratione diſtinguitur, valet cognoſcere: ac proinde rectè dicitur ratione diſponi, corrigi, ac formari. Tertia etiam infert tantum connexionem voluntatis cum intellectu, ex qua ei aptitudo ad omnes illos effectus procedit.

Solutio argumentorum.

Sed contra determinationem noſtram arguitur probando, quod appetitiua potentia diſtincta ſit à cognoſcitiua, nimirum à phantaſia, vel intellectu, quoniam diſtinctum habet obiectum; quod cognoſcentis eſt verum, appetentis autem eſt bonum:

Obiectio.

num:

num: diſtinctamq; actionem, quæ illius eſt iudicare, huius verò concupiſcere: & quia ſunt ab inuicem ſeparabiles; contingit enim iudicare, & non appetere, vt videantur diſtinctæ. Cui reſpondetur eas diſtingui obiecto, non abſolute, ſed tantum ratione, vt etiam actione: & cum appetitio procedat ex cognitione, non eſt inconueniens, vt operatio ei prior, ſcilicet cognitio, ab ipſa appetitione ſeparetur.

Solutio.

Obiectio. Arguitur etiam ex verbis Ariſtotelis in tertio de Anima contex. 42. dicentis, quod facultas appetitiua ratione, & potentia alia videtur eſſe ab omnibus: quod non videtur poſſe aliter verificari, quam per diſtinctionem appetitus à phantaſia, ſeu ab intellectu. Cui reſponſio eſt ſignificare ibi Ariſtotelem ſolam diſtinctionem rationis, qualis eſt inter facultatem appetitiuam, & cognoſcentem, quæ ſunt inuicem adeo connexæ & ſubordinatæ, vt deinde ipſemet Ariſtoteles in tex. 50. animaduerteret, phantaſiam non mouere ſine appetitu; & ambo vnicum eſſe mouens.

Solutio.

Obiectio. Vlterius etiam contra eandem determinationem in dubium reuocatur concurſus appetitiuæ facultatis in eo motu cauſando: inde enim videtur non neceſſarius, quia perſæpe animalia, præter appetitum mouentur, & agunt, vt boues ſtimulo impulſi inuitæ ferunt aratrum, milites vi in acie procedunt, & ægrotantes abſque appetitu medicamenta deglutiunt. Reſponſio autem eſſe debet, quod quandocunque animalia cognitione prædita ſe mouent, concurrit & appetitio tendens, vel ad alicuius expetiti conſecutionem, vel ad infeſtum aliquid euitandum, vt dum infirmus elligit ſibi membrum aliquod incidere, vel adurere, vt totum corpus à diſcrimine redimat; & equus laborem currendi elligit ad calcarium iniuriam vitandam.

Solutio.

Inſtantia. Sed quæret aliquis cum varij ſint appetitus eiuſdem animalis; adeſt enim in eodem voluntas, concupiſcentia, atque iraſcibilis facultas: an ipſum animal per omnes illos appetitus, vel per vnum tantum, ac per quem moueatur? Reſpondebitur dupliciter rem contingere: quoniam poſſibile eſt tum quod cuncti illi appetitus in eundem motum cauſandum conſpirent, vt in homine probitati dedito omnes appetitus ad bene agendum conueniunt: ſecus verò in improbo, in quo omnes ad flagitia concurrunt: cum ea tamen differentia, quod appetitus ſenſitiuus operatur proxime, intellectiuus verò mediante ſenſitiuo, qui corporeis organis eſt annexus.

Satisfactio.

Preoccupatio. Nec obijciatur quod, in viro continente appetitus rationalis non videtur operari per medium ſenſus; cum quinnimo contra illius appetitum agat. Reſpondebitur enim quod, omnimode operatur per illius medium; nam vel agit per appetitum iraſcibilem illi cupiditati aduerſum, vel per eandem concupiſcibilem ſenſitiuam cohibitam, & freno ſuppoſitam.

Tum verò vnica ex illis appetitionibus mouet, quando ſcilicet eis inuicem pugnantibus alter præualens eſt cauſa motus, vt docet Philoſophus in tertio de Anima contex. 57. vt euenit de appetitu rationali in homine moraliter diſpoſito; ac ſecus de appetitu ſenſus in eo, in quo præter naturæ intentionem pars ignobilior, & ad parendum inſtituta dominatur.

Obiectio. Dubitari etiam ſolet, quoniam motus non poteſt eſſe principium motus; nam inde ſequeretur, vel idem eſſe principium ſuiipſius, vel eſſe motum ad motum: quod impoſſibile determinatum eſt in quinto Phyſicorum tex. 5. & ex contex. quinquageſimoquarto tertij de Anima appetitio eſt quidam motus: quare non videtur eſſe cauſa motus animalis. Cui reſpondetur, quod ſi accipiatur appetitus pro potentia appetente, quæ eſt actus primus, ille non eſt motus, ſed potentia animæ, quæ cognitionis ductu appetit, ac mouet: ſi verò pro appetitione, quæ eſt actus ſecundus, & commotio quædam ſpirituum; ſic valet eſſe principium alterius motus: Nec inde tamen ſequitur dari motum ad motum, adeò vt vnus ſit terminus alerius; ſed tantum, quod vnus motus ex altero excitetur: quod dicitur de appetitu ſenſitiuo; intellectualis enim non ita ſe habet, cum non ſit ſpiritibus, ac corporeis organis annexus: vt ideo non habeat motum niſi ſpiritualem, per quem eius ſuppoſitum ad actionem excitat.

Solutio.

Inſtantia. Et demum ambigitur, cum ipſa appetitio ſit motio quædam, ſitne naturalis, vel volun-

voluntaria: non enim videtur primo modo, cum pendeat ex cognitione, & dicatur motus ſpontaneus, & vltro factus: nec ſecundo modo, nam inde fieret, vt in noſtra poteſtate eſſet appetitio: quod non eſt; eſuriens enim, ac ſitiens non liberum habet, cibum, potumue appetere, vel non appetere: nec erubeſcens, aut iraſcens ſpirituum, ſanguiniſq; concurſſum, timenſue pallorem, ſua ſponte habet. Cui occurrimus dicentes, actum, ſeu motionem appetitionis, vtique ſpontaneum eſſe, nam etſi immunes videantur ab arbitrio noſtræ voluntatis inchoactiuæ, ſcilicet quoad illius primum motum, qui in nobis non eſt, ſiue magis attineat ad corpus, vt eſuries, ſitis, iracundia, timor, & huiuſmodi, ſiue pertinens magis ad animam, vt deſiderium ſcientiæ, ſeu in communi, ſeu vnius magis quam alterius: quo tamen ad motum ſecundum, ſcilicet quoad aſſenſſum, & approbationē, ſeu inſecutionem illius incitamenti, vnuſquiſque appetitus ſponte animalis procedit. *Solutio.*

Quomodo ad Motum Animalium cauſandum ſe habeat obiectum.
Cap. V.

PRincipium efficiens, ac dirigens motum animalium, phantaſiam nempe, ac intellectum, vt ſequitur, & comitatur appetitus, ita tanquam neceſſarium quodam mouendi præludium antecedit, comitaturq; pariter cognitio Obiecti: quod quidem propterea reputandum eſt altera conditio mouentis: at non quidem per ſe mouens; nam omnis cauſa efficiens, motum animalem per ſe dirigens debet habere per ſe cognitionem, qua caret obiectum, quod ſecus eſt ex ſe cognitum, non cognoſcens. Quiaue Ariſtoteles in proprio loco huius ſpeculationis, ſcilicet in tertio de Anima à textu 40. ad ſequentia inter mouentia animalis non memorauit obiectum. Ac iure quoniam obiectum non mouet corpus animatum, ſed ſolum per rationem ſui generis mouet phantaſiam, & mentem. *Obiectum nō eſt per ſe motor efficiens animalis.*

Sed adnotandum eſt obiectum poſſe dupliciter conſiderari; vel ſcilicet realiter, & vt in natura exiſtens, vel vt exiſtens in anima, ac vt eſt quædam notio: ex quibus quidē primo modo mouet animal in eo genere mouentis, quod in præſenti non quęritur, nempe vt finis: iuxta id, quod docet Ariſtoteles in ſecūdo Phyſicorum contex. 30. cauſas ſcilicet eſſe ſibi inuicem cauſas, vt laborare eſt cauſa bonæ habitudinis, & e contra; illud vt efficiens motus, hoc vt finis: de quo quidem genere cauſæ in primo de Generatione, & Corr. inquit non mouere niſi Metaphoricè; ſecus enim, ac de cæteris mouentibus, ipſo accedente motus deſinit: in ſecunda verò conſideratione, ſcilicet vt eſt in anima, obiectum mouet vt efficiens, vt innuit Philoſophus in 7. Metaphyſ. contex. 23. inquiens produci ſanitatem à ſanitate, & medicam facultatem eſſe quodammodo ſanitatem, artemq; domificandi eſſe domum: ac in duodecimo eiuſdem contex. 18. dum ait artefacta produci ab anima per rectam rationem illius artis, quemadmodum ars medendi eſt ratio ſanitatis: Et talem diſtinctionem, ac doctrinam protulit Commentator in eodem 12. Metaphyſicorum 36. aſſerens, quod balneum, vt eſt extra animam mouet in genere finis; quatenus verò eſt in anima, mouet efficienter: qualem quidem efficientiam obiectum non habet per ſe, ſed ſolum quatenus eſt in anima mouente, quæ illius cognitionem tanquam neceſſariam conditionem requirit. *Reſolutio.*

Opportune etiam hic perpendenda ſe offert dictio Ariſtotelis in libro de Animalium Motu c. 5. quod ſcilicet obiectum intellectum, vel imaginatum non aliter quam obiectum externum, valet alterare, adeo vt albedo, & nigredo etiam in ſenſu receptę ſeruent vim diſgregandi, & congregandi, vt cum ex illis imaginatio ſubnotionē congruentiæ, ſeu hoſtilitatis formauerit, valeant inde ſpiritus alterare, ſeu per lætitiam calefaciendo, quod fit per extenſionem ſpirituum pro obiecto proſequendo, ſeu per dolorem refrigerando, quod fit per eorumdem ſpirituum, pro obiecto vitando, contractionē; vnde ſequitur tractus, vel pulſus inſtrumentorū eo modo, quo per timorē, *Dictum Ariſtotelis.*

A 2 ſpem,

Digitized by Google

Auicenna cõfirmatio, & additio. ſpem, iram, & verecundiam, ſpiritus commoueri, & alterari percipimus. Cui conſimiliter Auicenna in ſexto Naturalium parte 4. cap. 4. aſſeruit quod facultas extimatiua obiecto prędita, & formata nata eſt temperamentum alterare per calefactionem, & frigefactionem eo modo, quo ſæpe homines ex ſola cogitatione infirmitatis in ipſam incidunt, ex ipſaq; per oppoſitam opinionem eximuntur: quinnimo tantam ei vim vlterius attribuit, vt mouere valeat nedum proprium corpus, ſed & alienum, vt de faſcinantibus contingere ait.

Obiectio. Quæ quidem aſſertio, a quocunque prolata fuerit, niſi ad bonum ſenſum trahatur varijs ſe obiectionibus implicat. Primo quoniam inter agens & patiens debet eſſe communis materia; quam nullo modo habet res vt cognita, quæ eſt merę ſpiritualis, ac ideo non apta ad agendum modo eius rationi alieno, ſcilicet materialiter. Deinde alterantia ſe inuicem ex eodem eijciunt; caloris autem atque frigoris intentiones in eadem cognoſcente facultate ſe mutuo compatiuntur, & cohærent, vt non videantur alterantia. Quod experientia comprobat dum cognoſcitiua facultas calorem, ſeu frigus abſque aliqua ſui animalis calefactione, vel frigefactione percipit. Et id confirmat Ariſtoteles in ſecundo de Anima contex. 154. dum inquit quod nos imaginantes dificile, ac terribile aliquid non commouemur: ſignificare innuens, rem imaginationem appræhenſam, & in eſſe cognito non aptam eſſe ad alterandum.

Reſolutio. Propterea accipiendum eſt cognitionem obiecti duplicem contingere; vel ſcilicet per ſimplicem illius cognitionem, abſque ſcilicet aliqua ſubnotione, & aſſenſu, quo ipſum vt propitium, vel aduerſum iudicetur; qualis quidem cognitio per ſe nullam alterationem inducere nata eſt, vt rationes præallatę conuincunt: vel cum ſuperaddita ſubnotione, & aſſenſu, quę quidem cognitio vel comparatur ad ſubiectum extra ſe poſitum, vel ad id, cui ineſt: primo modo per ſe, & abſque aliquo medio nullo modo alterare, vel mouere valet, nil enim alterare valet extremum, quin prius alteret medium ex primo de Generatione; quippe cum agens quodlibet agat per contactum; vnde non poteſt vnius imaginatio ſine aliquo medio alterius corpus alterare: Pręterea quoniam ſi hoc eueniret vel procederet ab obiecto in eſſe cognito quod eſt impoſſibile; quoniam id eſt ſola forma ſine materia non apta ad agendum niſi virtute imaginationis: Vel ab ipſa imaginatione, quod pariter non eſt; cum illa non ſit apta ad mouẽdum ſine corpore; compoſitorum ſiquidem ſunt actiones: Vel ex ſpiritibus, qui ſi non exeunt ex cognoſcente, pariter & ipſi nõ tangentes non valent rem extrinſecam alterare: ſi vero exeant ex cognoſcente; tũc officium habent illius medij, quod ad talem actionẽ requiri fatemur: Quod ſi dicatur veneficos quoſdam oculos reperiri, qui homines inſpicientes, præſertim pueros, qui vt molliores, ſunt etiam magis impręſſionibus obuij, ipſos inficiunt. Reſpondebimus id procedere ex medio aliquo ex oculis extramiſſo, per quod læſos homines attingunt; eo modo quo baſiliſcus veneficos ſpiritus ex oculis emitens maxime lędere exiſtimatur: docetq; liber de Somnijs, ac experiẽtia, mulierẽ menſtruis affectam ſpeculum inſpectione commaculare; ac de Lupo habetur in Problematibus quod per emiſſionem grauis eius halitus officit ſibi proximos, eis raucedinem inducendo. Cognitio autem obiecti vnà cum ſubnotionibus agens in animali ei ſubiecto, valet vtique per motionem ſpirituum ipſum mouere, & alterare; quod patefacit experientia dum paſſim homines ex appræhenſione, ac ſubnotione alicuius obiecti ad timorem, riſum iracundiam, aliaſq; huiuſmodi commotiones trahuntur; ſic pro eiectione excrementorum patet quam magnam vim habeat imaginatio; vt etiam in venereis actibus maxime comperitur: Ac ſæpe ægroti ob ſolam fidem adhibitam medico illorum ſanitatem præſagienti, eam facile recuperant: vnde rectè dicebat Auerroes quod qui incantationibus incumbunt faciliorem effectum ſuorum connatuum inueniunt, ſi ſint ſenes, ob fidem, quam illorum ætati præbent patientes; qui exinde in ſe ipſos per impetum imaginationis operãtur. Docentq; idipſum ſuo exemplo mulieres pręgnantes dum ex vehementi ſubnotione, & aſſenſu circa aliquod obiectum appræ-

Imaginatio per ſe non valet agere in externum.

henſum

henſum ipſus effigiem in fætu, quem gerunt, imprimunt. Huiuſmodi autem effectus non procedunt quidem ex cognitione illa obiecti immediate; adeo vt alteratio præcurrat motionem: ſed quatenus ex illa notione, ac ſubnotionibus mouentur primo ſpiritus; ex quo ſequitur alteratio, quoniam ſi ſpiritus contrahuntur ad Cor, deferunt ibi calorem; & partes, quas deſerunt frigidas relinquunt: vel ſi a corde ad alia membra expanduntur, illa calefaciunt per alterationem; quæ propterea ex phantaſia non prouenit immediate; ſed per intermediam ſpirituum operationem.

Itaquæ contra prædicta non reſtat occaſio obijciendi quod plura introducantur efficientia motus animalis, quam aſſignauerit Ariſtoteles. Non enim ponimus obiectum vt mouens animatum corpus per ſe, ſed tantum vt conditionem, & neceſſariam circunſtantiam phantaſiæ, ſeu mentis cognoſcentis, & appetentis, quæ per ſe mouent. *Obiectio. Solutio.*

Nec licet obijcere quod finis, quale eſt obiectum, non eſt cauſa diſtincta ab efficiente. Vtique enim diſtinctus eſt; etenim finis eſt quatenus in ſe, ac in rerum natura exiſtit: at efficiens, ſeu conditio efficientis euadit tunc tantum, cum per operationem animæ tranſit in eſſe cognitum, & notio quędam euadit. *Obiectio. Solutio.*

Nec etiam obijci poteſt quod cum finis methaphorice tantum moueat: proinde nequeat eſſe efficiens cauſa motus. Finis enim non per ſe eſt validus illius motionis efficiens; ſed ſolum ratione facultatis animæ, cui ineſt. *Obiectio. Solutio.*

Sed magis vrgebit quiſpiam ſi inſtet quod falſum videtur obiectum eſſe cauſam motus finalem vt eſt in re, non autem vt eſt in anima; finis enim, qui eſt cauſa cauſarum, præſupponitur ante productionem; ſeu ante actionem aliarum cauſarum: nihilominus finis, qui intenditur ab agente perſæpe poſtremo producitur. Cui reſpondemus obiectum eſſe cauſam finalem vt eſt in re, ad differentiam eiuſdem quatenus eſt in anima; quod concurrit vt cauſa efficiens; ſiue enim finis ſit obiectum in eſſe præexiſtens, cuius intenditur acquiſitio, ſiue ſit obiecti nondum exiſtentis productio; omnimode attenditur quoad eſſe reale, ſeu productum, ſeu producendum, cuius nota, & repræſentatiuum eſt illius ſpecies in anima, per quam anima mouet ſuum corpus quæmadmodum ex ipſa re vt in eſſe, ac in natura exiſtente ipſa anima excitatur ad talem corporis motionem. *Obiectio. Solutio.*

Et ſi quis quærat an ipſum obiectum, ſeu finis expetitus, in quocunque motu animalium concurrat. Reſpondebitur affirmatiue; omne enim agens operatur propter finem cognitum vel ab ipſo agente, ſi ſit animal agens per cognitionem; vel ab aliqua cauſa eminentiori dirigente naturam illam ad talem motum, vt puta intelligentia dirigente formam terræ ad ipſam deorſum deducendam, & naturalem inſtinctum hirundines ad nidi conſtructionem inducentem. *Quæſitum. Satisfactio. Requiritur obiectum ad quemcunque motum.*

Quęri etiam ſolet circa obiectum motionis animalium an ſit immobile: cuius pars negatiua ſuffulta videtur ex aſſertis ab Ariſtotele tum in libro de Motu Animalium, vbi ait: obiectum finemq; motus natum eſſe moueri, & aliter ſe habere, tum in tertio de Anima contex. 51. in quo habetur: Vnde ſemper quidem mouet appetibile, ſed hoc aut eſt bonum, aut apparens bonum, non omne autem, ſed agibile bonum, agibile autem eſt, quod poteſt & aliter ſe habere: quibus videtur quod ipſum obiectum, per quod animatum corpus mouetur, determinetur eſſe mobile. Oppoſitum autem clarius habetur ab eodem Ariſtotele, præſertim in primo de Generatione & Corrupt. contex. 53. vbi aſſignans differentiam quandam mouentis moti, ac mouentis immobilis in motu animalium ait quod: in motu producendi ſanitatem, vt mouens vltimum, & communicans in materia cum mobili, veluti vinum, eſt etiam mobile, ſic mouens primum in materia cum moto non communicans (qualis eſt Medicatiua facultas) eſt immobile. Rurſus in tertio de Anima contex. 54. vbi ait quod: duplex eſt mouens, aliud immobile, quale eſt bonum agibile, & aliud mouens ac motum, quale eſt ipſum appetens: Ac in duodecimo Metaphyſicorum contex. 36. oſtendit motores Cæleſtes eſſe mo- *An obiectum mouentis ſit immobile. Fundamentum pro negatione. Euerſio.*

uentes

uentes immobiles ex eo, quod mouens tanquam concupiſcibile, & intelligibile eſt mouens non motum.

Reſolutio. Cuius dificultatis reſolutio eſt: obiectum poſſe conſiderari dupliciter: vel ſcilicet quatenus eſt obiectum, ſeu finis mouens, & ſic per ſe, & quatenus tale, eſt immobile; quamuis per accidens illud moueri contingat, vt euenit de obiecto venatoris: ac ipſius obiecti notio quatenus ineſt cognoſcitiuæ facultati animalis, accidentaliter ad ipſius motum mouetur: ſi verò conſideretur vt terminus, qui per motum acquiritur, ſic vtique eſt mobile; quoniam omne, quod per motum acquiritur addictum eſt variationi, ac permutationi; ſucceſſiueq; pars eius poſt partem in ſubiecto inducitur: niſi reſpiciatur vltimus ille terminus productionis, qui momento temporis in eſſe conſurgit: Vnde patet quomodo intelligendæ ſint illæ Ariſtotelis aſſertiones, ex quibus obiecti mobilitas elliciebatur.

Diſſeritur de Principio motus animalium inſtrumentali.
Cap. VI.

AD motum animalium ex integro cauſandum principium dirigens, ſcilicet facultas animæ cognoſcitiua, quatumuis obiecti notitia, atque appetitu præcincta, nō ſufficit; quippe cum illius actio ſit immanens, motio autem animalis ſit tranſiens: propterea requiritur alia cauſa proximius agens, quæ membris inſita aptum ſit inſtrumentum ad dirigentis præſcripta exequenda: quam cognouit Ariſtoteles, propriumq; illius ſermonem in tertio de Anima in tex. 54. & ſubſequentibus habuit, varias ei conditiones in textu 55. aſcribens: primam ſcilicet, quod ſit principium motus: ſecūdam quod eiuſdem motus ſit etiam finis, vt ſcilicet in eodem terminet motus, à quo incipit, ad ſimilitudinem cardinis oſtij, cuius ſuperficiei cuidam conuexæ cum vniatur ſuperficies oſtij concaua; ibi propterea ſimul cum principio eſt finis motus ipſius oſtij: tertiam verò conditionem, quod ſit immobilis.

Opinio Philoponi. De quarum quidem cōditionum congreſſu in aliquo, quod inde tale principium motus exiſtimari mereatur, non conueniunt interpretes. Philoponus enim ait tres illas conditiones conuenire in ſpiritibus motiuis, qui per totum corpus effuſi partes dilatando, & contrahendo ipſum mouent. *Reprobatio.* Quod quidem iudicium, nec Ariſtoteli, nec veritati adæquari videtur; nam tale mouens ſecundum Ariſtotelem ita ſe habere debet, vt altera illius pars mouere debeat, & altera moueri, quæ eſt conditio corporis ætherogenei, non autem rei ſimilaris, qualis eſt ſpiritus, qui eſt inſtrumentum commune, & homogeneum. Quiaue tale inſtrumentum debet eſſe animatum, quales non ſunt ſpiritus: Ac etiam quia ſunt ſubſtantiæ quædam tenuiſſimæ non aptæ partes corporis graues, & eis ſolidiores agitare. Et demum quoniam tale mouens debet cum alijs corporis partibus eſſe continuum: quod non eſt de ſpiritibus; qui in corpore veluti in vaſe continentur.

Opinio Auerrois, & aliorum. Commentator, & cum eo Diuus Thomas, & Ægidius, inquiunt id eſſe cor; quoniam eſt principium motus dilatationis, ac finis contractionis, vt expertum habetur in pulſu: eſtq; immobile, quoniam ibidem exiſtens extenditur ſecundum totum, & ſecundum partes contrahitur. *Reprobatio.* Qui quidem quamuis non omnino à veritate recedant; non tamen ad rem prope accedere videntur; nam dum quæritur proprium inſtrumentum motus: non ſatis eſt aſſignare communem, ac primam illius principij ſedem, cuiuſmodi eſt cor: Et quoniam euidens eſt in corde non ſaluari illas omnes conditiones aſſignatas ab Ariſtotele; quod ſcilicet ſit principium, finiſq; motus; ac immobile. Poſtremo quia quæritur hic de motu ſponte facto, & progreſſiuo, qualis non eſt motus cordis, qui pariter, vt motus pulſus, eſt naturalis.

Opinio Simplicij. Tertium fuit iudicium Simplicij, qui Platonica dogmata ſequens in tertio de

Anima

Digitized by Google

Anima exponens textum 55. inter animam vtentem, & corpus animatum mediam ponebat animam formantem, quam cenſebat, vt vitam animalis; quamuè corpoream quatenus adnexam corpori; finemq; animæ vtentis, cuius veluti veſtigium ſit, eam aptiſſimum putauit, pro huiuſmodi motu in tali genere principium. Receſſit tamen ab Ariſtotele, cuius principijs Academica illa diſtinctio duplicis animæ non adæquatur; cum ille ſermonem de tali motu transferat ad librum de motu Animalium, vbi longe à tali diſtinctione conſiderat animam, quam ſemper per eandem facultatem putat corporeum organum informare, ac illo vti; adeout ſit principium in triplici genere; nimirum formali, efficiente, atque finali: Nec tres illæ conditiones in tali principio conueniunt; non enim eſt finis motus anima, ad quam non propriè motus terminari poteſt. *Reprobatio.*

Alia opinio id reponit in neruis. Non tamen probabiliter; nam vt docet Philoſophus in ſecundo de Partibus Animalium cap. 1. inſtrumentum motus debet eſſe aliquod ætherogeneum, qualis non eſt neruus, qui conſimiliter ſe habet, ac de organo viſus, quod hac de cauſa non valet eſſe pupilla, ſed totus oculus tantum. *Opinio aliorum.* *Reprobatio.*

Adhuc inquiunt alij, id eſſe chordam, ſcilicet ligamentum quodam inſimul cum neruo ab illa deuincto, quæ mouente neruo per dilatationem ipſa contractionem inducat. Cui ſententiæ id obſtat, quod chorda illa, tanquam ſubſtantia quædam oſſea, caret ſenſu; vnde non apta videtur ad motum: quod cognouerunt Galenus in duodecimo de Vſu Partium cap. 3. ac Veſſalio in libro 2. capite 2. duplicem conditionem in inſtrumento huius motus expoſtulantes: quod ſcilicet natum ſit ſentire, ac impellere. *Opinio alia.* *Reprobatio.*

Quapropter his adhærrentes, ac Ariſtotelem præcipuè inſequentes, qui in ſecundo de Partibus Animal. cap. 1. docet quod vt paſſio ſit per corpus homogeneum, ita ſit actio per corpus diſſimilare: iuxta communiorem doctrinam id attribuimus aggregato illi ex chorda, & neruis, eiſq; interiactis per minutiſſimam quandam diuiſionem venis, arterijs, carne, alijſq; neruulis; quod vocatur muſculus, in cuius mixtione, ac temperie cum moderata ſit durities motui reſſiſtens; conſolidataq; nimia mollities, quæ ſua fluxilitate obſtaret, aptiſſimum euadit principium inſtrumentale motus. Nec ideo tamen negamus, quod cor, ex quo fluunt ſpiritus, & nerui ſit principium motus animalis: ſed tantum dicimus, illud eſſe præcipuum, commune, & remotum: prædictum verò à nobis, eſſe proprium, & proximum. *Opinio approbata.*

Quonam modo anima ſuum corpus moueat. Cap. VII.

CVm iam pateat animati corporis motum tanquam à præcipuo, ac dirigente principio procedere ab anima ſiue ſenſitiua per phantaſiam, & appetitum agente; ſiue etiam rationali per facultatem intellectiuam, & voluntatem talem illius effectum exprimentem: non liquet adhuc modus, quo id anima efficiat; quod ſiquidem non concordi contemplantium iudicio exploratur: Prior namque fuit opinio putantium: eatenus animam ſuum corpus mouere, quatenus ipſa prius moueatur à ſeipſa: ſic Zenocrates vocauit animam numerum ſe mouentem; & Macrobius numerum ſui eſſentia mobilem, & antea Democritus, Leucippus, Epicurus, & Lucretius ponebant animam conflatam ex athomis, ex quorum mobilitate, mobilitatem corporis procedere aſſeuerabant: Et Plato animam ſub mente poſitam per inſitas rationes Ideis reſpondentes ſeipſam mouere, ac inde motum ad corpus tranſmittere fatebatur: Vnde & Simplicius in tertio de Anima ſuper contextum 55. Platonicis veſtigijs inſiſtens, partita anima in vtente, & formante, quarum prima ſit veluti ipſius animæ, & animalis origo; altera verò tanquam veſtigium, participatio, & vmbra vtentis, illam aſtruebat principium motus *Opinio Zenocratis.* *Macrobij.* *Democriti.* *Platonis.* *Simplicij.*

quatenus ex ſeipſa mouetur: formantem verò motam ab anima vtente, ac exinde
Fundamen. 1 principium motus corporis; quod motum tantummodo, & non mouens ſit. Innititurq; talis opinio huic fundamento, quod omne tale per accidens reducitur ad aliquod tale per ſe: vnde cum animatum corpus moueatur per aliud; reducendum eſt
2. ad aliquod motum ex ſe, quod aliud eſſe non poteſt, quam anima. Inſuper quoniam animam eſſe mobilem eo depræhendi videtur; quoniam in nutritione animalis adueniente aliqua portione alimenti, aut portio etiam animę ei correſpondens inſimul de nouo producitur: pariterq; in deperditione alicuius portionis animalis conſumptæ portio animæ coniunctim perit: vel ad portionem ſuperaduenientis nutrimenti informandam præcedens anima extenditur; ac in alicuius portionis deperditione, ipſa anima retrocedit, & ad partem ſuperſtitem contrahitur: non primum, quia tunc illa non eſſet nutritio, ſed abſoluta generatio, aut corruptio: ſecundo verò modo non
3. fit aliter quam per motum lationis, quo anima de loco ad locum ſe transferat. Cui demum annuere videtur Ariſtoteles inquiens in ſecundo de Anima contex. 11. de anima non conſtare, an ita ſit actus corporis, vt nauta nauis: Id confirmare innuens in libro de motu Animalium cap. 7. dum ait: non ita animam mouere, quia in totali corpore exiſtat; ſed dum veluti in arce, in corde reſidet, ſic totum corpus mouere: denotans animam ſe habere, vt nautam in certa parte nauis reſidentem.

Euerſio. Tali autem ſententiæ ratio, & Ariſtoteles repugnant, non enim competit latio non exiſtentibus in loco, qualis eſt anima, quę cum ſit incorporea, nequaquam commenſurabilis eſt loco, qui eſt quantus, ac proinde nullo modo correſpondens rei incorporeæ: quare anima non eſt per ſe mobilis. Ac inſuper quoniam ex ſexto Phyſicorum 33. motus per partes ipſius mobilis eſt diuiſibilis: & anima, vt ens ſpirituale non habet partes: quare non eſt mobilis. Pariter in textu eiuſdem operis 86. habetur nullum indiuiſibile eſſe mobile. Adhuc & in octauo Phyſicorum longo ſermone probatur, quod omne ſe mouens debet eſſe diuiſum in partem mouentem, & motam: hoc autem non poteſt eſſe de anima; quæ vt incorporea ex ſe impartibilis eſt. Quod confirmatur ex eo, quia in eodem octauo libro deducit Philoſophus immobilitatem primi mouentis ex eo, quod omne ſe mouens conſtare debet ex parte mouente, ac ex mota; vt non ſe habet ille motor: quæ probatio innanis redderetur dum anima ex ſe indiuiſa mobilis eſſet. Et id confirmat diſputatio Ariſtotelis in Democritum tum in eodem octauo contex. 44. tum etiam in primo de Generatione, & Corruptione 73. dicentis, quod ſi athomi ex ſe deſcenderent, ſequeretur idem in ſe age-
Euaſio. re, ac eſſe actu, & potentia reſpectu eiuſdem. Nec valet dictum Simplicij ſuper illum textum octaui Phyſicorum, quod ſcilicet euenit hoc animæ per diuerſas ex ijs rationibus, quę Ideis ſimiles, ei per naturam inſertæ ſunt, ex quibus, quę ſunt in actu mouent illas, quæ ſunt in potentia ad exemplum intellectus, qui per differentiam agen-
Impugnatio. tem, & poſſibilem, veluti per diuerſas rationes, ſe docere, & ex ſe addiſcere valet. Ex oppoſito enim pręterquam, quod rationes illæ animæ inſitę Ariſtotelis doctrinæ aduerſantur; omnes illæ rationes à Platone excogitatæ ſunt in actu, ac inde principia actionis nequaquam verò paſſionis. Ac inſuper quoniam admiſſis quantumuis animarum rationibus à Platone inſtitutis; ab eis nō poteſt alius motus procedere, quam ſpiritualis, qui eſt ratiocinatio; non autem motus propriè ſumptus. Falſa etiam videtur, quam ponit Simplicius, diuiſio animæ in vtentem, & formantem; etenim aut eſſent eſſentiæ diſtinctæ: vnde ſequeretur, quod eiuſdem rei duæ eſſent eſſentiæ: vel (quia formans eſt ipſum quid eſt rei) relinqueretur, vt vtens non eſſet eſſentialis ſuo animato; contra doctrinam Platonis ibi à Simplicio exculta, quæ definitionem hominis tradit per animam corpore vtentem: aut eſſent eiuſdem eſſentiæ; vnde idem eſſet participatio, ac idolum ſuiipſius: idemq: ſibimet reſiſteret; nam anima formās, vt conſtituens mobile reſiſtere deberet mouenti, cui mobile reſiſtere ſolet: Inconueniens autem videtur aliquod ei reſiſtere, ex quo fluit, & cum quo eſt idem.

Solutio fundamenti 1. Nec robur apparet in fundamentis, quibus opinio illa ſubnititur; quorum ad primum negamus maiorem illam propoſitionem, quod ſcilicet animatum corpus,

nem-

Digitized by Google

nempe animal, moueatur per aliud; mouetur enim per ſe, cum moueatur ex anima, quæ eſt illius pars eſſentialis; Seu dicamus ad maiorem quod omne tale per aliud reducibile eſt ad tale per ſe, ſi id tale conſideretur ſecundum rationem aliquam ſimplicem, & ſic redigi debet ad mouens per ſe id, quod mouet per aliud; quale non eſt animal: & pariter reduci debet ad mobile per ſe id, quod eſt mobile ratione alterius, vt eſt animal in reſpectu partis corporeæ, cui proprie, ac per ſe mobilitas competit. Ad ſecundum reſpondemus in abciſione membri, ſeu in deperditione cuiuſuis partis animam ad ſuperſtites partes animatas retrocedere, ac in accedens nutrimentum extendi; ex quo tamen non ſequitur proprie ſumptus motus; ſed ſimplex effuſio, ſeu contractio quædam, quæ cum non ſit de ſubiecto in ſubiectum, ſed conſecutio quædam ad partes eiuſdem indiuidui; propterea diſtat a conditione propriæ ſumptæ lationis. Et provt ſpectat ad tertium argumentum, dicimus quod exemplum nautæ non fuit ibi adductum per determinationem; ſed per modum quæſiti, ac dubitationis, cum dicitur non eſſe manifeſtum an anima inſit corpori veluti nauta in naui: Quod ſi etiam vt verum acciperetur; non tamen eſſet neceſſaria omnimoda ſimilitudo, adeovt quemadmodum nauta regens nauim eſt per ſe mobile corporeum, quantum, & animal per ſe completum, illa omnia etiam animę per ſe ſumptæ competerent: Sed ſufficeret vt ad exemplum nautæ ipſa anima non eſſet forma informans, & dans eſſe corpori; ſed ei tantum ad illius operationes dirigendas aſſiſteret: Nec alius ſenſus extorqueri valet ex littera illa libri de Motu Animalium, quod enim anima in corde vt in ſede ſe recipiat, non infert eam eſſe mobilem, & corpoream. *Solutio 2.* *Solutio 3.*

Cum itaq; motus animalis procedat ab anima, nec in illa recipiatur, putant nonnulli quod abſolute ipſa tantum per ſe ſumpta anima moueat, & corpus per ſe moueatur tantum, iuxta requiſitam diuiſionem ſe mouentis in partem mouentem, & partem motam. Quibus pariter ratio, & Ariſtoteles obſtant; vt enim res ſe habent ad eſſe ita ſe habent ad operari: vnde cum anima ſit forma quædam quoad eſſe ex materia pendens, ita non videtur poſſe agere ſine materia, ſcilicet corpore. Et confirmatur quoniam alioquin abſque corporeis organis poſſet ſuum corpus mouere; cuius oppoſitum videtur determinare Ariſtoteles in octauo Phyſicorum 30. cum docet, nullum continuum, ſeu homogeneum, ſe mouere; ac in ſecundo de Cælo contex. 50. inquiens quod ſi nata eſſent Aſtra motui progreſſiuo, congruentia eis organa natura adhibuiſſet. Accedit littera primi Metaphyſicorum cap. 1. docens ipſorum ſuppoſitorum, ac indiuiduorum eſſe actiones. Adhuc eſt quinquageſimuſquartus contex. primi de Anima ſtatuens irraſci, misereri, addiſcere, & cogitare non animam, ſed hominem per animam. *Opinio aliorum.* *Euerſio.*

Quapropter ad reſolutionem dificultatis dicendum eſt, ſolam quidem animam, ſeu formam quamlibet eſſe rationem agendi, ac ſolam materiam eſſe rationem patiendi; at totum animal mouere, concurrente ſcilicet etiam materia, quæ intra animatum corpus, vt in eſſendo, ita etiam in agendo, eſt formæ neceſſaria comes, & conſors; totumq; animal moueri; motus enim eſt accidens, quod non eſt natum recipi niſi in ſubiecto actu exiſtente, qualis non eſt ſola materia ſine forma: quiave moto ſuppoſito, cuius ſunt accidentia, neceſſario mouentur quęcunque illi eſſentialiter inſunt, vt ſe habet de anima: quare neceſſarium eſt vt & ipſa, etſi non tanquam ratio mobilitatis, quatenus tamen eſt pars compoſiti mobilis, eidem motui ſubijciatur. *Determinatio veritatis.*

Ita autem anima per phantaſiam mouet ſuum corpus animatum, quatenus primo mouet, ſeu vim ſuam transfundit in ſpiritus, id eſt in calorem naturalem, ex quo deinde tranſit actio ad coniunctum illud ex chorda, neruis, venulis, & arterijs, quod muſculus nuncupatur, & eſt proximum inſtrumentum motus animalis. *Spiritus animalis quomodo ad mouendum concurrant.*

Circa quod obijci poteſt primo quia falſum videtur ſpiritus eſſe primo mouentes, vel motos; habetur enim in octauo Phyſicorum contex. 35. inſtrumentum eſſe id, quo mouens mouet: vnde ſine aliquo priori mouente nec mouere, nec moueri poſſe *Dubitatio triplex.*

videtur

videtur; ſpiritus vero ſunt inſtrumenta: quare non videntur poſſe primò mouere, vel moueri. Secundo quoniam ex octauo Phiſicorum 36. ac ex primo de Generatione, & Corrupt. 78. nullum continuum, ſeu ſimilare aptum eſt ſe mouere: & ſpiritus ſunt huiuſmodi; vt proinde nequeant ex ſe primo moueri. Tertio quia corpus inanimatum nequet ex ſe moueri: huiuſmodi ſunt ſpiritus: quare &c. Nec licet dicere quod moueantur ab anima; nam cum ex prædictis actiones ſint ſuppoſitorum, non ideo anima ſeparata a ſpiritibus valet ipſos mouere,

Adnotãdum. Quibus facilis eſt ſolutio præaſſumpto quod anima non mouet ſpiritus vt aliquid a ſe diſtinctum; ſed quatenus eis iuncta, eſt prima ratio mouendi, & agendi, cui ipſi ſpiritus quatenus corporei correſpondent tanquam prima ratio paſſionis & mobilitatis. *Solutiones.* Vnde reſpondetur ad primam obiectionem: vtique inſtrumentum non primo moueri, ſed eſſe id, quo mouens mouet: loquendo de inſtrumentis pro externo motu requiſitis: non autem hoc eſt verum de ſpiritibus, qui ſunt inſtrumenta pro motu interno, vt ſatis eis ſit concurſſus animæ tanquam primæ rationis mouendi. Subſequenti reſpondetur: non poſſe continuum ſe mouere: verificari de motu, qui fit ſpontę, & libere; adeovt valeat mouens in medio curſſus ſiſtere a mouendo: & adhuc verificatur de abſoluto, ac integro mouente reſpectu totius mobilis, quale eſt totum corpus animatum; non autem in reſpectu partis, ſeu inſtrumenti primi, qualis eſt ſpiritus animalis. Ad tertium dicimus quod ſpiritus animati ſunt, quamuis non perfecte, & proprie, vt partes organicæ; ſaltem per participationem illius virtutis ex anima prodeuntis, quam quatenus coniuncti ſunt animato corpori, ſeu ſolidis illius partibus proprie animatis, obtinent.

Obiectio. Sed dubitare quis poſſet cum Mens Cæleſtis a ſuo corpore ſoluta ſeipſa ſine aliquo medio valeat ipſum mouere; vt quid mens humana, quæ magis eſt ſuo corpori complicata, neceſſariam exigat intermediam phantaſiam ad ſuum corpus mouendum? *Solutio.* Cui reſpondebitur diſparem conditionem horum mouentium in eo primo conſiſtere, quod intelligentia eſt mouens quodam perfectum, & totale; non autem portio alicuius ſuppoſiti, vt eſt anima; mouetq; modo eminentiori, ac diuiniori, cum maxime ſit a materia ſoluta; ac propterea valet abſque medio mouere, Quiaue corpus Cæleſte cum non aliud habeat ſupra ſe, & a quo dependere poſſit: quam intelligentiam, idcirco totali ſua propenſione eſt illius motioni deditum: quod non eſt de corpore humano, cum alijs etiam viribus præter intellectum, ſit ſubiectum. Ac inſuper quia ita diſpoſitum eſt mobile Cęleſte, vt illius motus nullam intercipiat violentiam; nec aptum ſit aliqualiter mouenti reſiſtere; vnde illius motum non comitatur tractio, vel pulſus; nec aliqua defatigatio conſequitur: & ideo Cæleſtis illa Mens expers omnino eſt ab organicis facultatibus, inferioribus animabus neceſſarijs, quas anima rationalis medio modo ſe habens requirit, etſi non ſibi proprias, aliqualiter tamen miniſtrantes, & congruentes.

Quæſitis aliquibus circa Motum Animalium occurritur. *Cap. VIII.*

An motus animalium ſit naturalis. Opinio negatiua. EXigit præſentis tractationis abſolutio, explicationem aliquorum, quę circa ipſum motum animalium circumferri ſolent: & primo an fiat ſecundum naturam: de quo pars negatiua ſuaderi videtur ex eo quod corpus animatum, cum ſit graue, non habet per ſę inclinationem ad alium motum, quam ad deſcenſſum; qui alienus eſt a motu progreſ- *Reprobatio.* ſiuo. Quod tamen falſum eſt; debet enim exiſtimari ſecundum naturam motus illorum, quorum eſſe eſt ſecundum naturam, vt ſe habet de animalibus, & illorum partibus ex ſecundo Phyſicorum contex. 2. Inſuper quoniam principio talis motus competit definitio naturæ in eodem ſecundo Phyſicorum tradita: vnde & ipſe motus videtur ſecundum naturam.

Euaſio. Simplicius negat definitionem illam naturæ animabus competere: Sed conuincitur

Digitized by Google

citur ex recta illius definitionis obſeruatione, quæ aptiſſime adæquatur animæ, cum illa etiam ſit principium motus in eo, in quo eſt primo, per ſe, & non ſecundum accidens. *Impugnatio.*

Ac inde pariter exploſa remanet alia quædam ſententia Platonicorum aſſerentium talem motum non eſſe ſecundum naturam, ſed ſupra naturam, ſeu medium inter rationem naturæ, & Mentis. Non enim excedit limites conditionis naturalis ille motus, qui fit a principio, quod propriè compræhenditur ſub definitione naturæ: Quiaue negari non poteſt quod ſit natura forma illa ſubſtantialis, quæ ex materia pendet, quæue eſt proximum principium motus, vt ſe habet de anima: Et id confirmant verba Ariſtotelis in octauo Phyſicorum 27. dicentis: quorumcunque autem motus principium in ſeipſis eſt, hęc natura dicimus moueri: quapropter animal quidem totum natura ipſum ſeipſum mouet. *Platonicorũ Impugnatio.*

Nec efficaciter arguunt quod talis motus non eſt in fine quam in principio velocior, vt de motu naturali requiritur in primo de Cælo 88. vt ideo non videatur naturalis. Regula namque illa prolata fuit ab Ariſtotele de motibus naturalibus rectis, qui accidunt corporibus grauibus, aut leuibus quatenus talia ſunt; nec illa extenditur ad motum progreſſiuum animalium, qui mixtus quodammodo eſt ex recto, & circulari. *Obiectio. Solutio.*

Siue etiam obijciatur quoniam huiuſmodi motus fit per tractionem, & pulſionem, quæ ſunt conditiones motus præter naturam. Facile reſpondebitur, eſſe quidem præter naturam motum illum, cui intercederet tractio, ac pulſio ab externo principio procedentes: dum vero pendent a principio intrinſeco, vt in motu animalium, non tollunt illi motui naturalitatem. *Obiectio. Solutio.*

At pro reſolutione totius dificultatis eſt dicendum corpus animalis conſiderari poſſe vel per ſeipſum tantum præciſa anima, & per ſolam naturam mixtionis, quam ſequitur grauitas; in qua conſideratione motus progreſſiuus non eſt ei ſecundum naturam: vel quatenus coniunctum animæ, ac cum ipſa vnum per ſe conſtituens; & tali conſideratione mouetur vtique ab anima ſecundum naturam; quæ quidem quamuis non ſit natura adęquata rationi illius corporis grauis, eſt tamen natura ſuperior, cui prompte corpus illud obſequitur. *Reſolutio.*

Quęri etiam hic ſolet cur animalibus per naturam competat non motus rectus, nec etiam circularis; ſed progreſſiuus: De quo Magnus Albertus, & alij cum eo inquiunt id exinde procedere quia cum vis animæ nitatur ad mouendum circulariter, corpus vero pronum ſit motui recto; proinde ex duabus diuerſis inclinationibus medius quidam, ſeu mixtus effectus, qualis eſt motus progreſſiuus conſurgit. Quod tamen non tute dictum videtur, primo quoniam ſi anima haberet facultatem mouendi circulariter, & id nunquam faceret, ſequeretur reperiri in natura potentiam, quæ nunquam ſuum actum attingeret, quod abſurdum reputatur: præſertim in integra ſpecie, ac maxime in toto genere: & hoc vtique exinde ſequeretur de genere animalium, cuius nullum ex ſui natura mouetur in orbem. Ac inſuper ſequeretur totum id genus ſemper eſſe præter naturam diſpoſitum, & violentia oppreſſum, quando habens facultatem ad motum circularem ſemper in diuerſam lationem cogeretur: Præterquam quod ſi anima haberet facultatem mouendi circulariter, debuiſſet natura illi corpori mobili proportionata inſtrumenta, & tali facultati correſpondentia inſtituere, iuxta dictum Ariſtotelis in ſecundo de Cælo 50. quod ſcilicet ſi Aſtra eſſent progreſſiue mobilia, eis natura congruentia tali motui organa adhibuiſſet. *Inſtantia. Cur competat animalimotus progreſſiuus. Opinio quædã. Reprobatio.*

Sed dicendum eſt pro reſolutione quæſiti quod: cum facultas animæ in mouendo ſequatur requiſitum eius naturæ mobilis, & corpus animatum non attingat ſuos fines per circulationem, vel per ſimplicem motum rectum; propterea nec ad meram lationem rectam, nec ad circularem determinatur; ſed motum inducit progreſſiuum, quo ad quamcunque loci differentiam ſuum animal ad quoſcunque ſuos fines conſequendos perducit: ſic iuxta indigentiam animæ vegetantis alimentum pro *Reſolutio.*

membris

Digitized by Google

membris nutriendis ſurſum, deorſum, ante, retroue, & ad quamcunque differentiam defert; ac iuxta requiſitum ſentientis, ſeu intellectiuæ, quæ ſuæ phantaſiæ, & appetentis facultatis obiectum ad varias differentias habet, mouet propterea ſuum animal ad quamcunque differentiam, quæ ad conſecutionem illius finis conducat.

Inſtantia. *Cur motus animalium ſit velocior in medio.* *Satisfactio.* Sed ea ſoluta alia conſurgit dificultas: cur ſcilicet cum motus progreſſiuus animalium ſit ſecundum naturam, non ſit velocior in fine quam in principio, vt de motibus naturalibus obſeruat Philoſophus in primo Cælo 88. ſed potius ſit velocior in medio. Cui reſpondetur id eo prouenire quia: motus ille fit per pulſionem quandam corporis animati, ſeu corporeorum organorum illud proxime mouẽtium a ſpiritibus, qui cum a principio motus nondum ſint valde concitati; nec tunc ipſa membra mobilia ſint admodum ad illam pulſionem parata; propterea tunc remiſſior, quam in medio eſt illorum motus, vt pariter remiſſior euadit in fine ob pellentium partium defatigationem.

Inſtãtia Cur animalia in motu laxentur. *Solutio.* At exinde adhuc eſt dubitandi occaſio, quomodo ſcilicet cum mota ſecundum naturam non ſint ſubiecta labori, vt conſtat in grauibus deſcendentibus, ac leuibus aſcendentibus: animal in eo motu progreſſiuo, qui eſt ei ſecundum naturam, laxari poſſit? Cui reſpondetur diſparem eſſe conditionem animalis mobilis a grauibus, & leuibus, in quibus cum vnica ſit natura, ſcilicet forma illa elementaris, quæ vel eſt prædominans, vel prædominantis virtutem obtinet; ex ea totalis illorum mobilium ratio & propenſiones abſolute diriguntur; vt propterea nulla in eorum motu cadere valeat reſſiſtentia, ac defatigatio; in animali vero quamuis omnia membra quatenus animata obſequantur animæ tanquam naturæ ſuperiori, prædita ſunt tatamen adhuc proprijs naturis elementaribus ipſa ad diuerſas lationes diſponentibus; vnde fit vt aliqualiter reſſiſtentes trahenti, & impellenti illud ad laborem redigant: vt ſpiritus exinde imminuti, ac reſoluti hæbetiores ad mouendum euadant.

FINIS.

Errata ſic corrigantur.

Pap. 3. lin. 21. inſitetur: inſtetur. 3. 50. alios: alias. 4. 41. he: hec. 6. 33. rationale: rationali. 8. 28. intellecta: intellectu. 17. 28. carnis: canis. 18. 44. vniuerſalia: vniuerſalia a. 23. 47. concenſſerint: conceſſerint. 33. 6. inualida; inualidat. 34. 21. vnde: inde. 37. 51. potes: poteſt. 41. 3. cælo: cæco. 42. 38. prædictum: præditum. 52. 19. Ianduло: Ianduno. 59. 51. ſpectant: ſpectanti. 65. 9. ahue: adhuc. 66. 48. calor: color. 73. 2. doctibus: dotibus. 81. 16. deſtituenda: deſtituendæ. 92. 29. nequet actus: nequet eſſe actus. 108. 12. ſolores: ſolares. 108. 49. videtur: videretur. 110. 40. incompaſſibilia: incompoſſibilia. 112. 18. ractio: fractio. 115. 3. ſequemus: ſequemur. 118. 4. radicatum: radicaliter. 112. 35. eorum: earum. 36. reſpicit: reſpiciunt. 36. eius: eorum. 126. 38. eos: eas. 128. 20. prædictum; præditum. 20. ſenſum: ſenſuum. 22. debentq; debetq; 131. 8. conſtituendas: conſtituendam. 132. 21. vinge; vnde. 24. altero: alteri. 51. veç: veræ. 133. 5. principio: principium. 135. 39. ageret: agit. 136. 6. membris non: membris & non. 10. cenſeatur: cenſeantur. 146. 5. extornorum: externorum. 151. 33. euandam: euitandam. 153. 28. cogitationem: cognitionem. 160. 7. viſio: viſo. 37. ſit: fit. 163. 28. ſit: ſi. 167. 4. ipſam; ipſum. 44. at: ad. 174. 36. & obiectum: ac obiectum. 176. vlt. ponenea: ponenda. 177. 1. eiam: etiam. 178. 50. diſtinctæ: diſtinctas. 180. 1. ſcilicet: 5. 180. 23. ſapere: ſapore. 185. 49. ſpectat: ſpectant. 187. 18. perfet: perfert. 189. 45. ratione intellectus: ratione obiecti intellectus. 190. 28. obſeruaur: obſeruatur. 207. 8. inſtat: inſtet. 208. 20. Ex: Et. 33. eorumdem: earumdem. 210. 19. Ex: Et. 112. 47. prioris: priori. 216. 17. ab: ad. 218. 46. deprauatio: deprauato. 225. 16. aſſerentis: aſſerente. 31. perficior: perfectior. 228. 35. debere: deberet. 232. 17. ſingulisq; ſinguliq; 234. 37. corporeorum: corporum. 235. 50. argumentum: augmentum. 237. 44. Metaphyſicorum: Metaphyſicum. 238. 31. materiam: materia. 250. 31. coæteris: coæternis. 259. 17. & Scoto: ex Scoto. 260. 11. ſufficiat: ſufficiant. ibidem. expoſcat: expoſcant. 261. 32. adæquationem; adæquatiorem. 261. 48. repræſentent: repræſentet. 270. 25. es: eſt. 273. 14. natum: natus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google